FRIDERICI HOFFMANNI,
MEDIC. D. ADMINISTR. ARCHIEPISCOP. MAGDEBURG. MEDICI,

OPUS
DE
METHODO MEDENDI,

Juxta
SERIEM WALLÆIANAM,
Annexis fundamentis Aſtrologicis,
Ex
Veterum ac Recentiorum Scriptis
Concinnatum,
DOGMATICIS, PARACELSICIS, HELMONTIANIS, HARVEIANIS PRINCIPIIS & propriis Obſervationibus
illuſtratum,
Elegantiſſimis Chymicis Floſculis
adornatum,
Cum PRÆFATIONE
Magni iſtius Medici
DOMINI D. JOHANNIS MICHAELIS.

LIPSIÆ,
IMPENSIS CHRISTIANI KIRCHNERI, Bibliop.
LITERIS CHRISTIANI MICHAELIS,
ANNO M. DC. LXVIII.

PB.ICB

PER-ILLUSTRIBUS AC GENEROSISSIMIS DOMINIS, DOMINIS,

DN. HENRICO, LIBERO BARONI à FRIESEN/

DYNASTÆ IN SCHöNFELD, PULZNAU, JESSEN ET GRAUPPEN, SERENISSIMI AC POTENTISSIMI ELECTORIS SAXONIÆ CONSILIARIO INTIMO, SENATORI PRIMARIO, COMITI ET CUBICULARIO EMINENTISSIMO,

DOMINO SUO PERCLEMENTI;

NEC NON

DN. CAROLO, LIBERO BARONI à FRIESEN/

DYNASTÆ IN RöTHAU, KOTTA ET GESCHWITZ, SERENISSIMI AC POTENTISSIMI ELECTORIS SAXONIÆ CONSILIARIO INTIMO, COMITI, ET CONSILII ECCLESIASTICI PRAESIDI, &c.

DOMINO SUO GRATIOSISSIMO.

PER IL-

PER-ILLUSTRES AC GENEROSISSIMI

DNN. BARONES,

DOMINI, DOMINI GRATIOSISSIMI;

VAriis morborum clientelis tyrannicis expoſitum eſt hoc divinioris animæ ergaſtulum. Qvàm primùm ex materno eluctatũ ſinu Solem intuetur, vel vitalem captat auram, à fletibus orditur vitam, præſagum infinitam morborum ſegetem præ foribus expectare, & ne horam qvidem ab inimicis illorum inſultibus fore tutam. Horum qvidam univerſum corpus, qvidam membra principalia, ſacram PALLADIS Arcem, CEREBRUM, & VITAE Fontem, COR, impetunt, ac extremam ruinam ſenſibus tùm internis, tùm externis, nec non ipſis SPIRITIBUS Vitæ noſtræ aſſertoribus, & reliqvis partibus externis intentant ac minantur. Hoc experitur IRUS, hoc CROESUS, hoc ACHILLES, nec HECTOR hôc expers eſt fatô. At inter nobilisſima hujus calamitatis ſolatia, qvibus ad ingruentium horum hoſtium conſtantiam animos obfirmamus, hoc unum reſtat, qvod Divina CLEMENTIA in hâc ſævisſimâ morborum tyrannide humanis necesſitatibus tantoperè conſuluit, ut Magnalibus ſuis expenſis ſingula & appropriata ſingulis etiam morbis ſubminiſtrârit remedia, à qvibus afflictum genus humanum exigente necesſitate deſideratum levamen haurire posſit. Ecqvis autem hæc citiùs, qvis expeditiùs, qvis feliciùs ad Medelam transtulerit, qvàm qvi ſingulorum morborum naturam, eorumqve cauſas & ſymptomata nedum habuerit perſpecta, ſed & præſentaneorum remediorum iſtiusmodi morbis congruentium copiâ inſtructus & juſtâ

juſtâ METHODO illis rectè & feliciter utendi adornatus in acie cum iſtiusmodi hoſtibus morbificis congreſſus,ſi non ſemper,tamen ut plurimùm palmam reportârit? Num forſan Theſſalus aliqvis audacisſimus hoc præſtiterit? Num tumidus alius, qvi de ſacro Medicinæ fonte vix tantum,qvantum Canis ſummis labris ex Nilo deguſtârit? Num alius carbonarius aut fumivendulus? Minimè iſti qvidē homines multū jactantiæ avaræ laudis,ſed parū Artis reſipiūt. Pulcherrimè hoc exſeqvi posſunt, qvi multùm in Naturæ Lycêo non ſaltem verſati, & in Apollinis Sacrariô educati,ejusq; ſectatores ſtudioſisſimi in perficiendâ MEDICINA totos Soles gnaviter laborârunt, ſed& ratione & experientiâ armati & inſtructi à morbis oppresſis auxiliatrices porrigunt manus,&,qvantum posſibile, ſanant, non ſine præviâ METHODI MEDENDI notitiâ, qvâ inſtar Ducis & Anteſignani in pugnâ Medicâ utuntur, qvâ ſingula adminiſtrant, diſponunt,fluctuantes animos per inextricabilem rerum multitudinem in ſemitam reducunt, & agendorum inexplicabilem definiunt modum! Sine hâc inanis eſt omnis MEDICINA, eſt incerta,inſtabilis, & infirma. Hæc ſola eſt,qvæ veros & genuinos diſtinguit ab Empiricis Medicis. Sine hâc Medicamenta ſunt inſtar gladii acutisſimi in manu furioſi,vel ſicuti fax accenſa in manu pueri. Hæc ſola oſtendit,utrum morborum curatio ſit aggredienda an ſecus?& qvid agendum,qvantum,qvando, ubi & quomodò, inculcat.Hæc pro morborum & cauſarum morbificarum diverſitate ac partium affectarum varietate Curationem variare, & unum ac eundem morbum in aliis atqve aliis partibus diverſimodè curare docet.

De hâc materiâ cùm præſens Opuſculum adornare, & ſuaſu & inſtinctu qvorundam Excellentisſimorum Medicorum, inprimis MAGNI ILLIUS D.D. JOHANNIS MICHAELIS νῦν ἐν ἁγίοις in luce publicâ repræſentare commotus fuerim, ſine Numine autem quôdam veluti tutelari hoc ipſum commodè fieri nequeat, PER-ILLUSTRES ac GENEROSISSIMI DNN. BARONES, Dnn. Gratioſisſimi, Clemen-

tiſſimarum Generoſitatum Veſtrarum humillimâ, quâ par eſt, reverentiâ Patrocinium ambit, hâc fiduciâ, fore, ut qvantò ampliora merentur Excelſiſſimi illi & Generoſiſſimi VESTRI animi, tantò modica gratioſius interpretaturi. Patiantur qvæſo ad Gratioſiſſimos iſtos pedes advolvi, & in ſubjecti animi ſymbolū gratioſiſſimè ſuſcipere, & contra inſidioſos & virulentos Zoilorum morſus, & effrenatam malevolorum rabiem, ac ferociam defendere, meqve Gratiâ Veſtrâ beare gratioſiſſimè dignentur.

DEUS ter OPT. MAX. PER-ILLUSTRES GENEROSITATES VESTRAS Spiritus ſui Sancti gratiâ clementer regat, protegat, nec non ad SERENISSIMI ac POTENTISSIMI ELECTORIS SAXONIAE Dn. Dn. NOSTRI CLEMENTISSIMI Incolumitatem, ad veræ incorruptæq; Religionis Tutelam, ad Subditorum Salutem, Incrementum, & Status publici Tranquillitatem, quàm diutiſſimè ſalvas, florentes & incolumes conſervet!

Dabam Hall. Saxon. d. 15. Aug.
Annô M. DC. LXIIX.

VESTRARUM CLEMENTISSIMAR. GRATIAR.

Humillimus & devotiſſimus

FRIDERICUS HOFFMANNUS, D.
Adminiſtrat. Archiepiſcop. Magdeb.
Medicus.

LECTO-

LECTORI BENEVOLO SALUTEM!

QVemadmodum ex Rerum Naturalium effectibus ob mentis noſtræ infirmitatem & ignorantiam admirandis Philoſophia ſeu Studium Sapientiæ ſuam traxit originem: ita Actionum Naturalium, quæ ſubindè ex humidi radicalis defectu oritur, impotentia ad MEDICINAM excolendam primum impulit ævum. Utriusqve cœpta tela, LECTOR BENEVOLE, Rationis & Experientiæ filo munita & ſagaci intellectus indagine ad finem perducta iisdem adhuc gaudet Principiis. Illius ſcopus eſt veritas; hujus ſanitas, in hâc tanqvã ſummo ægrotorũ bono totius MEDICINAE verſatur cardo, cum ipsâ nihil in naturâ qvod inveſtigemus dignius, nihil qvod excolamus fructuoſiùs nihil qvod cognoſcamꝰ jucundius ſit. Sed hoc opus hoc labor eſt. Hujus ſtudiũ tã amplũ, ut ferè videatur infinitũ. Taceo variarũ Linguarũ, & Artiũ notitiã ad hoc reqviſitam. Prætereo principiorum in Corporibus Naturalibus conſtitutivorum, generationum, corruptionum & tranſmutationum naturam indagandam & regni vegetabilis, animalis & mineralis ſympathias & antipathias explicandas, ne Iliada poſt Homerum. Non dicam de admirabili illâ corporis humani fabricâ omniumqve membrorum ſtructurâ, uſu & officio, ſaltem morborum genera, qvæ ſupra trecenta nominatim ſuo jamdum tempore prodita fuiſſe refert Plinius, exceptis generum ſpeciebus, eorumqve cauſas & ſymptomata cum ſuis ſignis ſi perpendamus, & vaſtisſimam illam remediorum ſylvam ex dicto triplici Regno deſumptam ſi examinemus, ſatis ſufficientia ſunt, ut majoribus non opus ſit documentis. Cum igitur hoc ſtudium MEDICUM tàm ſit amplisſimum, eò annitamur neceſſe eſt, ut, qvæ in toto MEDICINAE hemiſphœrio comprehenduntur METHODI ſuccinctæ beneficio in circulum redigamus, hoc eſt, ARTIS longitudinem ſuccinctâ Methodo ſuperemus, hâc enim unâ Dianæ lampade plus videbimus, qvàm alii ſine hâc aperto ſole. Hæc Amaltheæ cornu eſt, qvicqvid expetitur, largiter ſuppetit. Hâc qvi caret, in denſis ignorantiæ Medicæ verſatur tenebris, & infinitis eſt expoſitus errorum tricis. Qvemadmodum Nauta vaſtisſimo ratem Pelago crediturus ventorum cum immanisſimis fluctibus inter ſyrtes & infames ſcopulos certantium ſit ludibrium, decollatâ recuperandi portum ſpe, niſi pyxide ſit inſtructus nauticâ: Ita immenſum MEDICINAE Oceanum trajecturus certâ Methodi cynoſurâ ſi ſit deſtitutus, vanæ Praxeos ſit ludibrium,

&à

& à deſiderato portu & ſcopo non ſolùm aberrat,ſed & in plurimas in cur-
ſu Medico offendit remoras,& in cœcos incidit Mœandros. Medicaſtri A-
methodici magnum illum Artis Medicæ Oceanum ſæpè qvidem etiam re-
mis velisqve ingrediuntur,ſed ſine magnete, qvo ipſo acum animare & py-
xidem adornare poſſint nauticam : unde non vident videnda,nō navigant,
ſed errant,& in dictas incidunt remoras ac in varias præcipitantur tricas.

Sennertus de Conſ. & Diſſenſ. c.18. p.376.

Remoræ iſtæ ſunt inſignia ignorantiæ, qvæ poſſeſſores ſuos imbuunt inſci-
tiæ rubigine & multijugis immergunt periculis. Nobis ne idem eveniat,Ar-
tifices Mechanicos,qvi nunqvam absqve prævio in manu perpendiculo res
ſuas pertractant, imitaturi ſemper noſtram Medendi Methodum in mente
teneamus, juxta hujus normam omnes noſtras inſtituamus Medicationes,
& ſic præ Morionibus,Medicaſtris & Aniculis, qvæ ea ſæpè faciunt, qvæ ad

Laurent. Hoffmanno Patruel. meus de uſ. & abuſ. Medic. chymic.

necandum potiùs,qvàm ad ſanandum valere videatur,multum habebimus
eminentiæ,& cum Galeno *lib. 3. Meth. Med. 3.* hujus ſolius Methodi ope
eos jugulabimus morbos,qvos nec ipſi anteà curavimus, nec ab aliis curari
vidimus, Imo licet qvandoq; etiam exoptatus eventus morborum ſcil. cu-
ratio bonæ tuæ intentioni ſanâ Medendi Methodo innixæ non reſpon-
deat, nam

Non eſt in Medico, ſemper relevetur ut æger;
Interdum doctâ plus valet arte malum;

tamen ſi nihil omiſeris eorum juxta monitum *Hipp. lib. 6. Epid. ſ. 11. t. l.*
qvæ ex Methodo factitanda erant,à culpâ abſolveris. Unde etiam Boccha-
ris, Ægyptiorum antiqviſſimus Legislator, authore *Diodoro Siculo Lib. 1.*
cap. 82. lege latâ abſolvebat Medicos à culpâ, ſi ſacri Codicis normam,hoc
eſt, Medendi Methodum & normam longi temporis uſu firmatam & ab
optimis artificibus in curandis ægris obſervaſſent accuratè. Cum autem
hujus Methodi Medendi tractatione tum communium præceptorum *Hip-
pocratis* & *Galeni*, tum aliorum etiam *Veterum* ac *Recentiorum* ſatis plena
ſint monumenta; Et poſt eruditiſſimum CELSUM, qvi ſelecta horum no-
vis qvibusdam ſui ſeculi placitis illuſtriora effecit,nec alios,niſi qvi Claſſicâ
Authoritate niterentur,eſt ſeqvutus,nullum viderim,qvi illum imitatus ac-
curatiùs & nervoſiùs ea,qvæ moderno tempore Claſſica ſiunt & neceſſaria
etiam ſunt in Methodo Medendi,ſelegerit,& propoſuerit,qvàm ὁ μακαρί-
της WALLAEUS,Profesſione Medicus ingenioſiſſimus, apud Batavos &
Leidenſes nemini ſecundus, cujus Epiſtolæ de Motu chyli & ſangvinis ad
THOM. BARTHOLINUM perſcriptæ ſufficientiſſimi teſtes ſunt; Vir in
omni

omni Medicinæ parte manu & mente,imò ipſo opere exercitatiſſimus. Cujus obitum,jacturam Rei Medicae veluti graviſſimam non dolent ſolùm familiares & conterranei Tulpius,Lindanus, Kyperus,Bartholinus,Regius & Alii,verùm etiam,qvam unqvam terrarum videbit orbis,dolebit poſteritas. Placuit nobis,Lector Benevole, ſuccinctam ejus Methodi tractationem ad manus ſumere,juxtaq; hujus ſeriem Tractatum de Eadem Materia Dogmaticis, Paracelſicis,Helmontianis, Harvejanis Principiis illuſtratum,& elegantiſſimis Chymicorum floſculis adornatum reaſſumere. Qvamvis obſtrepera Vitilitigantium non defutura judicia maximè ſciam, exprobratura,me actum agere, & aliorum edecumatæ eruditionis Monumenta, qvæ ejusmodi rebus ſatis ſint referta, proſtare, adeoq; ſatiùs fuisſet Socratis ſeqvi ſilentium. Attamen cum ultrò fatentibus omnibus præter Theoreticæ, Practicæ etiam Medicinae atq; ſic Methodi Medendi ſtudium ſit inexhauſtum, nec in omnibus adhucdum ſatis exultum ; multa enim ſacro natura adhuc obtegit involucro,& ejus facies in mille repente Ceu Proteus converſa ſeqventem eludit, & angit Mœrentem ſeniiqve horas, caſſumq; laborem ; Videamus inſuper ejus claritatem à novis Medicinæ Phoſphoris indies magis magisqve illuminari & veluti Novorum ſiderum aſpectu augeri, tandem in mentem venit Nobis idem non licere non poſſe: modo & liceat interçà Lunæ vices qvaſdam ſubire,qvæ mutuatitiam interdum à Sole excipit Lucem formoſis comitata ſideribus, nec tamen ipſi in noctis decus ac remedium tenebrarum à naturâ repertæ ſua deeſt gratia. Venerandæ Antiqvitati ſuam dedimus in hoc Opere Reverentiam,illius monumenta evolventes, qvæ divinus Senex Hippocrates,incomparabilis Galenus,eruditus Arabs Avicenna,Latinus Hippocrates Celsus, & Alii reliqverunt, examinavimus, ubi naturam per naturam explicatam invenimus, nullius jurantes in verba Magiſtri ſubſcripſimus; Hiſce Neotericorum Placita accommodavimus, & optima ex optimis qvibusq; non ſuppresſis eorum, ex qvibus deſumſimus,nominibus,huc congesſimus,nullo alio fine,qvàm unicæ Methodi Medendi explanandæ,& alios ad ſimilem laborem incitandi ſtudio, qvod ſi ubiq; veritatem, qvam ſectatus ſum,non ſemper adſeqvutus fuero, veniam merebor; audendum enim ſæpè eſt,& veritas inveſtiganda, qvam etiamſi non ſemper aſſeqvamur,omninò tamen propius, qvàm nunc ſumus,ad eam perveniemus. *Galenus lib. de uſu reſpir. cap. 1.*

Intereà nec illorum,qvorum doctrinâ & operâ in hoc Libro uſi ſui-

mus,obliviſcamur;benignum enim eſt fateri per qvos profeceris; ſed gratias debemus immortales HARVEIO & RIOLANO: Illi,qvod novi inſtar Columbi in Microcoſmo univerſalem ſangvinis circulationem invenerit; Huic, qvod ceu Alter Veſpucius nova multa inventæ navigationi adjecerit; Sum̃is etiã mactandi Laudibus LINDANUS, SYLVIUS, PECQVETUS, CONRINGIUS, BARTHOLINUS, HORNIUS, RUDBECKIUS, qvi in circulatione illuſtrandâ, Lacteis lumbariis,thoracicis,vaſisqve lymphaticis pervęſtigandis Magnum etiam MEDICINAE Incrementum adjecerunt.

Nec ſilentio prætereundi ſum̃i & incomparabiles illi Practici,qvi partim ἐν ἁγίοις,partim in vivis ſunt D. JOH. MICHAELIS, BALTHASAR GLASSIUS, GOTOFREDUS MOEBIUS, JOHANNES LANGIUS, GUERNERUS ROLFINCKIUS, JOHANN. DANIEL HORSTIUS, D. D. VICTOR SCHNEIDER, THEODORUS SCHENCKIUS, & Alii,qvi hæc omnia ulterius non ſolùm excoluerunt,ſed & ad ipſam Medendi Methodum accommodârunt,ut qvomodo & qvatenus hæc nova cum Veteribus conjungi,ſimulqve doceri qveant, viam monſtrârunt. Horum tanqvam ſummorum in Praxi Ducum veſtigiis inſiſtens Priſca Placita Novis, Nova Priſcis accommodando neminem vitio mihi habiturum puto, ſi & CL. HELMONTII nova qvædam Paradoxa in præſentiarum examinavero,& quantum posſibile,tum veteribus, tum jam noviter inventis accommodavero. Certisſimum enim eſt, & qvantum pro virili aſſeqvi poſſum, nemini æqva judicanti alienum videbitur, illum Virum inter Primos etiam haberi,qui ſubtilisſimo ingenii acumine Veterum doctrinas intimè penetrando Medentium errores ſeculis prioribus incognitos illuſtraverint & à limine veritatis ſemoverint. Hoc tantùm in ipſo deſiderandum,utut fuit Vir acerrimi judicii, magnæq; Experientiæ, quod tam Paradoxis nimium ſtudens nimisqve credulus non pauca ab aliis communicata vel à Paracelſo tradita,antequam ipſe experiretur, collegerit & ſcriptis ſuis interſeruerit, quæ nil ſunt,niſi rationis entia,& ſuavia imaginationis,ſed vana,ludibria. Interim tamen in nonnullis talis Vir fuit, cujus ope ſubſequens poſteritas,uti palàm eſt,ſubinde ſingularia Naturæ & utilisſima Rei Medicæ jamdum invenit,& in poſterum etiam magis magisqve inventura erit. Admiranda eſt ſumma ipſius induſtria & indefeſſus labor,ſine quo nunquam potuerit Veterum Placita nonnulla per tot ſecula & in tot Scholis diverſarum Gentium ferè ſine contradictione intacta & indubia habita perluſtrare & tenebras à lumine ſequeſtrare. Et ſi qua ſunt Erronea,ut multa ſunt in ejus Scriptis,atrô notanda carbone,cogitandum, Herculem etiam fortisſi-

fortiſſimum pugnando cum tot hydris lernæis nonnihil labefactari & viribus exhauriri; Nam defectus DOCTRINAE HELMONTIANAE, qvotqvot ſint, inde emanâſſe obſervavi, qvod ex infelicitate ipſius ſeculi talem doctrinæ anatomicæ facem videre non potuerit, qvalem noſtrâ ætate ſumma induſtria inquirendi ulteriora corporum latibula prioribus incognita modo Laudatorum EXCELLENTISSIMORUM ac EXPERIENTISSIMORUM ANATOMICORUM accenderit, cujus ope morborum cauſæ non ſolùm accuratiùs quàm olim cognoſcuntur, verùm etiam citiùs, tutiùs & jucundiùs curantur. Ecqvis dubitet? HELMONTIUM, ſi hucusqve vixiſſet, & Anatomen meliorem & perfectiorem nobiſcum vidiſſet, ultrò ſuos errores emendâſſe. Plura adhuc latent in natura, qvæ inſpicienda oculorum aciem ſubterfugiunt, & tum demum emergent, ſi Microſcopiis noviter inventis accuratiùs avtopſiæ exponentur. Ulteriùs, ſi aliquibus hujus VIRI inventa inſipida videntur, ideò factum, qvòd laboribus Chymicis non adſveti judicando de iis multum aberrent, & mentem ejus apprehendendo invalidi æſtimandi. Iſtorum verò Laborum ope, indefeſsâ induſtriâ & ſummâ animi intentione continuatorum inſolitas & ante ipſum inauditas rerum tum Naturalium, tum Medicarum cauſas inveniſſe conſtat. Qvod autem ipſemet ſibi reſervârit ſuorum & quidem Nobiliſſimorum Medicamentorum præparationes, religio ipſi conjicio fuiſſe Philoſophorum Veterum more, ne fractor fidei ſilentii Hermetici videretur, & iſta pretioſa indignis communia fierent, remittens Studioſum Artis ad Doctorem Omnis Boni, à qvo & ipſe ſua Arcana Labore indeſinenti & ardentibus precibus acqviſivit pro exemplo aliis admiranda.

Floſculos deniq; quod concernit Chymicos Operi huic inſertos, fateri cogor, me in illorum Præparationibus & compoſitionibus genuinis inveſtigandis & acquirendis, anteqvàm horum omnium copia mihi facta eſſet, multum operæ ac impenſarum inſumſiſſe. Inprimis autem commendabilem ſe facit.

1. Tinctura aperitiva D. D. MOEBII ob volatilitatem ſuam ac puritatem, quæ utiliter adhibetur in omnibus viſcerum obſtructionibus & ſcoriis tartareis per urinam expellendis, fermentum unà ventriculi roborando, ejusq; appetitum excitando, unde in Scorbuto, malo hypochondriaco, calculo & podagra mira præſtat. Doſis eſt à guttis v. ad x. xv. xx. in vehiculo calido.

2. Spiritus Martis non venalis iſte communis, ſed volatilis ac ſtriatus,

qui meliorem puritatis ac ſubtilitatis gradum attigit. Nulla humorum eſt depravatio, qvæ per iſtum non ſuperetur. Inſignem habet vim ebullitionem ſangvinis ſiſtendi, vaſa obſtructa aperiendi, inflammabilitatem ſummorum prohibendi & ſitim ſedandi. Doſis eſt à gutt. iij. ad xv. xx. in potu vel aquâ fontanâ.

3. Tinctura Bezoardica cum Sp. Martis & Tartari ſummæ eſt efficaciæ in omnibus ferè affectibus tutiſſimè adhibenda tàm boni quàm mali moris. Doſis à gutt. v. ad xxx. vel XL. aut L.

4. Tinctura Bezoardica cum Spiritu volatili alkalico omnes imbibit aciditates Corpori hoſtiles, unde cachexiæ, ſcorbutus, varia febrium genera, Malum hypochondriacum, colica & paſſiones, imò ipſa Peſtis propullulant. Doſis eſt à gutt. v. ad xx. vel xxx.

5. Spiritus ant-apoplecticus & Epilepticus miræ ac ſingularis eſt virtutis in caduco expugnando & apoplexiâ per prophylaxin & therapeuſin abigendâ. Doſis eſt à gutt. x. ad xx. vel xxx. in vehiculo frigido appropriato.

6. Elixir vitæ, hoc indifferenter ut Naturæ Uniforme in omnibus ferè Affectibus citam, tutam ac jucundam præſtat opem. Doſis eſt à gutt. iij. ad x. xx. xxx. in quovis vehiculo ſumptum.

7. Specificum Cephalicum D. D. notæ eſt efficaciæ ac doſeos. Prout & Pulvis ejus anodynus. Magiſterium Cordiale. Ant-Epilepticum. Pulvis Dyſentericus. Bezoardicum Solare, Lunare, Martiale, Joviale ſeu anti-hecticum Poterii. Eſſentia anti-phthiſica Elixir Cephalicum, Pectorale Spleneticum, Stomachale Uterinum, &c. Quorum omnium virtus Lectori Benevolo conſtat, & horum copiam Tibi facere poſſum.

8. Sal Meum anodynum ad Morbum in Centro detinendum ſingulares obtinet vires ab omni narcoſeos ſuſpicione liberum ex ♀ proſapiâ oriundum. Doſis à gr. i. ij. iij ad gr. xij vel xv.

9. Sal anti-febrile album & rubrum nulli cedit in paroxyſmo febrili abigendo, dum fermentum febrile in primo qvaſi flore extingvit figendo ac præcipitando & poſtmodum per ſudorem ac urinam everrendo, hora una vel circiter ante paroxyſmum exhibitum pro ratione ætatis & ſubjecti à gr. iv. ad ℈ß vel ℈j. in liqvore convenienti. Rarò bis vel ter ſumitur.

10. Sal anti-febrile Emeto-diaphoreticum febres tollit per vomitum, ſeceſſum juxta per ſudorem, nulli æquiparandum Medicamento. Doſis eſt à gr. j. ad v. vel x. in brodio calido vel hauſtu cereviſiæ.

11. Spi-

11. Spiritus Cephalicus ſeſe commendat in omnibus Capitis affectibus etiam in Maniâ, Melancholiâ & ſoporoſis Affectibus. Doſis à gutt. xx. ad xxx. in appropriato liqvore.

12. EMPLASTRUM MEUM MAGNETICUM in ILIACA PASSIONE ex Herniâ ortâ ſingularis operationis. Hiſce, LECTOR BENEVOLE, fruere ab omnibus affectibus ſincero & defecato animo. Quid ſi quædam ex his Tecum communicanda arriſerint, Me habebis, modo ſcirem, ne hiſce indignum & ingratum offenderem, ad omnia promptum ac paratum.

Faxit Divina Clementia, ut omnia cedant in Nominis ſui gloriam, Proximi ſanitatem & Noſtri emolumentum. Hall. Saxon. è noſtro Muſéo Menſe Aug. A. O. S. M.DC.LXVIII.

FRIDERICUS HOFFMANNUS, D.

JOHANNES MICHAELIS, D. & P. P.

Curioſis Philiatris

Salutem!

THeſaurus pretioſisſimus reconditus eſt in hoc Tractatu, ex quo opulentisſimas haurire poteritis divitias, olim in praxi proficuas, modò ſedulâ diligentiâ, diligentiqve ſedulitate legere eundem & relegere, ſicqve in ſuccum & ſangvinem convertere allaboretis. Nucleum fermè invenietis, non tantùm divinorum Hippocratis dogmatum, aut faſciculum ex Avicennæ viridariis decerptorum florum, ſed ſimul Paracelſi explicata myſteria, & vindicatas Helmontii elegantisſimas ſubtilitates in medendi methodo occurrentes. Nec vos deterreat adverſa horum Medicinæ Principum, qvâ interdum inter ſe pugnare videntur, facies, neqve enim quid dicat ille, hic verò neget, eſt attendendum, ſed ponderandum præmeditatè, veritatis an habeant conſonantiam, an verò falſitatis diſſonantiam, quarum exactisſimam ſuppeditabunt normam ac cynoſuram Ratio & Experientia, Artis noſtræ almæ inconcuſſa fulcra. Verum vero conſonat ubiqve, ſive ſit novum, ſive vetuſtate corroſum, perinde eſt, eodem ſplendet radio, modò à veritatis mutuatus ſit fulgentisſimo jubare. Nec quicquam refert, ſive Oedipo judice ſit prolatum effatum quoddam, ſive Davum ſalutet Auctorem, modò fuerit verum, eſt amplectendum. Amicus Hippocrates, amicus Paracelſus, amicus Helmontius, ſed magis amica veritas. Nec Medicina noſtra eſt Hippocratéa, aut Paracelſica aut Helmontiana, ſed qvæcunq; ab his rectè dicta ſunt. Cane atq; angue itaq; pe-

jus

jus fugite, O Philiatri, ingenii captivitatem, nulliusq; in verba jurate Magiſtri, libertatem philoſophandi auro æſtimate pretioſiorem, & æqvâ judicii lance quælibet ponderate. Non ſtatim abhorreatis ea, qvæ vetuſtatis ſapiunt rancorem, nec omne id hauriatis, quod novitatis præ ſe fert dulcedinem; ſæpius namque & gemma reperitur in putatitiis ſic quisquiliis, & venenum non rarò latet mortiferum, ubi quærimus medicinam. Attamen nec eæ ſolùm opiniones, quæ aliqvot ſeculorum numerant ætatem, vobis placeant, ſicut neq; nauſeam movere debet, heri aut nudius tertius à fœcundo ingenio excluſa ſententia; quoniam & ea, quæ jam omnia ſunt nova, aliquando futura ſunt obſoleta, & vetuſtate jam attrita ſanè olim fuêre recensnata. Quis rejiciat modernorum Anatomicorum artificiosâ manu detecta inventa, utut obvoluta per tot ſecula fuerunt tenebris, & quæ Vulcanus chymicus ædificare & deſtruere valeat, omnium ferè ſenſuum addiſcimus argumento. Cæterùm & in his ipſis ne quid nimis, fallunt perſæpe & falluntur ſenſus, unde in adjutoriũ vocetur ratio, & experientiæ expectetur confirmatio. Hoc interim aſſero, ſi in transactos à me annos remeando perluſtro Medicinæ progreſſum, quem repræſentabat, cùm tyro primùm ejus ingrederer arenam, eumq; emeritus exactiùs paulò cum hodiernâ ejusdem confero facie, politisſimam deprehendo ejus venuſtatem, & adhuc politiorem videbitis jamdudum me defuncto. Hoc itaq; veſtrum ſit ſtudium, hic veſter labor, ut neq; probetis neq; reprobetis quicquam ſive antiqvum ſit ſive novum, niſi qvod verum eſſe, aut omninò certiores ſitis, aut ſaltim vobis perſvadeatis. Habetis hac in parte Præceſſorem ſimul & Manuductorem laudatisſimum Dominum D. HOFFMANNUM, hujus Libri Auctorem, qvi ſi in gratos collatum videbit beneficium, poſt hunc primum ingenii ſui partum, inpoſterum, ſi divinus favor annuat & vita ſuppetat, ſimiles nec minùs concinnos in veſtram utilitatem excludet fœtus. Valete. Dab. è Muſêo d. XV. Auguſt. Ao. O. R. M. DC. LXVI.

CLARIS-

CLARISSIMORUM VIRORUM
Judicia & Monitoria ad hunc Tractatum edendum.

MAgnam expectationem peperit in animis Medicorum Methodus Tua Medendi. Dudum illam decoràſſem carmine qvodam, ſed tantæ occupationes impediverunt partim, partim ſterilis vena in magnis expediundis exareſcit. Laborem Tuum amplector. Perge & publicum bonum cura.

Jenæ 1. Julii Ao. 1668. GUERNERUS ROLFINCKIUS, D.

COmmendationem Tuam, quantum potui per otium, perluſtravi, & dignam ſanè judico, ut lucem quàm primum videat, nullus dubito, quin ſummo fuerit Medicinæ cultoribus emolumento. In cœpto ſtudio pergas, &c.

Jenæ d. 3. Maji Ao. 1663. GOTHOFREDUS MOEBIUS, D. P.P.

EXCELLENTISSIME VIR, quoad Compendii WALLÆIANI ſuccinctam eruditionem Commentarii Tui fuſam enucleationem, quæſtionum plurimarum enodationem, ut & floſculorum inſperſionem, exiſtimarem certè, injuriam pati Scriptum hoc, ſi occultum maneret. Sunt enim, qui prolixiorem, ſunt &, qui ſtrictiorem legendi amant Methodum, ita paràſti ferculum pro palato utriusque non ſine laborum impendio, non etiam ſine Medicorum commodo ad DEI gloriam.

Hall. Saxonum
d. 29. Aug. 1665. ANDREAS NITNER, D.

LItteras tuasque unàque Tractatum de Methodo Medendi à Te conſcriptum rectè accepi, eumq; ſingulari diligentiâ elaboratum & quamplurimis cautionibus judicio acri interſeptis exornatum Medicinæ cultoribus utilisſimum fore deprehendi, ideoque ut eum propediem in lucem edas, non disſuadeo.

Gotæ 30. Auguſti
Ao. 1663. T. BALTHASAR GLASSIUS, D.

CUm Tractatum hunc ſummæ diligentiæ dexteritatis maturiorisque judicii fœtum eſſe ſentiam, utilisſimum Studioſæ Juventuti & Medicinæ ſanioris cultoribus, ut eum quàm primum in Lucem emittas, velim, fiet id multorum Medicinæ Cultorum Commodô.

Idem Gotæ d. 6. Julii.
Ao. 1665.

LIBER I.

CAPUT PRIMUM DE PRÆCOGNITIS METHODI MEDENDI.

CUm ἕκαστον γνωρίζομεν διὰ τοῦ ὁρισμοῦ. *Philoſ. 2. Metaphyſic. 3.* Unumqvodq; , qvod cognoſcimus , per DEFINITIONEM fiat, qvæ eſt πάντος ἀποδείξεως ἀρχὴ *1. de Animâ t. 11.* tanqvam caput præſentis tractationis *DEFINITIONEM METHODI MEDENDI* DEO auſpicante præmittimus, qvæ eſt *Ars inveniendi per indicationes Auxilia , ut labefactata Corporis humani ſanitas reparetur,* breviter alii *eam per Doctrinam Indicationum* definiunt.

GENUS facimus *Artem*, qvia Pars eodem cum Toto gaudet privilegio. Univerſa Νοσοκομικὴ cum Univerſâ Medicinâ, qvæ non contenta inani Mentis Phantaſmate Opus qvoddam in Senſus incurrens, Sanitatem ſcilicet producit, & ad Medelã, qvę conſtat ex Remediis, ſeſe componit, id qvod Naturæ Artis eſt. *Ariſt. Ethic. ad Nic. Lib. 6. cap. 4.* Per indicationes; intelligimus non ſolùm illas, qvæ â morbo ſumuntur, ſed etiam, qvæ â cauſâ Morbificâ, qvæ ſæpè in indicando primas tenet, propterea qvod ſæpius non tantum illud, qvod factum eſt, tollendũ, ſed &, qvod futurum per cauſæ ablationem, ne fiat, propulſandum ſit, ut docet *Galenus lib. 10. Meth. cap. 1.* qvia fruſtrà laboramus in curando Morbo tunc temporis, ubi cauſa ejus fovens negligitur.

DIFFERENTIAM conſtituunt *FINIS, SUBJECTUM* & *MEDIUM. FINIS* vel *Internus* eſt, vel *Externus*. Internus eſt *inventio Auxilii*, quo labefactata Sanitas recuperatur. *Gal. lib. 2. Meth M d 7.* Externus ſeu ultimus eſt ipſa *Valetudo.*

SUBJECTUM eſt Corpus humanum *ſanabile*, cui auxilia ſuccurrere debent; Et duplex eſt, vel *Materiale*, vel *Formale*; Illud diciturRes conſiderata, & eſt Corpus humanũ, divinum illud ſuppoſitum, plenum Rationis & Conſilii, univerſi hujus Miraculum magnum, horizon æternitatis & temporis, Totius Univerſi nexus. *FORMALE* ſubjectum ſive Modus conſiderandi eſt Corpus humanum qvatenus ſanabile, *Ariſt. Libr. 1. Rhetor. ad Alex. cap. 2.* qvod denotat illud, qvod ad Sanitatem movetur, vel moveri poteſt, ſeu qvod habet materiam cum potentiâ ad actũ, qvi eſt Sanitas vel Sanatio.

MEDIUM ſeu PRINCIPIUM inveniendi Auxilia ſanativa eſt INDICATIO. Sunt autem AUXILIA Media, quæ tutò ſine recidivæ Metu vel Corporis injuriâ, jucundè abſqve nauſeâ vel moleſtiâ nimiâ, & citò ſine procraſtinatione Corpus ſanabile curare debent. Nec ſatis eſt Remedium inveniſſe, niſi etiam, qvâ ratione uti debeas, cognoveris, aliàs enim inſtar gladii erunt in manu furioſi. *Gal. de V. S. cap. 1. & Meth. Med. 14. 1. Epidem. comm. 3. cap. 29.*

CAPUT II.

Qvibus METHODUS MEDENDI abſolvatur?

Authores in Vocabulo Indicationis, Indicantis, Indicati, Coindicantis, Contraindicantis &c. præter rem & uſum ſtudioſæ juventutis nimis verboſi ſunt. Alii inde indicationum memores cum ſex Capitibus qvæſtionum prius deliberationem inſtituunt ſeqventibus. An ſcilicet curatio tentanda ſit? qvid agendum, qvantum, qvando, ubi, & qvomodo? Nos CL. WALÆI ductum ſeqventes, commodè omnem curationem hiſce tribus qvæſtionibus abſolvi poſſe putamus.

I. An Curatio ſubeunda vel inſtituenda ſit?
II. Qvid agendum?
III. Qvomodo, & per qvæ Medicamenta?

Primum illud Multis primò aſpectu mirum videri poteſt, qværere nempe, An Medicus curare debeat? Utpote Cujus *FINIS* intermedius eſt *CURATIO*. Verùm re benè penſitatâ ex re Medici eſt & Ægri curam interdum prorſus non aggredi, ſed manum de tabulâ tollere.

E re Medici eſt, non aggredi illos Morbos, qvi prorſus lethales ſunt, ſic enim Medicus morituros prænuncians culpâ vacabit. *Hippoc. Lib. 1. Prognoſtic. t. 4.* id qvod dilucidâ oratione explicuit Latinus Hippocrates *CELSUS lib. 5. cap. 26. t. 1.* Eſt enim prudentis hominis, primò eum, qvi ſervari non poteſt, non attingere, nec ſubire ſpeciem ejus, ut occiſi, qvem Sors ipſius peremit; Aliàs

Aliàs enim ob inſcitiam Partis Prognoſticæ,qvæ magni eſt adCurationem momenti, ſine qvâ nullus Medicorum rectè curare poteſt *Gal.10. Meth. Med. cap. 6.* Medicus nominis ſui exiſtimationem acAuthoritatem Vulgi rumori exponet, & Medicamenta aliàs optima hiſce deſperatis Morbis applicata ob denegatū eorum effectum infamabit.

E re Ægri; Primò *ratione Morborum,* ſi Natura ſuccumbat exMorbis deſperatis, qvalis *Cancer exulceratus, Phthiſis confirmata, Maraſmus torridus, Hectica Senectutis, Apoplexia fortis,Vulnera viſcerum Principalium, Sphacelus, Convulſio ex ſiccitatè, & in tertio gradu Hydrops inveteratus;* Hos enim ſi curare aggrediaris,Medicamentis inutiliter præſcriptis, ægroti familiam exhauries. Deinde *ratione Symptomatum*; accidunt in qvibuſdam deſperatis Morbis Ejuſmodi Symptomata,qvorum ſublationem Mors preſſo ſequitur pede, e. g. laboret aliqvis Hydrope inveterato, accedant in fine vigiliæ perpetuæ, has qvi Laudano Opiato curare velit, ille ægrotum jugulabit, qvemadmodum aliqvot ante annos cum nonNemine accidit Erffurdii, qvi hoc modo ad plures ivit, dū ſomnum promovendo ac Spiritus vitales ſopiendo adauctâ dyſpnœâ Suffocatio accelerabatur. Tertiò ratione *Temporum Morborum,* ſi Medicus ad ægrotum vocetur,Morbum autem eo in ſtatu inveniat, ut jam iñ declinatione ſit, fœlix qvidem iſte eſt Medicus,qvi tunc vocatur, ſed ſi â Curatione non abſtinet, inutilibus impenſis ægri familiam exhaurit,& ſic impingit in Chriſtianam Charitatem. Qvartò *ratione Remedii,* dantur qvidam Morbi,qvi Ejuſmodi remedium poſtulant, qvod pejus eſt ipſo Morbo, ſic Varices & Ulcera ſponte in cruribus enata facilius tolerantur, qvàm temerè curantur, niſi qvis in aſthma,hydropem & cachexiam incidere velit.

Verumenimverò ſummâ hâc in parte Cautione & Medici Prudentiâ opus eſt. Cum hæc Ars Prognoſtica ſummè difficillima & obſcuriſſima ſit,fit ut plures vel peritiſſimi Medici in præſagiendo cœcutiant, & vacillent; ideoq; videndum Primò: An aliqva adhucdum affulgeat ſalutis Spes; qvando enim poteſt vita ad tempus ſaltem produci, cum Prognoſtico agendum aliqvid eſt, & im primis ſi æger & adſtantes adeò â Medico auxilium implorent, ut illud absqve magnâ crudelitatis notâ denegare non poſſit; præſcribendū tunc temporis remedium aliqvod, qvod omnibus qvidem notiſſimum, ne poſteà,cum aliàs æger mori neceſſe habeat, hæc Mortis acceleratio Medicamento adſcribatur;ſed non leve ſit, ne infamemus Præſidia,qvæ multis fuêre ſaluti, ut ait *Galen. 11. Meth. 19.* & utile hîc eſt conſilium

Thucydidis, aliqvid agentes periclitari; qvibus enim alia ſalutis ratio non affulget,& qvæ unica videtur,ea dubia eſt, neceſſum omninò erit adverſus pericula ire; & qvanto ſatius eſt aliqvid nonnullâ fiduciâ vel cũ periculo facere,qvàm ſpe ademptâ certò perire, tanto utiqve ſatius erit, potentibus præſidiis pugnare, qvàm nihil agere; qvia melius eſt monente *Celſo lib. 2. cap. 10.* anceps experiri remedium, qvàm nullum, cum multi mirabiliter ſanentur *ex Avic. 4.4.tractat.2 c.10.* & interdum in deſperatis caſibus benedictio divina luculenter præter omnẽ ſpem, dum ex officio ſæpius extremè laborantibus ſuccurrimus,nobis apparere ſoleat, ut ſæpè accidant Monſtra in Arte, qvemadmodum in Naturâ juxta *Averrh.7 Collig.c.31.* Sin autem adſtantes contradicant & ægroti nolint parere, ſatius eſt Medicos intempeſtivè nihil facere. Sed qvâ ratione poſſit Medicus Patientis ſtatum cognoſcere, docuit *Galenus.2. Progn.6.* inqviens:Sumam „totius præſagii in morituris aut con„valituris eſſe,qvoties vis ægrotatio„nis cum ægri facultate confertur. Si „enim Morbus vehementior eſt,æger „omninò morietur: Si debilior qvàm „ægri facultas, liberabitur. Vid. *Gregor.HorſtiumLibr. 11,in Miſcell. obſ.8. p.m 534.* Benè tamen Facultas ægri languida ſeu reſoluta ab oppreſſa diſtingvenda eſt; haud enim rarò à Plethorâ & Cacochymiâ premitur. Deindè ſciendum eſt,An MorbusAcutus adſit? Nam *Hippoc. l. 2.ſ. 28.* docet, Acutorum Morborum non eſſe certas prædictiones ad Salutem vel Mortem, eo qvod ſubita fiat in indicatione permutatio,qvęNaturã ſeqvitur MateriæMorbificæ, dum ex uno loco velociter fertur ad alterũ. Unde Medicus ob plurima,qvæ præſagitionem in acutis interturbant, cautè præſagire debet: Hi enim tot habent ad bonum vel malum mutationes, qvot habetAutumnalis diei hora. Qvare,qvæ erant in gaudio, mutantur ſæpè in triſtitiã & pœnas.

Tertiò, Plures ſunt Morbi, qui ab humoribus diverſis,contrariis,& inſtabilibus ſcaturiunt,iisq; vel acidis, amaris,fixis vel volatilibus,in qvib9 præſagia de Salute &Morte incerta, ambigua & fallacia ſunt. Qvid qvod teſte *Galeno lib. de Art. Med. conſtit. cap.18.* nec ea qvidẽ omnia, qvæ ex Morbi ratione proficiſcuntur, certò prænoſci poſſint, cum repentè poſſit ſuperfluus qviſpiã ſuccus in corpore interius in partem aliqvam Principalem defluere: poſſit etiã contrà ab aliquâ principe parte impelli ad ignobiliorem. Et ſubinde erit neceſſe, ut is,qvi in principem partem fertur, extremum periculum, qvi verò ab eâ repellitur, repentinam & inopinatam ægrotanti Salutem præſtet.Et in contrarium ſæpè accidit, ut, de quibus Medici erant

erant ſecuri, moriantur, ut optimè monuit *Celſus libr. 2. cap. 6.*

Qvartò Sæpè etiam incertæ fiunt prænunciationes ad Salutē vel Mortem ob externas cauſas procatarcticas, qvæ inopinatò ſupervenire ſolent, & Criſeos certitudinem corrumpunt; ut ſi qvempiam ægrum Medicus evaſurum ex ſignis certis prædixerit, qvi poſteà infauſto ſuperveniente nuncio nimiâ triſtitiâ affectus moriatur. Aut ſi certâ aliqvâ die ſolvendum Morbum prænunciaverit, deinde ægrotante contra Medici præceptum in aliqvo delinqvente, aut ab aſſiſtentibus errato aliqvo commiſſo, ultra deſtinatā diem prorogetur judicium, ſi Morbus ſalubris eſt; aut antè adveniat; ſi Morbus eſt lethalis. His enim accidentibus nihil certum præſagiri poteſt. *Galenus. libr. de Art. Medic. conſtit. l. c.*

Qvapropter Medicus, monente *Roderico à Caſtro in Medic. Politic. Lib. 3. cap. 7.* in prognoſticis, niſi certiſſima & infallibilia Salutis aut Mortis indicia adfuerint, ſit ambiguus, in promiſſionibus moderatus, & ſanitatem qvidem promittat, ſed nunqvam certam, ne DEUM offendat; ſi enim ſanus & robuſtus certus non eſt de craſtino, tanto minus æger & infirmus: abſurdum qvoq; in promiſſione non excipere cauſas Naturales, & adjuvantes, ut obedientiam ægri, & diligentem remediorum applicationem: impium verò non excipere Cauſam ſupremā, à qvâ cuncta inferiora diriguntur, conſervantur & pendent, divinam ſcilicet voluntatem; Stultiſſimum autem non excipere caſûs fortuitos, ad bonum, vel ad malum, qvi qvoniam poſſunt, uti diximus, ſanis accidere, multò magis ægrotis impendent. Et ut Medicus officio ſuo & demum ſuæ exiſtimationi apud vulgus ſatisfaciat, in caſibus dubiis ſemper qvoad prognoſin prætendat *Hippocratis* θανάσιμον lethale, κακὸν malum, μοχθηρὸν perverſum & ἐπισφαλὲς periculoſum. Et hæc pro ratione ſtatus Morbi acuti & maligni ob dictas cauſas cautè obſervet, ne ſi aliqvid certi prænunciat, ipſe ægro, & adſtantibus deriſui & contemptui ſit. Vid. *Zacut. Luſit. Lib. 1. de Medic. Princip. hiſtor. dub. 41. & Roderic. à Caſtr. l. c.*

CAPUT III.
Qvid agendum MEDICO?

Nos, præſuppoſitis & poſthabitis illis omnibus, qvæ aliàs Medicū ornant, reqviſitis, inſtituto noſtro parùm conferentibus, (de qvibus tamen conſulendus *Zacut. Luſit. in introit. Medic. ad Prax. Roderic. à Caſtro in Medic. Politic. Lib. 3. cap. 5. D. Freytag. in Noctib. Medic. cap. 2.*) de illis tantùm, qvæ Medico, anteqvā ægrotis ſanitatem, ſymptomatum mitigationem & Morbi curationem

promittat, obſervanda & agenda incumbunt tractaturi ſumus. Et cum *Hipp.* anteſignanus Noſter *Lib. de Affect. tit. 36.* qvinq; interrogata Medico, cum ad ægrotum devenerit, proponenda injungat, imo inqvirendo *qvid doleat?* 2do *ex qvâ cauſâ*; 3tio *qvot diebus*; 4to *an Alvus ſecedat?* & 5to, *qvô victu utatur?* eadem multiplici interrogatione ad ægrum & adſtantes factâ celeri cogitatione percurrere debet, *ætatẽ* inſuper, *ſexũ, temperamentũ, conſvetudinẽ, anni tempora, aëris conſtitutionem loci ac regionis rationem, vires, & an* aliqvid *Divini* inſit examinando;

Ex primo qvæſito ideam ſeu Eſſentiam Affectus Medicus cognoſcit, ex cujus cognitione primò Remedii genus & qvalitas, frigidumnè an calidum eſſe debeat, humidum aut ſiccum, ipſi innoteſcit *Gal. 2. Meth. 7. & lib. 3. c. 1. & 1. de rat. vict. text. 3. & 4. 1. tract. 2. cap. 7.* Ex Morbi magnitudine ad remedii qvantitatẽ devenit; Qvod ſi autem disjunctus & diſparatus Morbus adſit, ſuam qvisqve ſeorſim Medendi rationem reqvirit, eò annitendo, ut cuiq; ſua remedia ſpecifica applicentur; nihilqve refert, utrum ſigillatim an pariter cures, & cuinam primùm aut poſteriùs remedia decernas. Impliciti verò & Compoſiti non niſi ſummâ cautione & accuratâ methodo exſtirpari poſſũt, vicinis enim & adjacentibus partibus inhærentes, ut ipſarum actiones impediant, non propriam ſeorſim admittunt curationem, Multò magis eſt Compoſitorum Morborum implicita ſanatio; nam cum uni eidemq; parti penitus inhæreant, & in unum coëant, qvodcunq; remedium unumqvempiam, idem cęteros qvoq; pariter attinget. Cum igitur neq; compoſitis neqve implicitis ſingulis liceat propria ſeorſim accommodare remedia, & omniũ curatio eodem tempore probè adminiſtrari neqveat; Medicus Methodum excogitet, qvâ ſuũ cuiqve ordinem præſtituat, & qvid primô, qvid ſecundô, qvid tertiô qvartôve locô ſit ſanandum. *Fern. Meth. Med. Lib. 1. cap. 5.* Deindè ex Affectûs internotione animadvertitur etiam Pars Affecta; nam cita, ut *Heliodorus* ſcribit, partis affectæ cognitio expeditam illius & facilem reddit curam & tunc commodiùs remedia applicari poſſunt; Cum enim diſpoſitio per conſenſum firma nondũ ſit, nec ſtabilis, ad primariæ Curationem ſanatur, ſic læſo capite ob ventriculi conſenſum priùs ventriculo ſuccurrendum, qvàm Capiti adhibeantur remedia: Qvod ſi in permanentem Capitis tranſierit affectum, non modo ventriculo, qvi primariò laborat, ſed & Capiti ſecundariò affecto applicanda ſunt medicamenta, nullâ factâ inqviſitione, Cerebrumnè an potiꝰ ejus membranæ afficiantur, qvia nulla ex eô ſit

ſit in curatione varietas, ſed utrobiqve capiti præſidia imponuntur: adeoq́; ex hâc primâ qvæſtione acqvirit Medicus notitiam de parte affectâ, qvæ κατὰ πρωτοπάθειαν, & qvæ κατὰ συμπάθειαν affecta ſit; qvæ humidiora, qvæ ſicciora, qvæ acria, qvę mitia ob εὐαισθησίαν ferat Medicamenta; Sic oculus & os ventriculi vehementia non ſuſtinent; Et novit, qvomodo doſis varianda, ſi pars afflicta longè diſtet à ventriculo, vel in alto corpore demerſa lateat, & cui parti remedia ſint aptanda: ſiqvidem Medicamentum affectæ parti, qvàm proximè licet, adhibendum, & prius ei, qvæ primario affectu laborat, applicandum eſt. *Zacutus Luſitan. Introit. ad Prax. præcept. 64. Jul. Cæſar. Claudin. de ingreſſ. Medic. ad infirm. Franc. Valleriol. Libr. 4. obſerv. 5.*

Secunda qvæſtio Cauſæ nomine venit. Eſt autem, ut notum ex Inſtitutionibus Medicis I. Cauſa Synectica, ſeu Continens, qvæ & Conjuncta dicitur. II. Prohygumena ſeu Antecedens, & III. Procatarctica ſeu Primitiva. Venerandus Senex harum qvamlibet intelligit, & ideò cujuslibet diligens vult & accuratum examen cum ægro & adſtantibus Medicum debere inſtituere. Ex cauſâ enim cognitâ idea etiam Morbi cognoſcitur, ſic, ſi qvis diu vagatus fuerit aperto capite ſub aëre calidiori, ac de capite conqveratur, neceſſariò caput intemperie calidâ laborabit, & ſic cognitâ causâ illâ externâ aëris inqvam caliditate ſtatim ſpecies Morbi calidi caput affligentis innoteſcit. Deinde patet etiam aditus ad ipſam Curationis inventionē, qvia Indicatio Curativa Intentione & exſecutione in Medendi Methodo à causâ deſumitur; Omnis enim cauſa prius qvàm Affect9 removeri debet, poſitâ cauſâ Morbificâ ponitur ipſe Morbus & ſublatâ cauſâ tollitur. Sin ſeqvi9 feceris, & cauſâ neglectâ Morbum adoriaris tantundē Cauſa proferet, qvantum Morbi abſumſeris. Et qvamvis Affectus qvandoq; levior ſit, non tamen Ejus perfecta ſuccedet Curatio. Qvemadmodum cognitio, inqvit *Valleſius in comm. Epidem. Libr. 2. ſect. 4. p. m. 182.* incipit â poſtremis h. e. â Symptomatibus, & ab iis procedit ad Affectûs Eſſentiam, & ad cauſas proximas primū, deinde remotas usq; ad primas: Ita Curatio incipere debet ab Indicationibus Cauſarum, primarum primùm, mox proximarum, deinde Affectûs, tandem Symptomatum, ſi qvę ſunt, qvæ non tollantur ſimul cum Morbo; oportet ergò in Curatione rationem habere prius cauſæ, qvàm Affectûs. De cætero, ſi Morbus in fieri non firmâ ac ſtabili inhærentiâ ſubſiſtens, ſublatâ qvidem cauſâ ut plurimùm auffertur, at ſi in facto & ortu qvaſi novo continuò propullulet, tunc Cauſæ ſublatio Affectum

non

non removet. Et differenda ſæpe etiam, ſi vehemens aliqvod urgeat Symptoma, aut ipſe Affectus adeò gravis ſit, ut cauſæ ablationem expectare non audeas. Sic in Peripnevmoniâ derelictâ cauſâ ipſe Morbus incendium illud prius eſt extingvẽdum. Accidit inſuper, ut concatenata qvandoq; ſit Cauſarum ſeries, in qvâ alia ex aliâ dependet, & tunc ſuo qvæq; ordine demenda erit; In indagando & cognoſcendo affectu ordiri conſultum â Cauſâ continente ſeu conjunctâ: Qvando autem omnes Morbi Cauſæ reſpectivè conſideratæ in aprico ſunt, initium Curationis â cauſâ procatarcticâ ſeu primitivâ faciendum, ab hâc ordinatim ad cæteras, & poſtremò ad ipſum Morbum progreſſus faciendus ſuo cuiq; objecto contrario; Sic e.g. incidat aliqvis in Choleram ob longũ & immodicum calidorum eſculentorum & potulentorum uſum, ſanè neq; Cholera neq; ejus Symptomata ſedari poterũt, niſi ſublato fermẽto digeſtionis vitiato, hoc fruſtrà tollitur, niſi, unde hoc oritur, humorum bilioſorum colluvies emendetur; hæc emendari non poteſt, qvamdiu alimenta impura & calida Ventriculo ſuppeditantur. Ideoqve niſi urgeat qvippiam, primùm prohibẽdæ ſunt cauſæ evidentes, qvæcunque impurum Chilum ſubminiſtrant; mox leniter expurganda per vomitum omnis colluvies, qvę vitio ſum fermentum ingenerat, ad poſtremum, ſi qvid Symptomatum derelictum fuerit, cum degenerantis fermenti extinctione tollendum eſt. Cauſa conjuncta ægro & adſtantibꝰ ſæpè licet non ſit nota, mediante tamen cauſâ antecedente implicitè & confuſè nota fieri poteſt. Et qvanqvam illi eam ut talem non cognoſcant, Medicus tamen diſcurſu à ſe ipſo facto eam aſſeqvi poteſt. e.g. Si aliqvis Morbo deprehenſus interrogetur â Medico, an paſſus ſit anteà conſvetam aliqvam ſangvinis evacuationem, qvæ poſteà cohibita fuerit, isq; reſpondeat, paſſum eſſe, & ab eâ ſuppreſſâ incidiſſe in Morbum, hic procul dubio ſangvinẽ ſui Morbi Cauſam novit, qvam Medicus veluti Antecedentem recipit, & ſuper eam facto diſcurſu conjunctam adinvenit. Ex Cauſis Externis ab ægro & aſſiſtentibus propoſitis Medicus facilè devenit in cognitionem Internarum, ſiqvidem hæ ab Externis aut generantur aut genitæ concitantur; e. g. Statuamus qvempiam moleſtâ cerebri deſtillatione urgeri, qvæ ex immodico excrementorum proventu ſit orta, hic verò ex frigidâ & humidâ Cerebri intemperie, qvam vel gelidi aëris occurſus, vel alimentorum refrigerantium uſus pepererit, ex hiſce procul dubio colliget Medicus, hunc uſum omnino illius dictæ intemperiei Capitis fuiſſe Cauſam. Qvando autem Cauſam Morbificam

bificam certò perſpicere & aſſeqvi non poſſumus, ſatius eſt ab illo curā incipere, qvod compertum eſt, qvàm juxta Fernelium anceps qvoddam exhibere Medicamentum, qvod nec proſit, nec obſit. Si Cauſam ignores, & ſcias Morbum, applica remedium, qvod Morbo contrariatur; Sic e. g. ſi qvis grumos ſangvinis evomat, & Cauſam ignores, applica remedium, qvod grumos diſſolvat ac unà vaſa conſtipet. Si Symptoma urgens proſpicis, præſcribe Medicamentum contra illud; ſic in Febribus ardentibus malignis virium exhauſtio antè omnia ad ſe trahit Medendi ſcopum confortantibus peragendum.

Sin autem Medico planè obſcura fuerit Morbi ſpecies, ut penitus cognoſci & perſpici neqveat, ad magna remedia non accedat, ne fortè aliqvis error committatur ægrotum in Mortem præcipitans, ſed ſaltem debilia vel communia tentet præſidia, vel rem totam Naturæ committat, confortantibus inſiſtendo, & tenuem victum aut inediam imperando; *Cave ne cures febrem*, inqvit *Avicenna 41. cap. 1. & 14. tract. 2. cap. 7. niſi cognoveris eam qvod ſi non cognoveris, ſubtilia regimen*; Nam Natura aut curabit eam aut manifeſtabit; Nam cùm inedia aut victus tenuis adhibetur, cum non diſtrahatur Natura â coctione, & ſit ſpecies evacuationis ex accidenti *4. Aph. 2.* concocta & diſſoluta materia morbifica, aut ſuperatur Morbus, aut fit manifeſtior: & humor, qvi eſt Morbi cauſa alimenti benignitate deſtitutus, ſincerior redditur, & ſui vim evidentiùs demonſtrat, ut Fernelius accuratiſſimè animadvertit *lib. 1. patholog. 14.* Qvare qvando Morbus ſecundum ſpeciem non cognoſcitur, ut ſi v. g. cognoſcatur, qvòd ſit febris putrida, ignoramus tamen, an ſit bilioſa, vel pituitoſa, victum tenuem præſcribere oportet. Qvod præceptum omnibus Morbis eſt commune: nam ut *Gal. docet 9. Meth. cap. 14.* Medicatoriæ Indicationes â Morbo ipſo deſumuntur, qvoniam, ut ipſe habet lib. 1. de aliment. facult. cap. 1. ad fin. affectuū cognitio eſt remediorum materia, *& lib. 3. Meth. cap. 7. in init.* monuit, remediorum inveniendorum initium ex Morbi Naturâ deſumi, cum abſurdum ſit aliud eſſe qvod curatur, & aliud, qvod curationem præſcribit. Sic docet *lib. 2. Meth. cap. 4.* ad fin. exemplo propoſito in affectibus ventriculi dicens, qvod, niſi prius inveniatur ventriculi affectus, fieri non poſſit, ut remediorum ſis compos; & ratio eſt, nam Morbꝰ ad ſui curationem contrarium reqvirit; Sed impoſſibile eſt unum contrarium cognoſcatur, qvin & alterum innoteſcat. Ergo impoſſibile eſt cognoſcere remediū contrarium, qvin Morbus ipſe cognoſcatur. Verum hæc benè qvidem

conſtant, & ex rectâ curandi Methodo ſunt deſumpta, ſi ſcilicet Morbus fuerit levis, inducias ferat, nec in procraſtinatione ſit periculum, ut ſibi ipſi dolore laboranti fecit Galenus Diætâ & Clyſtere admiſſo, qvibus imperatis expectare licet, num Natura vincat, an detegat Morbum. Qvod ſi autem illa Morbum non profliget, aut patefaciat, & in detegendo nimis ferietur, adſint Morbi acuti, magni, maligni cum vehementiſſimis ſymptomatibus ſtipati, nec ullas patiantur moras, ut ſummum in procraſtinatione adſit periculum, qvid tunc agendum? Certè remediis erit explorandus Morbus & offerenda Medicamenta, ex qvorum adminiſtratione periculum ægrotanti non immineat. Nam præceptum eſt inviolabile Hippocraticum *lib 6. Epidem. ſect. 2. text. 50.* Te ad hoc exerceto in Morbis, ſi nihil proficias, vide ſaltem ne noceas. Unde ipſe *Galenus*, cùm ex doloris ſpecie *lib. 2. de loc. affect. §. 5.* exiſtimaret ſe habere lapidem in altero Ureterum impactum, tunc oleo rutaceo cum utilitate uſus eſt per clyſterem injecto, qvia doloris Colici & Nephritici præſidia communia ſunt, & qvidem calorifica omnia ſive intus, ſive extrà ſint applicata; nam hi duo Affectus, anteqvam in initio exqviſitè internoſcantur, ſimilibus præſidiis levantur. Hoc modo anteqvam certius eſſet de plenitudine totius *lib. 6. Aph. 31. & 2. Acut. comm. 1.* fomentum in Ophthalmiâ tentandi gratia applicuit, auxilium ſanè curatorium & diagnoſticum. Nam ſi adhibito fomento dolor augetur, ſignum maximum, qvod in corpore lateat humorum redundantia, inſigni vacuatione curanda; ſi tamen contrà contingit, fomenti uſus eſt accommodus valde. Sic in præſentiâ humoris calidiſſimi in Juvene palæſtræ perito *l. 9. Meth. Med. c. 4.* ſangvinem usq; ad animi deliqvium emiſit, licet de exqviſitâ febris ſpecie certus non eſſet. Eâdem cautelâ uſus eſt *l. 1. de loc. 4.* in hiſtoriâ cujuſdam ægri; Cùm enim ex cruditate certò agnoſceret locum affectum, qvem cruditas ipſa monſtrabat eſſe ventriculum; ex nidoroſo autem ructu calorem excedentem eſſe, in causâ tamen eâ moderatione orſus eſt curationem, ut omnibus proſpectis, & ventriculo affecto, & calidæ intemperiei unà occurreret. Ac tandem mordacem humorem immerſum eſſe, & imbibitum fuiſſe tunicis conjiciens exhibitâ Hierâ, qvæ ad hos humores ab inteſtinis educendos aptiſſima eſt, ægrum ad perfectam ſanitatem deduxit. Idem ferè qvotidiè accidit, ut imminentium Variolarum aut Morbillorum febris, anteqvam plenius erumpant, qvoad ſpeciem ignoretur, interim nullum hîc Medicus committit errorem, qvi ſtatim bezoardicis

tempe-

temperatis ac Cordialibus ipſi obviam it, donec dicta exanthemata cōpareant, ut magis ſpecifica poſtmodum ſubjungat expellentia & malignitati reſiſtentia. Illis, qvi de ſuâ Catholicâ Medicinâ ſeſquipedalia faciunt verba, & Antimonii lilio, Arc Veneris, Glauræ Augurelli totam Morborum cohortem in unitatem Archéi tanqvam in pugnantem pugnam contrahere ſatagunt, res facilis eſt expeditu. Acutiſſimus *HELMONTIUS* cum unicâ falce amputet omnium Febrium cauſam occaſionalem, Præcipitato diaphoretico *Paracelſi*, & ipſi omnes Morbi ſanentur indifferenter unico remedio, magni non æſtimat momenti Species Febrium & Morborum, illorumq; diverſitates juxta materiæ morbificæ proprietates & partes affectas curioſè indagaſſe. Alii haut inconvenienter in ejuſmodi Morbis dubiis, ubi ſtatim ab initio nondum de illorum ſpecie conſtat, præmiſſis præmittendis ſolis confortantibus inhærent, donec exactè cognoverint, qvam exactam notitiam aſſeqvimur in ſecundo die, vel omnino in tertio, vel in qvarto. *Gal. Lib. de Criſi cap. ult.* Sic in Febribus; qvalescunqve fuerint, rectè ab initio Salia antifebrilia, bezoardicum Joviale, Martiale, aut Solare, item Tinctura bezoardica exhiberi poſſunt, & pro confortatione offerri Magiſterium Perlarum, Eboris, Liqvor Perlarum corallorum? Et in reliqvis Affectibus nullum fore exercitatum Medicum arbitror, qvin ſua Singularia per longam experientiam probata habeat, qvibus in Morbis dubiis tutò uti poſſit, præſidia ad Morbum vel in Centro retinendum, vel ad cauſam morbificam infringendam aut diminuendam, vel ad collapſas vires erigendas. In capitis Affectibus qvibuscunq; dubiis ſatisfaciet ſpecificum Cephalicum, in doloribus qvibusvis pulvis anodynus confortans, in cordis Symptomatibus Liqvor Perlarum vel Magiſterium illarum cum ambrâ; in ſtomachi & inteſtinorum Morbis ſtomachica confortantia, in uterinis uterina, in hypochondriacis hypochondriaca ſpecifica confortantia & aperientia &c. utramq; adimplent paginam. De qvibus tamen omnibus notandum eſt, qvod ſi ex conjectura remedia applices, & viæ tentandi inſiſtas, caveas ne æger aut adſtantes Medici propoſitum agnoſcant, qvemadmodū cautè & prudenter monuit *Hippocrat. lib. de decenti ornatu num.* 3. Qvod ſi æger conſcius ſit, qvod Medicus ex incertâ conjecturâ tentet remedia dicta, culpabitur, qvaſi experiri velit remedia cum alienæ vitæ diſcrimine: qvod valde periculoſum eſſe exiſtimavit l. 1. Aph. 1. licet crebro ita fieri neceſſe ſit. Vid. *Alphonſ. Baroclium in comment. in cit. aph. Galeni Sylvaticum controverſ.* 16. *Zacut.*

16. Zacut. Luſitan. de Medic. Princip. Hiſtor. Lib. 1. d. 31. & in Introit. ad Prax. præcept. 64.

Tertiò interrogato, à qvot diebus patiatur Æger, Tempora Morborum intelligit Hippocrates, præcipuè verò Univerſalia, qvæ, qvibus ſignis invicem diſtingvantur, accuratiſſimè tradidit *Zacutus Luſitanus lib. 4. de Medic. Princip. hiſt. 9. 48.* Ut per hæc velit neceſſarium eſſe Tempora hæc, qvæ totius Morbi circuitu abſolvuntur, Principium, Augmentum, Statum & Declinationem, Medicum curantem cognoſcere debere; Sine horum enim cognitione nunqvam rectè curabit, aut victum probè inſtituet; qvomodo aliàs ſciverit in Fluxionis initio ſola repellentia eſſe uſurpanda in augmento hæc cum digerentibus miſcenda; in Statu verò, cum fluxio planè conſiſtit, ſola digerentia convenire niſi haſce Morborum mutationes ab ægroto non reſciverit & ipſe etiam obſervaverit; Concocta Medicamento purgante educenda, inqvit Hipp. qvæ ſeu alteratione, attenuatione, vel inſpiſſatione digeſta ſunt movenda, non cruda, niſi Materia turgeat, hoc autem in Principio Morbi non fit, qvod potius conſiſtit in ingenti Naturæ ab eodem Morbo gravamine, ſuffocatione atq; in operationibus impedimento, qvo tempore nulla exiſtit notabilis inter Naturam & Morbum actualis contentio, ac proinde nullus apparet nec Morbi nec Naturæ affectus, ut inqvit *Avicenna*; Nec in Augmento, qvod conſiſtit in Naturæ accreſcenti motu, & in materiam Morbificam inſultu; nec in ſtatu, in qvo vehemens intercedit inter Morbum & Naturam contentio; ſed in Declinatione, ubi Natura Morbificum humorem edomuit, Morbum in materiâ, intenſione, malitiâ & magnitudine diminuit, illumq; jam devictum in totum proſtravit. Deinde etiam propter victus rationem Medicus teneat hæc Morborum tempora; Ab initio enim tenuis qvodammodo eſt offerendus, in augmento tenuior, in ſtatu tenuiſſimus. Cum ſæviſſima Symptomata urgeant, & Natura in ſtatu univerſali materiæ morbificæ ſeparationem ſummè intendat; à qvo opere diſtrahitur oblato cibo; qvare hic eo tempore in majori copiâ exhibitus erit nocentiſſimus.

Qvartum interrogandorum à Medico eſt, An alvus ſecedat? Hujus cognitio, an ſcilicet Alvus reſpondeat, an mollis & lubrica, an dura & adſtricta, multum etiam ad Medicinam faciendam conducit; Nam inprimis in Morbis alvus adſtricta rationem habet cauſæ antecedentis, qvamvis valde remotæ, Sic e.g. preſsâ à colo veſiculâ felleâ bilioſum recrementum ex hepatis vaſis in ſangvinis generatione non elicitum inqvinat totam ſangvinis maſſam, & qvam-

qvamcunq; partem imbecilliorem invenerit, eam afficit & labefactat; Sic Alvus adſtricta Morbos etiam magis rebelles & ſolutu difficiliores reddit, & in ſeligendis materiis Medicis varietatem aliqvam efficit, ut propterea hoc Medico cognoſcere ſit neceſſarium; Primò, qvia Alvus adſtricta ſæpe cauſam Morbificam fovet, deinde qvia in causâ eſt, qvo minus Indicationibus principalibus Medicus ſatisfaciat, alvus enim, ſi nimis profusè fluat, ſectionem venæ & purgationem, item diaphoretica, qvæ alioqvin pro curatione Morbi erant neceſſaria, prohibet; Si verò nimis ſit adſtricta, impedimento eſt, qvo minus reliqva Medicamenta liberiorem ſuum habeant tranſitum, & indicat Medicamenta dejectoria, fortiora eſſe ſeligenda & adhibeda.

Poſtremum interrogandorum, qvo victu utatur Æger? tradit nobis nunc eam Indicationem, qvæ à viribus ſumitur, & vitalis dicitur, qvaſi dixerit Hippocrates, propoſitis indicationibus curatoriis & præſervatoriis videre oportet, qvo victu utatur Æger, id eſt, An victus is ſufficiens ſit ad conſervandas vires? *Galen. 1. de ratione victûs in Morbis acut. comment. 45.* de his conſervandis debere Medicum maximè eſſe ſollicitum, diſertè explicat, & præcipuum in curando Scopum illum eſſe affirmat, qvi à viribus ſumitur, hæ enim Medicum ſæpe in medio Curationis cursu ſtare jubent; Dependent autem hæ à Facultate Naturali, Animali & Vitali, qvarum qvælibet maximè neceſſaria eſt ad vitam. Attamen multò magis ſervanda eſt Facultas Vitalis, de cujus robore Medicus ſummam curam habere debet, cum hæc ſit norma & baſis cæterarum; hæc enim, ut *Gal. lib 5. de loc. affect. cap. 1.* docuit, ſine aliis permanere poteſt, non autem è converſo: & mediante cordis temperie reliqvæ noſtri corporis partes ſuas actiones perficiunt, qvod Avicenna docet *1. doctr. 5. cap. 4. in med.* aliarum fundamentum illam appellant.

Demùm inqviritur etiam in victum non ſolum tanqvàm Medicamenti materiam, verum etiam qvod ex ipſo aut præſenti aut prægreſſo humorum peccantium idea aut Species innoteſcat, qvi niſi tollantur, nec Morbus ipſe tolletur.

Poſtqvam igitur Medicus patienter audiverit ægroti & adſtantium ad ſingulas qvæſtiones relationem, examinet inſuper & perpendat ſecum diligenter Primò Ægroti *Temperamentum*, cujus veram ac genuinã conſtitutionem juxta varias cujusq; Membri complexionem, ætatem, tempora, domicilia, regionem, ſiderum influentias & concursûs exactiꝰ ex themate Natalitio in horâ Nativitatis erecto habere poterit, & qvi ignorat, qvid illud indicet, adeat Libros *Galeni de Meth. Med.* & ſufficientem ibi inveniet inſtructionem.

Deinde obſervet *Conſvetudinem* Ægroti, qvam Galenus alteram vocat Naturam, aut adſcititiam *Lib. 2. de Motu Muſcul. cap. 7. & Lib. 3. Simpl. cap. 18. & Lib. 11. Meth. cap. 13.* dicit conſvetudinem aut originale Temperamentum conſervare, aut adſcititium inducere. Nam indicat, à qvo magis vel minus lædi Patiens conſveverit; id qvod patet ex hiſtoriâ, qvam *Galenus* affert libro de *Conſvetud. cap. 1.* de Philoſopho qvodam, qvi cauſo correptus, cum eſſet frigidæ potui adſvetus, imperantib9 Medicis epotâ eâ interiit. Unde conſvetudo ſumam habet vim in cibo, & potu, & qvantitate, qvalitate, facultatibus naturalibus, Medicamentis, exercitio, animi affectibus, evacuationibus, ſomno, vigiliâ. Conſveta minus lædere ſolent, etiamſi deteriora fuerint. *Hippocr. ſ. 2. Aph. 38.* Et juxta *Valleſium*, Indicatio à conſvetudine inviolata ſervanda eſt per Morbos, etiamſi inutilis ſit, qvæqve per valetudinem mutanda foret, ſervatur in Morbis ſervandæ facultatis gratiâ, nam qvæ moleſta ſunt Naturæ, devitanda in Morbis ſunt, qvæ cauſa etiam fuit, qvod *Hipp. ſ. 1. Aph. 16.* victum humidum non ſolùm febricitantibus, ſed & pueris & aliis, qvi ita cibari ſunt adſveti, utilem ſcripſerit. Deindè ſciendum eſt, hìc interdum etiam ἰδιοσυγκρασίας qvasdam concurrere, qvas ſi Medicus diligenter non obſervaverit, ægro plus nocebit, qvàm proderit. Sunt plures, qvi evacuationes naturâ abhorrent; Alii qvovis exhibito Medicamento purgante eximiè & ſufficienter vacuantur; Qvidam forti adſumpto non purgantur. Novi generoſam Matronam, qvæ nullum Medicamentum Cinamomo correctum perferre poteſt. Novi Illuſtriſſimum, qvem uſus nucis Moſchatæ offendit. Qvorundam Natura nulla etiã admittit Medicamenta Chymica, qvocunq; etiam modo ſit præparata.

Tertiò, nec *Ætas* ægroti in examine poſthabenda eſt, qvæ maximam Medici prudentiam in auxiliorum regimine reqvirit. Ætas tenella non purgantibus nec alterantibus fortioribus eſt tentanda, multo minus ipſi lactantes, qvia vires illorum debiles tantum auxilium tolerare non poſſunt, & facile convulſivis Motibus obnoxii ſunt, ne, ſi effectus ſiniſtrè ceſſerit, Medicus mereatur vel Carnificis famam judicio *MERCURIALIS*, vel homicidii, exemplo eorum, qvos recenſet *Sennertus de Morbis infant. p. 2. c. 2.* Neqve in ſeneſcentibus levia qvidem purgantia in affecto & langvente ſtomacho carent periculo, dum labefactato illorum ventriculi fermento exſiccantur ampliùs, flacceſcunt & reſolvuntur. Deinde & Medicamentorum tum alterantium tum purgantium doſi inſervit hæc Ætatis

Ætatis obſervatio, dum uno interdum granulo ægris plus nocere, qvam tribus aliis prodeſſe poſſumus. Tertio & propter variationem in qvantitate victûs. Pueri enim majori indigent victûs qvantitate, qvàm Senes, & Adoleſcentes majori, qvàm Juvenes, & hoc modo de reliqvis ætatibus ſentiendum; Pueri enim majore copiâ caloris abundant, & cum ſint humidiores, citius reſolvuntur. *Hipp. ſ. 1. aph. 13. & 14.*

Qvartò *Sexus* etiam rationem habeat Medicus in curando, & ſi mulieres curaverit, plus qvàm in aliis debet eſſe providus, diligens & expertus, & citò præſtare manus auxiliatrices; nam occaſio præceps ob varietatem Symptomatum, qvorum truculentiâ illæ ex improviſo lanciniantur; Hinc factum eſt, ut Hipp. lib. 1. de Morb. Mulier. num. 87. Medicos increpet & coarguat, qvi attentè non rimantur cujusqve Morbi mulieris cauſam, & conantur eaſdē ſanare virilium more, neſcientes, multum differre, mulierum ac virorum curationem ſuſcipere. Annon res extremæ foret dementiæ, ſi in deliqvio animi ab utero prodeunte aqvâ canellæ vel Namphæ, & in vero cordis deliqvio caſtoreo, vel perdicum plumis uti vellemus.

Qvintò, Medicus Practicus *Anni* qvoq; *Temporum* non obliviſcatur, ut in Æſtate non tam calida, qvàm tempore Hyemali adhibeat Medicamenta; Et cū hæc adjuvante Aſtrorum ſiniſtro influxu qvandoq; curationi ſint adverſa, interdum autem proficua, Aſtrologiæ etiam debet eſſe peritiſſimus, qvemadmodum enim Anatomia Oculus Medicinæ eſt dexter, ita hæc eſt ſiniſter; Et qvi Aſtrologiam ignorat, inqvit *Albo Hazen. Halii, filius Abenragel ex Hippocrate*, eſt tanqvam cæcus viam baculo examinans, huc atq; illuc miſerabiliter ceſpitans, pro qvâlibet boni malivè apparentiâ phantaſticâ & inani, ut fatuꝰ trepidans; Accuratè itaq; notet Aſtrorum ortûs & occaſûs, ut Lyræ, Canis, Arcturi. Hyadum & Plejadum. Multi enim Morbi in hiſce diebus producuntur & maximè etiam judicantur; (qvamvis in Noſtris regionibus paucisſimæ Criſes, ſed meræ ſolutiones ſint.) Solſtitia, æqvinoctia, Planetarum conjunctiones, oppoſitiones, motus Lunæ, ecclipſes, niſi necesſitas legem fregerit, ſtudioſè obſervet. In Prognoſticis, utrum Æger evaſurus, an ſecus, item in diebus criticis evolvendis ac eruendis inſpiciendus Ægri Apheta, inqvit *CL. Johann. Daniel Horſt. in Manuduct. ad Medic. p. m. 210.* Ejusq; conſtitutio, robur, debilitas, aſpectus cum Saturno & Marte, Jove & Venere. Inſpiciendus Anæreta, inſpiciendi occurſores mali, abſciſſores, corpora ſcilicet, oppoſitiones & qvadraturæ Saturni & Martis, eorundemqve Antiſcia;

Evol-

Evolvendæ tandem Directiones, Profectiones & Revolutiones Planetarum; Et antè omnia Thema cœleſte Nativitatis inſpiciendum, ex qvo pro varietate Revolutionis, Directionis & Profectionis qvalitas & cauſa Morbi innoteſcit, An magnus Morbus, fatalis, difficilis Curationis futurus ſit? Thema hoc ſi deſit, figura cœleſtis in Morbi initio erecta ad manus ſumatur, & in eâ Luminarium præcipuè Lunæ aſcendentis & Diſpoſitoris ſtatus probè conſideretur, atqve cum domino octavæ domûs comparetur. Hinc Planetæ videantur, qvomodo hic vel ille cum dictis configuretur. Luminaria enim & reliqva à maleficis ſtellis afflicta Morbum malum & magnum dant, non afflicta contrà. Prætereà etiam in ipſis Morbis acutis ad Criſin qvid faciant cùm Luna tùm cæteri Planetæ, optime delineavit Euchſtadius *lib. 2. Ephemerid. lib. de diebus criticis*, Si Philiatri, inqviens, de Criſi, & eventu Morborum rectè volunt judicare, neceſſe eſt, ut qvibusdam Aſtrologicis adminiculis ſint inſtructi: Nimirum ſciant conſtruere Geneſin decumbentis ex Natalitio ejus tempore, ut inde Loca anæretica, & infecta elicere qveant. Deinde ad tempus primi decubitûs notent aſpectus, & configurationes Planetarum cum Lunâ. Luna enim Superiorum vires recipiens res potiſſimum inferiores movet, eò qvod terræ proxima ſit, & curſus celeritate vires ſuas citius nobiſcum communicet. Qvod ſi Luna in principio Morbi acuti vel nullum aſpectum cum Planetis aliis habuerit, & in progreſſu ad mali Planetæ radios conjunctione, oppoſitione, vel tetragono pervenerit; vel ſtatim in principio Maleficorum radiis læſa fuerit, tum ſi in progreſſu maleficos aſpectus denuò incurrat, miras videbis Tragœdias, & periculoſas in corpore turbationes, & non rarò Criſes lethales. Si verò vel in Principio benigni Planetæ Lunæ ſint conjuncti, vel ſi Luna in progreſſu benignis eorum aſpectibus fortunetur, Natura ægroti roborabitur, & Criſes ſeqventur bonæ. Etiam boni aſpectus Solis, Jovis, vel Veneris, inter ſe ſi tempore acutorum Morborum, inprimis in horoſcopo & octavâ domo occurrant, feliciores Criſes, Ecclipſes autem infauſtas dare ſolent. Ad ſolam itaq; Lunam, inqvit *Excell. D. Mœbius Collega ac Compater qvondam Meus pl. honorandus in Epitom. Inſtitut. Medic. Libr. 3 part. 3. cap. 8. de Criſi*, non reſpiciendum, ſed etiam vires cæterorum Planetarum, qvas recipit Luna, ſunt conſiderandæ. Nec obſtat primò inefficaces eſſe haſce figuras cœleſtes, dum ab his, qvæ ex motu conſurgunt, Naturales effectus provenire neqveant, qvantitatum enim per ſe nullam eſſe efficaciam. Nam etſi libenter con-

cedamus,

cedamus, has nihil qvicqvam in ſe habere, niſi ab Entibus realibus acceperint, tamen cum hîc ab Aſtrologis Medicis non figurarum aut Aſpectuum materiale, qvod in numeris conſiſtit, conſideretur, ſed ipſum Formale, qvatenus conſtituunt aliqvam figuram regularem in circulo magno, qvæ figura non amplius ſpectat ad prædicamentum Qvantitatis, ſed Qvalitatis, & certo reſpectu etiam, qvatenus Numerorum & intervallorum in circulo magno ratio præbet aliqvam proportionem inter ſeſe cum Toto, & cum Diametro circuli, ad prædicamentum Relationis, ideoqve virtutes Naturales Aſpectibus denegari neqveunt.

Qvemadmodum, inqvit *Euchſtadius in Centur. aphoriſ. 13.* tot conſonantiæ & partes magadio diſtinctæ in fidibus aures ſvaviter demulcent, ita qvoq; Experientia teſtatur σχηματισμοὺς in magno cœli circulo per duodecim Zodiaci ſigna euntes, & aliqvam Zodiaci partem intercipientes Naturam ſublunarem commovere, & ad aliqvod opus incitare, dum orbium cœleſtium & aſtrorum diſpoſitionem demonſtrant, in illâ horâ ac tempore, qvô eas influentias ex ſe emittunt, qvarum ope varios operantur effectûs, ob modum operandi diverſum, qvem habent Aſtra, & orbes motibus ſuis, qvorum vi & poteſtate, tam differentes figuras reali, & non imaginariâ diſpoſitione efficiunt. Nec deinde obſtat, ad prædicendum de diebus Criticis, ſangvinem minuendum, aut potionem exhibendam, non tam ex aſpectu ſiderum indicationem eſſe ſumendam, tanqvam causâ remotiſſimâ, qvàm ex continente & conjunctâ, hoc eſt, ex ipsâ humoris in corpore tunc ſævientis natura, & ex ipſius Naturæ inſultu contra humores, qvorum alii ſecundo die, alii tertio, qvidam etiam qvarto, & interdum per tardiores acceſſiones recurrunt, inqvarum vi, ſi cum ægri facultate ritè conferatur, totius curationis & prædictiones ſummam conſiſtere, & ſiderum non tantam vim eſſe in hæc inferiora, qvin aliarum cauſarum concurſu plerumq; impediatur, nimirum à Materiæ diſpoſitione, & concoctione humorum, ex qvibus dierum criticorum obſervationes qvidam aſſerunt, longè, magis depēdere, qvàm ex Aſtris puto. Verū qvāqvam Indicationem ex ipsâ humoris in corporis dominantis naturâ & ex ipſius Naturæ inſultu contra humores deſumptam ad evacuationē inſtituendam non rejiciendam, ſed maximè approbandam, ſi neceſſitas urgeat, facilè concedamus; non tamen proinde & hanc de Lunæ mutationibus, & aliorum Planetarum ortu & occaſu planè prætermittendam eſſe, aſſerimus, cum ſit magni momenti & graviſſimorum, qvi unqvam fuerunt, Experentiſſimorum

Medicorum ratione & Experientiâ comprobata, à qvibus diſſentire nefas eſto. Nam compertum eſt Purgationes aut venæ ſectiones tempore Solſtitiorum aut Æqvinoctiorum; item Sole aut Lunâ Ecclipſin patiente; item præſente aut accedente Malefico Planetâ, Saturni ſcilicet cum Marte, & Lunæ conjunctione, ejus qvadrato aut oppoſitione cum Jove, Marte aut Saturno, item in Mercurii violentis aſpectib9, qvadrato ſcilicet ac oppoſitionibus, illâ horâ, qvâ adminiſtratæ fuerunt non urgente neceſſitate temerè inſtitutas nunqvã dextrè, ſed ſemper ſiniſtrè ceſſiſſe, de qvibus infrà ſuo loco uberiùs ſumus acturi; Cum igitur videamus juxta haſceLunæ, & aliorum magnorum Aſtrorum mutationes ac motus magnas ſæpe in corpore humano fieri alterationes, citra manifeſtas qvalitates factas in temperamento aëris & noſtris humoribus, ob qvam cauſam cum Luna impleri ac inchoari incipit tunc humidiorum Morborum ſęvities inſoleſcit, & licet hoc tempore valdè exaſperentur, in pejusq; ruant paralyſis, apoplexia, lethargus, ſtupor, hydrops, catarrhus, & alii frigidi affectus, tamen Epileptici vehementiùs excruciantur & premuntur, decreſcente Lunâ. Nec ſolum ægrotorum corpora ab externis hiſce cauſis afficiuntur, ſed qvi inculpatâ ſanitate fruuntur, Lunæ vires & effectus percipiunt. Sic & ægri imminente nocte gravius habent; poſt mediam autem noctem ſolent qvieſcere, & ob acceſſum Solis ad nos levius habere, cum tamen tunc temporis ſæpe adhuc vigeat frigus; conſtat inde ultra indicationẽ ſumptã ab aëris & humorũ conſtitutione obſervandam eſſe & hanc indicationem à corporũ ſuperiorũ mutationib9 deſumptam. Qvarè cũ præſervationis causâ, aut in miti mobo vacuationem aliqvã exercere volumus, qvæ per purgationem aut venæ ſectionẽ celebrari debet, ab eâ abſtinendum eſt, dummodo non adſit ex morbo aut ex ejus causâ, vel Symptomate indicatio alia, qvæ urgeat, & remedii celeritatem efflagitet; qvæ ſi adſit, diutius cunctanda non eſt Morbi graviſſimi Medela. Sin ſecus, expectandum, & præſidiorum uſus usq; differendus, dum Aſtra benefica fuerint, ſi ſcilicet Luna à Marte ad Venerem, & à Saturno ad Jovem devenerit, in omnibus aſpectibus Jovis & Veneris, & qvidem ante illud tempus, qvo appellant, tunc non hallucinabimur, ſi Pharmaca adminiſtraverimus & venæ ſectionem inſtituerimus. Deindè falſum eſt, dierum Criticorum cauſam tantum ab humorum coctione & materiæ morbificæ diſpoſitione dependere, Alia enim eſt cauſa dierũ Criticorum, & alia Criſeos; Cauſa Criſeos eſt facultas expultrix, quæ humores cõcoctos expellit, ſed cau-

ſas

ſas dierum Criticorũ inveſtigare non eſt qværere, inqvit *CL. Sennertus in Inſtitut. Lib. 3. part. 3. cap. 12.* qvid humores vitioſos è corpore expellat, ſed cur facultas expultrix non in omnibus, ſed certis & ſtatis qvibusdã diebus, qvæ ſibi moleſta ſunt, freqventius & facilius ſoleat expellere. Si ad humorum coctionem confugias, ſinguli dies poſſunt eſſe critici, & proportio agentis ad reſiſtentiam patientis poteſt multis modis variari. Atqve ſi criſes tunc fieri dicantur, qvando concocta materia eſt, criſes in omnes poſſunt incidere dies, qvod tamen non fit, ſed Natura expulſionem ad criticos dies differt, & materiam longè faciliùs die ſeptimo, qvàm ſexto aut octavo expellit. Qvi de hiſce & ſimilibus uberius informari deſiderat, adeat *Euthſtadium in brevi conſideratione fundamentorum*, qvibus judicium Genethliacum nititur.

CAPUT IV.
Qvomodo Medicus curet?

QVemadmodum Medicus in omnibus affectibus explorandis & curandis non ſolùm debet eſſe diligens, ſed & providus, & expertus, ita vel maximè eò etiam annitatur, ut citò manûs afferat auxiliares, & ut tutò curet, & jucunda exhibeat Medicamenta. Primum enim poſtulatum ὁ καιρὸς ὀξὺς reqvirit *Hippocr. ſ. 1. a. 1.* Occaſio præceps, qvæ properat tum propter ſubjectum, qvod eſt corpus humanum, cujus œconomia variis mutationum viciſſitudinibus obnoxia, continuo fluxu tendit ad interitum per omnes ætates; Unde *Hippocrates in Epiſtolâ ad Crateram* dixit; ab omni qvidem arte aliena res eſt procraſtinatio, verum maximè in Medicinâ, in qvâ hæc vitæ periculum parit, tum ob celerrimum materiæ morbificæ motum, qvæ in corpore noſtro brevi temporis ſpatio diverſas clientelas tyrannicas excitare poteſt, qvo fit, ut Medicamenta, qvæ anteà erant proficua, deinde inutilia ſint; tum ob virium rationem, qvæ modo ſunt firmæ ad perferendum remedium, poſteà imminutæ & langvidæ illud ipſum admittere neqveunt; hinc fit, ut præſidia citò celebrata conducant, tardè verò adminiſtrata lædant. *(Gal. 3. de Temperam c. 3.)* tum ob Morbos acutos, qvi vehementisſimis ſtipati Symptomatibus ocysſimè properant ad ſtatum, & ſæpe ſubitò necant, in qvibus illicò medicari oportet, tardare enim piaculum eſt; ea enim, qvæ celeritatem deſiderant, celeriter peragere oportet. *Hippoc. 1. acutor. 8.*

Ut igitur Medicus citò curet, obſervare debet primò ratione ipſius affectûs ideam ſeu ſpeciem Morbi, an Febris peracuta, aut alia aliqva cruditas adſit, qvæ coctione indigeat, qvæ ſi non adſit, & materia turgeat, cito curabit, ſi purgationem, aut

aut venæ ſectionem, aut aliud, qvo Natura vergit, illico remedium in principio adhibeat, qvemadmodum *Aretæus* docuit perbellè *1. de curat. Morb. acut. cap. 10.* & ipſe *Galenus* obſervavit *in Meth. Med. c. 16. & lib. de cur. rat. per Sang. miſſ. c. 8.* Si autem cruditas adſit, hoc eſt, febrilis adſit ſumma ebullitio ob fermentum febrile, aut venenatum, qvemadmodum fit in febribꝰ malignis, tunc citò curat Medicus, ſi fermentum illud malignum auferat non purgantibus, nec venæ ſectionibus, virium ſæpè diminutionibus, ſed ſpecificis antifebrilibus materiam febrilem figentibus, diaphoreticis & diureticis Naturæ æmulis, qvibus ſi ſuccenturiata fuerint alexiteria ſpecifica, non tantùm omnes febres malignæ, ſed & ipſa peſtis citò curabitur. Profligatâ autem acceſſione, ſeu paroxyſmo febrili, tum demum cauſa febrilis occaſionalis per loca convenientia removenda, & recidiva præcavenda. Deindè ratione cauſæ morbificæ obſervet Medicus, an in primis viis ea copioſè hæreat maſſæ ſangvineæ nondum exactè permiſta, & citò curabit, ſi maturâ purgatione vel vomitu excitato ſtatim eduxerit. In Materiâ venenatâ ore adſumptâ cito curat Medicus, ſi præmiſſo ſtatim vomitorio poſtmodum alexipharmaca & ea Medicamenta exhibeat, qvæ ſpecifica ſunt & peculiari vi veneno reſiſtunt. Qvæ autem morſu & ictu animalium venenatorum corpori noſtro infliguntur, citò etiam curantur per alexiteria ſpecifica & attrahentia, id eſt, foràs venenum evocantia Medicamenta. *Gal. de Art. Med. c 19.*

Tertiò ratione ſubjecti ſeu ægroti citò etiam curet Medicus. Nam Principes, aliiq; viri nobiles, qvi lecto diu affixi hærere neqveunt, morborum impatientes, noſtræ ſæpe committuntur curæ, horum ut magnam nobis conciliemus gratiam ex citisſimâ, qvantum poſſibile fuerit, reſtitutione in integrum ac ſanitatis plenum, omnibus viribus ſemper ut allaboremus, neceſſe eſt. Curamus etiam non ſemper divites, ſed tenuioris interdum fortunę homines, qvi ſæpè propter pravam victus rationem, & immodicam intemperantiam ægrotantes digeſtiva & alia humorum præparantia expectare neqveunt, & ratione officii ſui ac paupertatis non diu in lecto hęrere poſſunt, hos ingenti ſæpe cum fructu in ipſo Morbi principio turgente materiâ citò purgare & curare poſſumus.

Ex Morbo brevi etiam longus fieri poteſt, vel ex meticuloſitate Medici, vel ex ejus inſcitiâ; e.g. ſcateat ventriculus, vel inteſtina lentis & viſcidis humoribus, hi cito validâ purgatione aufferentur; qvod ſi verò ex meticuloſitate ob *Hippocr. Aph. 22. ſ. 1.* purgationem differas, tum ex vitioſis iſtis humoribus præternatu-

rale

rale propulluabit fermentum, aptum natum ad inficiendam, totam maſ-ſam ſangvineam & reliqvas viſcerū digeſtiones corrumpendas; ita, ut poſtea etiam longiſſimi oriantur affectûs, expugnatu difficiles. In Morbis, qvi conſtant ex impuritatibus mobilibus ſuperficiariis, qvi non fixas egerunt radices, purgationem ab initio qvi differūt, Morbum prolongant. In Morbis chronicis & aliis Tartareis, hypochondriacis, ſcorbuticis &c. qvi aperientibus, digeſtivis, & reſolventibus ſpecificis anti-ſcorbuticis neglectis nil niſi ſaccharata electuaria, ſyrupos, Perlatas confectiones ad formam & ſpeciem confortantes præſcribunt, illi Morbum augent. Demum etiam Medicus Morbum longum reddit, ſi materiam in partem aliqvam influentem non ſatis valide inhibeat. Sic nulla moræ in pleuritico influxu datur occaſio, qvin protinus venę ſectione in lateris affecti regione adminiſtratâ ſuccurramus; humor enim influens ad perniciem properat; dolor qvoq; ſuccingentis coſtas membranæ in pejus urget; nec non & tuſſis pectus & caput concutiens vires proterit. *Aretæus 1. de Curat. Morb. acut. cap. 10.* Hanc ſi intermittas, aut Morbum prolongabis, aut ægrum in vitæ diſcrimen transferes. Sic & Patavis in more eſt, ſi Eryſipelate corripiuntur, ut partem rubentem inungant cum oleo laurino pauxillo Mercurii vivi commixto, qvo Medicamento Morbum longiorem reddunt, dum enim oleum illud cutem laxat, Eryſipelas ſemper magis magisq; ſerpit, ita ut & ſolum corpus ſubitò invadere illud videas, niſi malo huic ita prævenias, nempè loco olei illiniti circumponas pannum lineum aqvâ tepidâ madefactum, qvi cæteras defendit partes.

Cum autem curatio præter celeritatem etiam ſecuritatem & jucunditatem efflagitet atteſtante *Galenô 14. Meth. Med. c. 13. & Celſo lib. 3. c. 4*, & ſecuritas tanqvam media inter reliqvas duas extremas præſtantisſima ſit, utpotè ſine hâc cæteræ frivolæ ſint ac nullæ, Medicus etiam ſecuritatis Medicinalis, hoc eſt, ut tuta ſemper adhibeat remedia, ſit ſtudioſiſſimus. Licet enim Medicus non ſemper citò, ut in Morbis chronicis, qvi præbent inducias, curare poſſit, in qvibus feſtinatio nimia periculoſa eſt, *Galen. 12. Meth. Med.* in eò tamen ſemper neceſſariò collimet, ut tutò curet, qvæ forſan cauſa etiam eſt, qvod Hippocrates tertio & ultimo loco jucundum poſuerit; tanta enim & hujus habenda ratio non eſt, qvanta illius, ut ſalutaria nempe & efficacia præſcribat remedia. Ut igitur curatio tuta ſit, tribus conſtare debet reqviſitis, ut ſcilicet, operis abſolutionem conſeqvatur, ut evertatur Morbus, ne fiat recidivus, deinde ne lædat, & tertio, ut fi-

at cum modo, *Galen. lib. 14. Meth. Med. cap. 23.* Qvapropter tutò curat Medicus, ſi omnes cauſæ Morbificæ reliqvias è corpore expellat, hiſce enim relictis maſſa ſangvinea ſubinde ebullire, & fermentare incipiet, ſicqve recidivam patietur æger. Tutò curat Medicus, ſi Morborum chronicorum ut Arthritidis, mali hypochondriaci, ſcorbuti, & aliorum, qvi è tartaro educuntur, contumaciam non Sirupis, Julepis, conſervis, apozematibus ſaccharatis & aliis dulcibus demulcere conatur, præterqvam enim qvod hæc ſint fercula ad talia prona, irritantur etiam crabrones, dum medela lingvę datur in blandimenta, è contra ventriculo in nocumenta; ſed ſpecificis anti-Tartareis arthriticis anti-hypochondridriacis, & anti-ſcorbuticis Tincturis aut Eſſentiis oppugnaverit.

Tutò curat Medicus, ſi Medicamenta ſua chymica rectè propriâ conficiat manu, nec aliorum Artis chymicæ plane rudium, qvales qvidam Barbitonſores, agyrtæ, &c. ſpuriis ac minùs ritè præparatis utatur Tincturis, eſſentiis aut Magiſteriis. vid. HELMONTIUS de Febribus cap. 15. §. 3.

Tutò curat Medicus, ſi abſtinet à purgantibus vehementioribus Mercurialibus, & Antimonialibus primò in lactantibus. *Sennert. de Morbis infant. p. 2. cap. 2.* deinde in jam ſeneſcentibus; *Crato in Conſil. p. m. 335.* tertiò, in cachecticis, cum alias ab iis non ſolum fermentum fellis admodum debilitari, ſed & valde lædi Hepar certum ſit.

Tutò curat, ſi in venæ ſectione modum ſervet in ingraveſcente ætate, deinde in non aſſvetis; tertiò in ſummâ virium debilitate; qvartò in Morbo nimis inveterato; qvintò in Veneris uſu exanimatis; *Heinricus ab Heer lib. 1. obſerv. 18.*

Tutò curat, ſi abſtinet à freqventi opii aliorumqve nimis alterantium uſu, primò in initio paroxyſmorum, cum materia ad cor ruit, qvia tunc facile illud prorſus ſuffocare poſſumus. *CL. Sennert. Practic. Medic. Libr. 5 part. 2. c. 1.* Deindè in frigidis affectibus. Tertiò in Hydrope, qvi hydropico Theriacæ ℥ß exhibet, ille & ægro & ſibi maximum vitæ & famæ accerſit periculum etiam unius grani exhibitione; ſopiunt enim ejusmodi opiata non ſolum Spiritus, ſed & dyſpnœam difficiliorem reddunt, qvibus Symptomatibus omnes ferè hydropici ſunt obnoxii. Qvartò in infantibus & pueris, ſolent enim ingenium & memoriam labefactare. Qvintò in Dyſenteria; *Minadous* D. Patavinus obſervavit, omnes illos Dyſentericos, qvi ex conſilio Medicorum Opiatis uſi fuêre, mortuos eſſe, & ratio eſt, qvia ulcera inteſtinorum ab opiatis putridiora & ſordidiora redduntur.

Tutò curat, ſi Topica Medicamenta, niſi

ta, niſi adſit aliqvid, qvod curationem prævertere poſſit, nempe ingens dolor, partis affectæ debilitas, qvorum causâ de novo fluxiones concitantur, ante Univerſalium remediorum uſum non applicet. Nam ſi Topica frigida fuerint, intrò humores impellent; qvos plenum corpus admittit. Si calida, fluxionem accerſent. *Galenus in Arte Medic. c. 95. Zacut. Luſitan. Lib. 1. de M.P.h.69.*

Tutò deniq; curat, ſi Remedia artis beneficio convenienti qvalitate, commodâ menſurâ & tempore opportuno exhibeat. In Morbis debilib9, inqvit *Hipp. in fine l. de Locis in homine* Medicamenta fortia non ſunt adhibenda; debilibus Morbis debilia, valentib9 valentia Medicamenta adhibenda ſunt. Nam qvæ longo tempore ſunt contracta, lentè curare oportet; qvę brevi, breviter: ut creationis morbi & curationis paria qvodammodo ſint temporum Momenta. *Fernel. Libr. 1. Meth. Med. cap. 8.*

Hiſce ita ſe habentibus, demum etiam jucunditatis facienda eſt mentio, qvæ commodè abſolvitur, ſi Medicus Medicamentis utatur ſvavibus, ſi ſtudeat, ut Medicamenta ſua qvoad colorem, odorem & ſaporem, qvoad fieri poteſt, arte Chymicâ præparet, efficiat grata & jucunda. Ecqvis enim non lubentiùs Tincturā qvandam Chymicam, aut Eſſentiam dulcem vel odoram aut unam ſolam & inſipidam aſſumſerit pilulam, qvā multas diacatholici drachmas, aut decem vel qvindecim pilularū, ſine qvibus, aurearum, fœtidarum; lubentiùs aliqvot grana bezoardici Solaris, Jovialis, vel Martialis, qvàm potionem aliqvam ſudorificam; lubentius juſculum cryſtallis Tartari conditum, qvàm hauſtum agoniſticum apozematis. *Begvinus Lib. 1. Tyrocin. c. 1.* Hæc eſt Aſclepiadæa illa cynoſura, qvam qvibusvis in Morbis ſyneſis ἰητρικὴ inprimis obſervandam præcipit. Eò verò ſemper allaboremus, ut fugiamus in Medicamentorum compoſitione Theriacalem illam & nauſeabundam variorum ſimplicium commiſtionem, qvæ non eſt neceſſaria, eſt inutilis, incerta, periculoſa & ſumptuoſa. Natura paucis contenta ſimplicibus gaudet, & ſæpe unica herbulâ appropriatâ Morbus citius & tardiùs profligabitur, qvàm prodigioſis iſtis compoſitionibus. DEUS, inqvit CL. HELMONTIUS *in Pharmacop. ac Diſpenſ. Moderno §. 5. ex bonitatis & ſapientiæ ſuæ æternâ providentiâ abundè futuris neceſſitatibus prævidit. Ipſe fecit & dotavit ſimplicia ad deſtinatos uſus cunctarum neceſſitatum. Qvantò enim plura ſunt componentia Medicinæ, tantò minus certus ejus eſt effectus componenti. Horridâ ejusmodi Medicamentorum compoſitione certum eſt, omnia cruda, dura, immatura, clauſa, venenata, impura, vincta atqve inepta ad communi-*

municationem ſuarum virium aſſumi & depravari. Experimur ſæpe ægrotantium ſtomachum in primo ſtatim limine ab his ita offendi, ut poſtmodum plus à Medicamentis, qvàm ex ipſo laboret Morbo. Unde *P. Poterius in Pharmacop. Spagyr. lib. 1. cap. 2.* inqvit; *in Medicamentis componendis tribꝰ vel qvatuor rebus ſimus contenti, uno videlicet, vel duobus, qvæ diſſolvant & attenuent, altero roborante, & tertio vel qvarto purgante aut alterante, vel aliud ſimile reſpiciente; qvi ſecus agunt, & in uno decocto omnia ſingulas corporis partes reſpicientia ſimul miſcent, Empiricos ſe præbent & Artis præcepta evertunt.* Hæc ille. Qvapropter monet *CL. Zwelferus in appendice ad Animadv.* ut ſimplicitate in re medicâ contenti in congeſtione tot tantarũq; diverſarum rerum labore inutili ſuperſedeamus, & parciores nos prębeamꝰ, atq; vel uno ſimplici ſimpliciter, ad qvod à DEO conditum eſt, vel ſaltē paucioribus Medicinam faciamus, prout pauperes & ruſtici, qvibus non raro à ſummo Medico ex merâ commiſeratione remedia ſaluberrima revelantur, qvibus magna in magnis præſtant Morbis, qvandoq; in opprobrium Medicorum. Atq; hinc factum eſt, ut & doctiſſimi olim Medici, *Hippocrates*, *Galenus*, & alii rarò operoſiores compoſitiones uſurpârint, ſed unicô vel duobus aut tribus ſimplicibus junctis mira fecerint. *Sennert. de Conſen. & Diſſ. cap. 18. p. 351. & 538.*

CAPUT V.

De Ratione, Experientiâ, & Analogiſmo.

UT citò, ut tutò, ut jucundè curare poſſimus, tribus etiam Mediis & viis inſiſtamus, neceſſe eſt, *Ratione* ſcilicet, *Experientiâ* & *Analogiſmo.*

Qvemadmodum in omnium Artium ſcientiâ Ratio ſcilicet & Experientia, admodum neceſſariæ ſunt; ita & in Methodo noſtrâ Medendi una ſine alterâ eſſe neqvit. Ratio, qvid agendum ſit, judicat, Experientia, qvæ Ratione inventa ſunt, confirmat, & docet ex arte exactè operari. Non omnia tamen aut ſolâ Experientiâ aut Ratione inveniuntur, *Galen. 3. Method. Med. 1.* Etiamſi qvædam ſola Ratio inveniat, alia Experimentum producat, ſemper tamen, qvantum fieri poterit, Experientia & Ratio veluti fulcra qvædam, qvibus Medicina firmatur, conjungenda ſunt: ita ut in Theorematibꝰ vel Medicamentis Ratione exploratis Experientia ſeqvatur, Ratio contrà in illis, qvæ ſunt experimento inventa ſubſeqva ſit. *2. Meth. cap. 6.* Sic autem illæ connectantur, ut mutuò inter ſeſe firmentur, mutuamq; fidem viciſſim accipiant; nec poſſit dari vera Ratio, qvæ contradicentem habeat Experientiam, nec contrà: ambo ſcilicet vera ſint, ut & illa, qvæ

qvæ ab hiſce rectè inventa ſunt: Ubi verò illæ pugnaverint, neceſſe eſt aut inartificioſam eſſe Experientiam, aut oppoſitam Rationem tantùm apparenter veram, qvâ ſtandum non eſt, nec propter eam à ſenſibus & experientiâ recedendum; ideoq; Ratio ſine Experientiâ nulla eſt; & Experientia ſine Ratione invalida, & hæc citra illam fallax & captioſa. Qvamvis inter utramq; palma admodum ambigua ſit; Experientia enim paucas admodum affectiones & eas, qvæ crebrò & freqventer eveniunt, cognoſcit; Ratio autem non minus raris, qvas nunqvam vidit, qvàm freqventibus opem fert, utpote quæ omnium Naturas, differentias & cauſas dicurſu ac ratiocinio inveſtigat; vel ſcientificâ cognitione, vel ſaltem artificioſâ conjecturâ, certâ tamen & ad ſcientiam proximè accedente comprehendit. Præterea Experientia non, niſi ea acqvirit, qvæ ſæpè ſimili modo contigere, & cum omniū membrorum affectiones ſimplices & compoſitæ, tàm ſimilarium qvàm organicarum partium in concurſus redigi neqveant, impoſſibile eſt, ut omnium comparetur Experientia, ſed freqventium tantùm, ideoq; plurium Morborum, nec cognitionem nec curationem illa ipſa adſeqvitur, vel attingit. Qvid qvod freqventium Morborum nonnulli plerunqve invadant ſine concurſu Symptomatum, nec niſi conjecturâ, & tentativâ curatione poſſint dignoſci, unde ſola Ratio hâc viâ procedendo poteſt, qvam quærit, notitiam comparare: Experientia autem non; illa tentantis remedii potentiam agnoſcens, eam cum ſeqvente opere jungit, & confert, indeq; facilè conjicit, quantum tentando deliqverit vel perfecerit, ac tandem à juvantibus & nocentibus Morbi cognitionem aſſeqvitur, & totam curationem inſtituit; minimè verò Experientia, quæ vires auxiliorum ignorans nullo delectu qvodvis ad curationem adhibet, ita ut, ſi à primo res non eveniat, neſciat, qvò tranſeundum, ſed caſu & fortunâ ad alterius opem confugit.

Ratio comuniter *Contraria Contrariis* indicat eſſe curanda; Qvemadmodum univerſale preceptum eſt, *Conſervationem* fieri à *ſimilibus* non ſolum qualitate & formâ talibus, ſed etiam gradu & quantitate; ita perpetuum ἀξίωμα θεραπευτικὸν eſt, Curationem perfici contrariis, cum contrariorum contraria ſint remedia. *Hippocr. lib. de flatib. in principio*, dum ſcilicet Morbos, qui ex repletione oriuntur, evacuatio ſanat, quos verò parit vacuatio, repletio curat. *lib. 2. Aphor. 22. & 5. Aph. 59.* Ratio declaratur ex *Ariſt lib. 1. de generat. & corrupt. cap 7. t. 49.* qvia, qvæcunqve non contraria ſunt, neq; ex contrariis, non extrudunt ſe ipſa à Naturâ. *Galenus lib. 11. Meth. Med. c. 11.*

c. 12. hoc pronunciatum breve eſſe oratione ſed poteſtate maximum affirmat; id qvod *in libr. de Conſtit. Art. Medic. c. 12.* ſic demonſtrat: *Id qvod ſanum eſt,* inquiens, *moderatum eſt, id qvod ægrum, immoderatum.* Si igitur, dum corpus curatur, redit à ſtatu præternaturali ad Naturalē, meritò iſta mutatio non niſi per cōtraria eſt peragendæ: Unumquodq; enim perit à contrario, & per contrarium. Sed dictum axioma inſtantias patitur multas. Nam primò, *Qvicqvid Naturam lædit, & opprimit, illud non juvat. Contraria Naturam lædunt & opprimunt.* Sic e.g. animalia calidiſſima in ferventiſſima gignuntur regione, & in eâ diutius conſervantur, ut Elephantes, homines ac leones in Africâ; in frigidâ verò Regione moriuntur brevi. Pueri Naturâ humidisſimi, humidis ſervantur alimentis *Hippocr. ſ. 1. Aph. 16.* Ergò contraria non juvant, & per conſequens per contraria nequit fieri curatio. Deindè, Naturæ Morborum Medicatrices. Unde *Hippoc. lib. de locis in homine*, Per ſimilia, inquit, Morbus fit, & per ſimilia adhibita à Morbo Natura liberatur. Et *Avicenna 4. 1 cap.* non omnis repletio, neq; omnis complexionis malitia ſuo medicatur contrario, ex evacuatione & oppoſitione; imo multoties ſufficit multa regiminis bonitas in repletione & malitiâ complexionis. Denique per experientiam conſtat, plurima eſſe, quæ ſimilibus curantur, & non contrariis. *Hippocr. 6. Epid. comm. 2. t. 9.* Dolorem dicit curari dolore, vomitum vomitu, alvi fluxum purgantibus ſedari voluit, & tusſim tusſi: *& lib. 5. Aph. 21.* Frigidâ aquâ tetano à causâ frigidâ producto medetur exterius affusâ, quæ auxilia contraria non ſunt, ſed ſimilia. Quæ in hiſce *CL. Helmontii* mens ſit, patet *ex tr. ignot. action. Regiminis.* §. *4.* & *tr. Natur. Contrarior. neſc.* §. *21.* & *46.* item, *in tr. ignot. hoſp. Morb.* §. *72.* Verùm ſciendum eſt dictas inſtantias contrarietatem in Morbis non invertere, ſed illius potius conſervare dignitatem & ſimilitudini ſuam per haſce conſtare laudem. Nam ad primum dicimus, contraria quidem in ſummo gradu poſita, quæ à Naturâ noſtrâ ſuperari non poſſunt, lædere & opprimere, ſed Medicamenta talia non eſſe, dum inter ipſa & Naturam noſtram quædam adhuc cognatio eſt, ex parte materiæ Elementaris, & modo miſtionis, cujus reſpectu etiam vinci & ſuperari poſſunt, utut eam rurſus alterent & afficiant qualitatibus. Si igitur temperies in eodem ſemper ſtatu permaneat, & corpus inde ſanum ſit, omninò ſimilia adhibere oportet, quia ſimile non agit in ſimile; quod ſi tamen intemperies accedat ab immodico ac intemperato ſimilis uſu in quantitate & qualitate, ſane modico contrariorum uſu inducta

ducta hæc intemperies ad temperiem priſtinam eſt reducenda; Sic ventriculus ſiccus, qvi ob ſimilitudinem immodicè utitur alimentis ſiccis, ſi ſiccior inde fiat, reparanda omnino eſt hæc ejus intemperies alimentis humidis, ſed moderatè talibus. Qva ratione *Galenus lib. 6. de Sanit. tuend. cap. 11.* calidas temperaturas frigidis tuetur, qvia in uſu ſimilium excedentes ægrotant facilè. Deinde non oportet in Naturis intemperatis adhibere ſimilia, qvia licet ſimile non agat in ſimile, ambo tamen agunt in tertium. Sic ignis additus igni magis calefacit: Eâdem ratione contrarium non ſemper perimit contrarium, ſed aliqvando ex accidenti intendit. Sic ex *Hipp. 1. Aph. 15.* ventres hyeme & verè Naturâ calidiſſimi ſunt. Aqvæ puteales hyeme calēt, æſtate verò frigent. Ideoq; modicè contraria adhibere oportet, ſi receſſus magnus: qvemadmodum *Galenus in Arte Medendi cap 79.* de ventriculo calidiore verba faciens, dixit, qvod â frigidis nunqvàm lædatur, ſi iis utatur modicè. Excipias tamen cum *Galeno lib. 8. Meth. & 5. de Sanitat. tuendâ 10.* corpora, qvando ſibi diſplicent, aut ægrotant; qvia tunc Natura intemperata, ſive parum, ſeu multum ab optimâ temperie recedat, in eâ eſt conſervanda: nam cum eâ, qvaliſcunq; ſit, conſervatur, & exercet operationes ſuas ad corporis tutelam, neceſſarias; qvia curatio Morbi nihil aliud eſt, qvàm illius in priſtinum Naturalem ſtatum mutatio, qvæ facilior eſt ad intemperiem naturalem, qvàm ad temperiem optimam. Deinde cum Natura à contrariis reducentibus vim aliqvam patiatur, ut ſi homo ægrotet, iter faciat, curis interturbetur, tunc Natura non eſt fatiganda contrariis, ſed conſvetis, & ſimilibus recreanda.

Ad ſecundum notandum eſt; licet Naturæ ſint Morborum Medicatrices, tamen omni Morbo etiam contrariæ ſunt & effectivè etiam omni adverſantur Morbo, eiq; vehementer reſiſtunt, & cauſam morbificam è corpore expellunt. Hæ ſolæ ſæpè ſibi ipſis ſufficiunt, vias excernendis ſuperfluitatibus parant, omnia faciunt in animantium commodum, & niſi Medicamenta earum gratiam & adminiculum recipiant, ſanare neqveunt, cum earum actione perficiantur. À Naturis ergò Morbi curantur præcipuè; ab Arte, qvatenus eſt Naturæ miniſtra; à Medico ut Artis miniſtro; à remediis ut à Medico Artis beneficio exhibentur.

Tertiò ad meliorem etiam ſenſum trahi poſſunt, qvæ ab experientiâ deſumpta proferuntur; Dolor curatur dolore, fluxus fluxum, vomitus curat vomitum, tuſſis tuſſim, & frigidæ aſperſio remedium eſt convulſionis ſeu tetani, non per ſe, ſed ex accidenti. Dolor non curat dolo-

dolorem per ſe, ſed qvatenus remedium tollit affectum, cui dolor eſt adjunctus, & qvem dolor ſeqvitur ceu umbra corpus. Fluxus fluxum curat, vel qvatenus removet cauſam fluxûs, vel fluxus ſangvinis extracti per phlebotomiam fluxum ſangvinis undeqvaq; manantis perſanat. Sic vomitus vomitum, & tusſis tusſim curat, vacuando cauſam. Sic frigidæ aſperſio tetanũ tollit per accidens propter ἀντιπερίστασιν calore concentrato, ille ſe ipſo validior factus exteriora illuſtrat.

Qvercetanus qvidem in *Defenſ. Hermetic. Medic.* hîc conſenſum vult inſtituere cum Dogmaticis, dum Dogmaticum contrarium cum ſimili Hermetico, & ſimile Hermeticum cum contrario Dogmatico in gratiam reducere conatur. Sed hæc duo invicem reconciliare, nihil profecto aliud eſſe, qvàm indicationes curativas cum præſervativis, & viciſſim has cum illis turpiter confundere; docet *Anton. Günther Billich. in Theſſal. in Chymic. rediviv. c. 16. CL. Helmontium* qvod concernit, certum eſt, ſcriptis ſuis inſerta eſſe bona malis, & mala bonis. Mala ſunt rejicienda, & bona ſeligenda & retinenda. Hoc agamus, ſanas HELMONTII Meditationes ſtudioſè explicemus, & qvantũ poſſibile paradoxas conciliemus & vanas repudiemus. Πάντα δοκιμάζω, τὸ καλὸν κατέχω.

Ut igitur ad rem præſentem deſcendamus, ſciendum eſt, primò allegatum Helmontium in ſuperius citatis contraria in aliis rebus, præterqvàm in animantatis, planè non admittere, & cum videam nullam ex ſuis rationibus ſatis prægnantem, ſed omnia Ratione & Experientiâ deſtituta, nos non attingentia hoc loco, ut nos remoremur, ventilemus & examinemus, laboris eſſe arbitror fruſtranei; Hoc qvidem certum eſt, nullam rem ſe cupere perditam, neque ſui appetere interitum, tanqvam ſui contrarium, ſed quamlibet rem, etiam præter Naturam, conari, ut conſervetur, quia ſui multiplicativa eſt. Ideoque Morbus v. g. calidus non ſe perditum cupit, ſed quoque alia membra corporis calefacere tentat; ſicuti nec ſitis, vel fames ſui deſtructionem expetunt. Verum homo ingenitâ vi percipiens rem noxiam & moleſtam, ſimul ejuſdem ablationem deſiderat, Ægerque & Natura remedia Morbo, cum quo conflictantur, contraria deſiderant; ſic frigidis admovenda ſunt, quæ calefaciunt, calidis, quæ refrigerant, ſiccis, quæ humectant, humidis, quæ ſiccunt; non vero ipſe Morbus remedia deſiderat, ſicut nec humiditas ipſa ſiccitatem appetit, ſed ægrotus; atque ita ex illâ generali Regulâ; *Omne, qvod præter Naturam, tollendum*; morbus ſui ablationem indicare dicitur, id quod *CL. Helmontius* inficias ire nequit; Non qvod ipſe

ipſe Morbus, aut quicquid eſt in corpore præter Naturam ſui deſtructionem deſideret, ſed qvia, ut Homo conſervetur, qvicqvid præter Naturam illi evenit, tollendum eſt, idqve fit ſeu mediatè, ſeu immediatè, ſeu per ſe, ſeu per accidens, & effectivè. Excellentiſſimus *Sennertus* diſtinguit inter indicationem & remedia, qvæ ſunt inſtrumenta, per qvæ indicationi ſatisfit; indicans præter Naturam ſemper ſibi contrarium indicat. Aſt inſtrumenta, per qvæ efficitur, qvod indicans præſcribit, licet cauſæ ſemper ſint ſimilia, nihil refert, modo indicationi per id ſatisfiat, & cauſa tollatur. Nonnè enim hæc eſt contrarietas ex Archéo indignante fieri manſvetum & placidum? anteqvàm autem hoc fiat, nonne neceſſe eſt, ut grato ac ſibi ſimili, in qvo ſuas reperiat delicias, prius compellatur, & hoc eſt; curationem debere fieri per ſimilia, ratione ſcilicet Naturæ, ſive Archéi, ut loqvunturHermetici: Dum autem *Helmontius* docet, cauſam occaſionalem eſſe tollendam; ſanè unà admittit agens & patiens, qvod dum facit, utiqve contraria etiam admittat neceſſe eſt. Nam qvamvis agens & patiens in genere ſint ſimilia, nihilominus ea in ſpecie ſunt diſſimilia, & eatenus contraria; contrariorum autem multiplex eſt acceptio; Qvæ non in qvalitate ſolùm, verum etiam ex mente *Hippocratis*, in qvantitate, quæ *Ariſtoteles* oppoſitis annumerat, cõtraria ſunt; qvæ ſcilicet, in numero, in ſitu, in figura, in omni deniq; genere plurimum diſtant. Propriè contraria ſunt, calidum & frigidum, humidum & ſiccum, durum & molle, craſſum & tenue, atqve etiam magnum & parvum, multum & paucũ, altum & depreſſum. Alia contraria ſunt, qvæ privantia appellantur, ut plenum & inane, integrum & corruptum, continuum & ſolutum. Qvæ Morbis adverſa dicuntur, non in mediocritate qvadam conſiſtunt, ſed ab hâc in oppoſitum divertunt; Quod enim mediocre eſt, in medio extremorum poſitum nunqvam ad mediocritatem id traducet, qvod vel extremum jam eſt, vel in extremum devergit. Nam cum illa vel permiſtione vel contactu congrediuntur, mutuâ actione ſeſe obtundunt, ſuasque vires remittunt, ac neutrum omninò in alterius Naturam, ſed in medium qviddam faceſſit. Sic qvod frigidũ eſt non à temperatis, ſed calidis duntaxat in temperiem revocatur. *Fernelius Lib. 1. Meth. Med. c. 2.* Prætereà dantur alia adhuc contraria, qvæ *occultis* ſcilicet *qvalitatibus* talia ſunt; item quæ *actu*, & quæ *potentiâ* contraria ſunt; & qvæ *denominatione & operatione. Valleſ. l. Controverſ. 8. cap. 4.* Sic, cum ſalini Morbi ſalinis, tartarei tartareis curantur Medicamentis, hæc qvidem operatione Morbis ſunt contraria, ſed denomi-

nominatione videntur ſimilia; verùm falſò; nam diverſa ſunt Salina remedia, qvædam enim vim reſolvendi, qvædam coagulandi facultatem habent. Humores tartarei à ſalibus coagulatis geniti, curantur qvidem ſalibus, ſed reſolventibus. Ulcera à ſalibus corroſivis curantur ſalibus, ſed conſolidantibus & incarnativis. Arthritis à ſalibus acribus curatur lenitivis. Vaga ſcorbutica etiam ſalibus acribus volatilibus curatur, ſed anti-ſcorbuticis ſpecificis. Ita ex aliorum ſententiâ Febris ex Sulphure phlogiſto & inflammabili orta nõ curatur per ſulphur inflamãbile, ſed per Sulphur acidum Vitriolatum, refrigerans, & ferocientes ſpiritus coagulans, compeſcens, & ad inflammationem ineptos reddens, atqve ita Sulphur Medicum expellit & expugnat morbificum. *Sennertus de Conſenſ. & Diſſenſ. cap. 18 pag. 381.* Patet itaqve ex his & ſimilibus aliò reſpectu contraria contrariis curari, aliò ſimilia ſimilibus, & aliò Naturam Morborum eſſe curatricem. Contraria ſcilicet defectꝰ reſarciũt, deſideria Naturæ amicâ ſaturitate replent, Spiritus deliniunt, impuritates tollunt, & earum conſumptiones & ablationes procurant. Similia & grata reqvirit Natura ſeu Archéus partium, tanqvam eaſdem proprietates continentia. Sic non refragantem habemus & ipſum Helmontium. Si ejus rationem Medendi, dum Archéum ceu cauſam Morborum efficientem internam centraliter proximam, impuros verò & excremẽtitios humores inducit cauſam materialem, vel Occaſionalem immediatam, qvâ læditur Archéus & tanqvam ab exotico & infeſto alienatur fermento, ac veluti extra ſe rapitur, conſideremus, qvomodo ad hunc ſedandum & ad cauſam occaſionalem removendam adæqvet remedium morbificum fermentum præcipitans, placans & mitigans; cui omnis curationis tres indicationes ſuperſtruxit; ſedativam ſcilicet pro Archei furore ac impetu, digeſtivam pro coctionum omniũ confuſarum rectificatione, alexiteriam in peſte vel febribꝰ malignis pro fermento venenato extingvendo, ſeu eradicativam pro cauſâ occaſionali removenda in aliis Affectibus; certè videbimus, hæc ipſa documẽta, noſtro qvidem animo, præceptis ac inſtitutionibus veterum, planè non contrariari, modò cum grano ſalis & modeſtiâ diſcretionis invicem conferantur. Sic utiq; cognoſcemus, qvomodo contraria contrariis, ſimilia curentur ſimilibus, & quomodo Natura ſit tam Morborum effectrix, qvam curatrix, ut ſuprà ex Hippocrate allegavimus. Archeus ſcilicet Morbo obſeſſus ſeu læſus, ſi expetat medelam, non expetit, ut ſimile, ſed ut contrarium morbo, & omnis curatio primariò eſt morbi

expul-

expulſio, ſecundariò verò virium reparatio. Vide *Zacut. Luſitan. de M. P l b. p. m. 197. D. Freytag. in Noctib. Medic. p. m. 298. Gregor. Horſt. in Inſtitut. Medic. p. m. 319. CL. Sennert. in Conſenſ. & Diſſenſ. Excell. Rolfinck. in Chym. in Artis form. redact. p. m. 72.*

Utut igitur ſit, Rationem hæc & ſimilia nobis dictitare, tamen & Experientia admodum neceſſaria eſt, utpotè qvæ ordine Naturæ illam meritò præcedit, cum non poſt Rationem Medicina, ſed poſt Medicinam Ratio ſit inventa, licet Ratio propter Dignitatem Experientiæ non cedat. Interim ne Ratio claudicet, alteri qvoqve cruri, Experientiæ nimirum, inſiſtat, qvæ vel ſola ſæpè ſufficit. Qvæ enim clarè, inqvit *CL. Sennertus in Inſtitut. Lib. 5. part. 1. ſect. in cap. 22.* ſub ſenſus noſtros cadunt, nihil dubium, nihil ambiguum aut anceps relinqvunt. Verùm ubi qvædam illos fugiunt, Rationē illis ſuperinducere conandum eſt, ſic tamen, ut non procul, nec confuſa & infinita colligamus, & longè demonſtrationum principia deducamus. Et cum id, qvod Experientiâ inventum eſt, Ratione comprobari poteſt, id procul dubio longè certisſimum eſt; verùm ubi Ratio adverſatur Experientiæ, potius Experientiæ inhærendum, qvæ tamen ſit Medici periti certa & indubitata; nam ſi ſit incerta & mala, ad totius hominis interitum vergit, unde dixit *Hipp. Libr. 6. Epidem. ſect. 2. text. 29. Nihil temerè experiatur Medicus.*

Eſt igitur Experientia memoria eorum, qvæ ſæpè & eodem modo perſpecta ſunt; hinc fit, ut ex pluribus Experientiis tota Ars ſit conſtituta; *Galen. 1. prorrhet. ſect. 3. com. 33. Hippocrates*, inqvit, *ex multâ Experientiâ, qvam fecerat in particularibus, collegit Univerſalia.* Ideoqve *Ariſtoteles 2. poſt. Analytic. ult.* experientiam fieri ex ſenſu dixit, qvia neceſſarium eſt individua ejusdem ſpeciei eâdem ratione operantia efficere ſenſationes, ex qvibus particularibus ſenſationibus debet fieri Memoria, & ex particularibus Memoriæ actionibus elicitur qvoddam ſimulacrum, qvod peculiari nomine vocatur experimentum.

Ut autem certa ſit Experientia, tribus opus eſt reqviſitis. Primò ut Medicamentum ſit impermixtum & ab omni qvalitate alienâ extraneū. Deindè ut in homine temperato, vel ut *Abenſina* volebat, in corpore ægro & qvidem ſimplici Morbo laborante uſurpetur. Sic v. g. laboret qvis febre putridâ, atqve exhibeatur ſpiritus Vitrioli, & ſi calor febrilis inde remittatur, tamen inde non colligere licet, an hic Spiritus ſit frigidus, cum non conſtet, an refrigerando, an verò putredinem inhibendo, vel alio modo hunc effectum produxerit. Tertiò neqve in uno, atqve ſemel, ſed in multis, & qvidem in ſi-

in ſimilibus Temperamento, ætate, ſexu, corporis ſtructurâ. Sic *CL. Wallaus* ipſe expertus eſt, qvod cancer in qvâdam muliere curatus fuerit ſolis foliis urticæ contuſis & admixto pauxillo ſalis communis, exinde tamen non ſeqvitur hoc Medicamentum contra cancrum verâ Experientiâ jam probatum eſſe, impoſitum enim aliis nullum edidit effectum. Ejusmodi incerta experimenta totâ fiunt die.

Qvanqvàm in confortantibus qvalitates manifeſtæ minus ſint attendendæ, ſed virtus Arcani ſpecifici, & proprietas intrinſeca, reliqva tamen Medicamenta ſpecifica certis & certæ ſpeciei Affectibus dedita neglectâ causâ Morbificâ non cuilibet Morbo ſunt applicanda, qvi error vetularum & agyrtarum & barbitonſorum Medicaſtrorum valde communis eſt. De hiſce vide eruditiſſimum *Sturmium in diſcurſu de Medicis non Medicis*. Hi inqvam nullâ habitâ cauſæ morbificæ ratione indifferenter ægritudines curant, cũ tamen multum interſit ad curam rectè inſtituendam, ſi Medicus juvare debeat. Sic in ictero cum inflammatione Hepatis conjuncto eadem ſæpè præſidia adhibent, qvæ in ictero ex obſtructione conveniunt. Sic in Doloribus colicis indiſcriminatim præſcribunt calidisſima, cum tamen illi interdum etiam à calidâ proficiſcantur causâ, & nonnunqvam à fellei meatus occluſione oriantur. Hoc itaqve Medicamen ſi qvis illi affectui applicet, & illud huic, næ ille vehementer errabit, ſeqve & ægrum ſpe conceptâ fallet. Ideoqve experimentalis remediorum inventio ſemper cum rationali conjungenda, tum, qvia Medicamenta, qvæ Methodo reperiuntur, omnibus eâdem ratione proſunt, non ſic autem qvæ Experimento, ut *Galenus* teſtatur *Libr. 9. de placit. c. 6, & 3. ſecund. gener. c. 2.* tum qvia absqve ratione Experimentum infirmum eſt, nec eo ſolo, ex Medicamento in Medicamentum, nec ex affectu in affectum tranſire licet. *lib. 3. Meth. Med. c. 2.* Unde deplorandus eſt præ cæteris familiaris Chirurgorum & aliorum error, qvi ultra limites ſuæ ipſorum Artis progrediuntur (niſi ſimul in Theoricis ſint inſtructi) & in iis ſeſe immiſcent, qvæ ultra eorum capacitatem ſunt, ſicuti in medendis Morbis internis, qvorum cognitionem ipſi neqve habent, neqve ſine Philoſophiæ ſcientiâ unqvam habere posſunt. Et cum mortaliter peccet Medicus, qvi medetur Morbo non cognito, (*Galenus introduct. Medic. cap. 3.*) tantò magis peccabit Chirurgus, qvi & Morbum non cognoſcit, & facit, qvod facere neqve debet, neque poteſt. Excedit enim limites propriæ capacitatis, & licentiæ ſibi conceſſæ, in qvâ re & graviter etiam peccat, & ſi aberret, puniri poteſt, qvia in cul-

in culpâ eſt; culpa enim eſt immiſcere ſe rei ad ſe non pertinenti. *P. Zacbias. in qvæſt. Medic. Legalib. Libr. 6. titul. 1. qvæſt. 9.* Ejusmodi homo toties errat, qvoties manum ad medendum admovet, & certum eſt, qvod ſi qvid damni iſtiusmodi homo ex ſuis medicamentis aliis adferat, de damno teneatur, & ſi qvem Medicamentis ſuis occiderit, teneatur etiã de homicidio. *Idem l. c. q. 11. 4.*

Præterea juxta Experientiæ cynoſuram & illud notandum, qvod tutius ſit, iis uti Remediis, qvæ minus lædentia Natura, contra Morbum pugnant, maximeqve juvant; ſive ſint ex penu minerali, animali, ſive vegetabili, & qvæ ſunt in uſu freqventiori, & ſæpius fuerunt probata; atqve probatisſimorum Medicorum Modernorum & antiqvorum Experientiam ſeqvi neque ex uſu novorum Medicamentorum ſub qvodã ſecretorũ prætextu favorem & auram popularem affectare. Noviſſe enim debet qvilibet Medicus, qvod omnes antiqvi in eo conſentiant, Medicamentum illud, qvod plures experti ſunt, & Naturæ eſt familiarius, illi eſſe longo intervallo præferendum, qvod non eſt Experientiâ comprobatum. *Galen. 4. Meth. Med.* Ideoqve prudentia Remedia, hoc eſt, ſeneſcentia, ſive ſint Galenica ſive Paracelſica, qvæ ætatis temporisqve injuriam ac ignem ſuſtinere potuêre, imò, qvæ inde, unde alia cecidêre, gloriam retulêre, amplectamur.

Cum autem juniores Medici hanc Experientiam, qvæ non niſi longo rerum uſu addiſcitur, & ante canos non venit à ſeipſis habere non poſſint, videtur inferri poſſe, nulli juniori practico corpus ægrum eſſe committendum, ſed ætatem habenti, & experto, qvia multi anni viderunt multa, & Medicus novus novum Cœmiterium; ideoque ſenes præſtare junioribus practicis. Verùm, qvemadmodum Juvenes Medici, ita & ſenes Medici à ſe & inter ſe qvàm maximè differunt; Diſtingvimus enim cũ *Ariſtotele in Ethic.* inter juvenem mento & mente. Qvidam Medici licet Juvenes ſint mento, tamen ſenes ſunt mente, nam cani hominis ſapientia ejus, qvi in brevi ætate tempora multa complevit. Et hi in Medicis præceptis ſcientisſimi & in praxi mediocriter exercitati præferendi ſunt illis Medicis, qvi mento qvidem ſunt ſenes, ſed non mente. Dantur enim ſenes Practici, qvi in neutrâ Medicinæ parte verſati, nil niſi ætatem & Experientiam opponentes citrà ullam obſervationem in viſitandis ægris, in Arte Medicâ verò & ſcriptis Medicis, qvæ moderno tempore ad Artem Medicam excolendam & amplificandam divulgantur, minus verſati, conſeneſcunt: adeòqve horum ſenilis putatitia Experientia Medica potius eſt

ruditatis & ignorantiæ ſæpe palliativum ſubtegmen. Hi nullius momenti ſunt, & quos non poſſis ſperare bonæ frugis aliqvando & mente ſeniores fore, ut qvi in ipſâ ſenectute Juvenes ſint; quibus illud Ægyptii Sacerdotis ad Solonem occinari poteſt; Græci ſemper pueri eſtis, nec qviſqvam è Græciâ ſenex. Et horum imperitiam & ruditatem Medicam ne alii animadvertant, Philoſophi ſunt, hoc eſt, ſemper tacent, ſi vel in Conſiliis collegis, vel in curationibus ægrotis & adſtantibus ad neceſſaria interrogata reſpondere debent, ne ſuam prodant inſcitiam, ſi inepta forſan proferant, malunt tacere, ut videantur ſummi Philoſophi, juxta illud, ſi tacuiſſes, Philoſophus manſiſſes. De cætero non deſunt etiam juniores Medici, qvi parum in Theoriâ medicâ verſati repente ad ipſam praxin ſe conferunt, lucro inhiantes, fidentesqve Artis Medicæ aſylo; iſti ſane ne nomine Medici qvidem ſunt digni, nedum cum aliis poſſint conferri. Si tamen comparatio ſit inſtituenda inter Medicum ſenem mento & mente excellentiſſimum, & inter juvenem Medicum mente ſenem, ſciendum Ætatem juvenilem tolerantiâ & officio præſtare; Senilem verò ſapientiâ & judicio. Ut igitur Medicus juvenis, qui per ſcientiæ Naturalis veſtibula ad Medicinæ abdita penetravit, ibiqve curſibus, ut dici ſolet, de more peractis adhibito poſteà diligenti examine Doctiſſimorum Profeſſorum ſuffragiis fuit comprobatus, rectam ad Medicæ Artis perfectionem ineat viam, anteqvam ad ipſam Praxin ſe accingat, prius præeuntes, aliquandiu ſeqvatur Præceptores ſuos, ut qvæ facienda anteà legerit, ea demũ ductu aliorum in Arte clariſſimorum exercere diſcat, ne qvi primùm in nido productus ac ferme implumis volare nititur, in terram concidat, ſed utrôqve Rationis ſcilicet & Experientiæ pede nixus ſecurè progrediatur. Non deſunt moderno tempore Medici ſeniores experientisſimi, ex qvibus tanqvam ex eqvo Trojano hactenus prodierunt qvotqvot juniores inveniũtur Medici Practici haut ſpernendi. Qvis enim juſto ſilentio involvat ſumma hujus ævi Practicæ Medicinæ lumina *CL. D. ROLFINCKIUM* totius Medicinæ ornamentum, qvis *CL D. JOHANNEM MICHAELIS* illud Medicinæ oraculum, qvis *CL. D. MOEBIUM* ſumum noſtrum in Praxi *DUCEM*, quis Excell. *BALTHASAREM D.D. GLASSIUM* illud totius Medicinæ Practicæ delubrum, ex qvibus 3. ultimi magno cum reipublicæ Medicæ damno rebus humanis exempti ſunt, prætereat? Ab his ſolibus ſtellæ minores mutuatitiam ſuam accipiebant Lucem. In Salmaticenſis Academiæ ſtatutis, teſte *Roderico à Caſtro Luſitano*

ſitano in Medico Politico Lib. 2. cap. 10. & Lib. 3. cap. 23. comprobatum eſt, ut inſignibus Doctoralibus ornatis non prius Teſtimonium Academiæ ſigillo munitum concedatur, qvàm per biennium ſaltem alios præeuntes in Praxi ſeqvuti fuerint, tunc vero Teſtimonium illis tribuitur, qvocunqve tandem circumferendum, qvo ſe iudicatos oſtendant, qvibus fides in Arte Medicâ præſtanda & adhibenda ab omnibus ſit.

Hæc de Ratione & Experientiâ; reſtat jam *Analogiſmus*, qvi *ratione ſimilium curare docet*; Similitudo autem illa eſt vel inter Morbos, vel remedia vel membra. Sed ſummâ circumſpectione hîc opus eſt; licet enim Lues Venerea & Arthritis confinitatem qvandam habeant, inde tamen non ſeqvitur, Arthritidem iisdem remediis, ac Luem Veneream curari. Simili remedio pro ſimili utitur, qvi radicem Tormentillæ pro biſtortâ adhibet. Ita ex ſimilitudine Morborum procedit, cum qvod in brachio profuit Remedium, cruri adhibet. Hâc tamen in re, inqvit *CL. Sennertus in Inſtitut.* in Dogmaticorum & Empiricorum progreſſu eſt diverſitas. Empirici enim, qvi rerum cauſas ignorant, confusè progrediuntur, nec utilia Symptomata ab inutilibus diſtinguunt, unde variatâ Symptomatum ſyndrome curationem temerè tentant; videntesqve in Tetano, ἐμπροσθοτόνῳ & ὀπισθοτόνῳ non eandem ſymptomatum faciem, eandem qvoqve curationem non convenire exiſtimant; iidemq; animadvertentes eundem Symptomatum concurſum, etſi cauſa ſit diverſa, malè eadem remedia adhibent. Dogmatici utilia ſymptomata ab inutilibus diſtinguunt, & ſæpe etiam eodem apparente Symptomatum concurſu, curationem tamen variam, ſi cauſa ſit diverſa, inſtituunt; Et contrà nonnunqvam variante Symptomatum ſyndrome, eadem tamen, cum cauſa ſit eadem, adhibunt remedia.

CAPUT VI.

Natura & Medicus in Morborum Curatione ſtant pro uno.

PErſpeximus hactenus, qvæ Medico curanda veniant, & qvomodo omnis cura peragenda; ſupereſt, ut doceamus, per qvas vias & Natura & Medicus omnia, qvæ contra Naturam ſunt, in corpore noſtro, emendent. Omnis enim medela vel à Naturâ, vel ab ipſius Miniſtro peragitur Medico. Natura primariò reſiſtit Morbis, adeòqve primas in ipsâ tenet Curatione, dum tanqvam gubernatrix totius œconomiæ microcoſmicæ omnia regens & gubernans, chylificationi, ſangvificationi & partium nutritioni, qvam qvodlibet Membrum peculiarem adeoq; & ſpecialem ulterioremq; digeſtionem

nem ac puri ab impuro ſeparationem depoſcit, optimè non ſolùm pręeſt ſed & à cauſis morbificis irreqvietè facta & lacesſita fremens & tumultuans, ipſas debellat & ſuperat, vel per ſimplicem ſolutionem vel per metaptoſin, vel metaſtaſin; Hæc ſapientisſima cum ſit, malum ſentiens illicò ſudore vomitu, ſolutione alvi & reliqvis vacuationibus hominem curat. Sic & per Metaptoſin ex variis Morbis in varios fit tranſitûs. *Hippocr. 6. Epidem. ſect. 6. t. 8.* qvæ ex qvibus in qvos. Et *1. Epid. ſect. 2. t. 10.* ſæpe etiam Natura viribus ſuis utẽs metaſtaſin inſtituit à membro nobili ad ignobile, & qvod alienum & exoticum eſt proſcribit & expellit. Sic experimento fidisſimo certum eſt ardentes febres ſeu tertianas aut alias malignas ſolâ hujus ope, qvæ ſuis viribus uſa ſemper utilia ſervat, noxia expellit & Principes partes in quibus febrilis caloris inſolentia dominabatur, multis qvaſi ſatellitibus circumpoſitis munit & defendit, qvandoqve in artuum dolores deſiiſſe.

Morbi, dum Medici ope ſanantur, ipſum ſui etiam officii faciunt memorem. Medicus enim Naturæ non ſolùm, ſed & Artis debet eſſe Miniſter. Qvemadmodum igitur Natura & primò & per ſe & ſola movet, dũ ſine remediis Morbos ſuperat, digerit, coqvit, & cauſam Morbi expellit, ac corpus ad priſtinum deducit ſtatum, ſic Medicina & Medicus non primùm movent, ſed interventu auxiliorum, qvæ Morbis ſunt contraria. Interim in hoſce non primariò feruntur, ſed in Naturam, ut illorum ope hæc adjuta ſuperior evadat & vincat. Atqve hoc nedum in mitioribus Morbis, ſed & in gravioribus experimur, ex qvorum cenſu febres acutæ & inflammationes internarum partium ſunt, teſte *Averrhoë lib. 7. collect. c. 31.* dum homines validos & ferinos à Morbis acutis poſſe fieri immunes ſine artis & Medici auxilio ſponte ſuâ docuit. Unde & *CL. Rolfinckius in tr. de Meth. general. curand. febr.* accuratisſimè ſcripſit: *qvidam Morbi*, inqviens, *à ſolâ Naturâ vincuntur: Qvidam Medico cooperante ſanantur. Nemo ſervatur, niſi Natura ſepârarit Morbum, nemo moritur, niſi Natura ſit victa.* Non enim in curatione Morborum Natura ſe habet merè pasſivè, ſed etiã activè, & hi non egent Medico; interdum tamen ob Morbi pervicaciam impeditur & langvet Natura, tunc, Medicus cogitur auxiliatrices adhibere manus, & manca & inchoata Naturæ munera explere ac perficere auxiliis vacuantibus, digeſtivis, & corroborantibus, cujusmodi Exemplum habes in *Riverii tractatu de febribus Peſtil. p. m. 145.* de Parotidibus febribus Epidemicis ſupervenientibus. Qvin etiam Medicus Naturam interdum ſuperat, ſiqvidem

luxatos

luxatos artus reponit, vulnerisq; disjuncta labra adducit, id qvod minimè Natura aggredi poteſt. Qvando Morbus eſt in habitu, qvalis eſt febris hectica, qvia non remanet inclinatio, nec aptitudo, ut partes in Naturalem redeant ſtatum, ab intrinſeco ſolùm non ſanatur, qvia ſanatio hæc à parte ſanâ ſolùm præſtatur; exoptat ergò Morbi habitualis curatio Medica præſidia, *Johan. Fernel. Lib. 1. Meth. Med. c. 1.* licet ab his ſolum fieri neqveat, dicta enim Medici opera non niſi interveniente Naturâ perficiuntur; nam luxatorum artuum repoſitio & conjunctio vulnerū, qvæ futuris fit, nunqvam eſt perfecta, niſi actio Naturæ articulos firmantis & carnem generantis accedat, & ad febrim hecticam ſanandam principium internum concurrat.

Hîc *Cl. Helmontius* inſurgit, *Naturæ,* inqviens, *ſunt Morborum Medicatrices, Medicus autem illarum miniſter* juxta *Hippoc.* Sed id de Morbis venit intelligendum, qvos Natura curat ſponte ſuâ. Aſt ubi ſuccubuit, ut ſuis reſurgere viribus neqveat, Medicus à Domini benignitate electus & apud qvem omnes Morbi ferè ejusdem ſunt pretii, talis enim eſt, qvi aliqvam univerſalem Medicinam inter plures ejuscemodi nactꝰ eſt, manet non amplius Miniſter, ſed interpres, Rector, & herus præpotens. *Franciſcus Oſwaldus Grembs* hoc ipſum probat *in arbor. integr. & ruinoſ. hominis Lib. 3. c. 3. de Remed. Paracelſic.* dum dicit: datur unicus vitæ moderator, & non plures, qvi vocatur impetum faciens ab Hippocrate, hic igitur malè ſe habens vel ex ſemine, vel ſponte propriâ fatiſcens integritatem Naturæ, qvæ homogeneæ vitæ inculpata diſpoſitio eſt, lacerat, ex qvo ſubnaſcuntur impuritates vitæ noſtræ inſidiantes; eſt itaqve unitas alteratæ Naturæ, unitas ſanitatis læſæ & unitas ſpiritûs ſuper Morbum agitati conſideranda, non autem multiplicitas varietatum occaſionalium; cum habeat unum Medicamentum ex arcanis cuncta reqviſita ex dono DEI per manum artificis, ut reſpiciat unitatem prædictam potentiſſimè reſolvendo, qvidqvid ſordium congeſtum fuerit, qvibus liqvatis Natura ſatagit per cognitum iter diſpergere nocuū; & inde verificatur, qvod ſola & unica Natura ſit Morborum curatrix. Unde *Helmontius* nobis recommendat ſuum Mercurium diaphoreticum ad ignem fixum ſolis horizontis, ens primum ſalium, lili, & *P. Poterius* ſuum ſulphur metallorum; & qvicunqve aurea Heſperidum poma captare volunt, non nemo infert, primùm leonis Orientalis ſangvinem, qvem ex rore cœli & pingvedine terræ conceptum, in maris mediterranei rivis Veſta Neptuno obſtetricans excepit, capere; tum

re; tum à Realgare combuſtibili, Oceani ſalſedine & tartareô cœnô depurare: tandem familiari tepore prægnantem latonam tantiſper fovere, dum ſtupendarum virtutum geminos maſculum & fœminam excluſerit. Utrumqve tunc ſeorſim, & pro ſuo qvemqve genio decenter educare. Ac Dianam qvidem, ubi proprio in Balneo cryſtallino lavârit, ſapone ſapientum dealbaverit, & lacte virgineo ad conſiſtentem usqve ætatem enutriverit, purpureâ ſtolâ, pretioſisqve carbunculis, rubinis & corallis nitentem Germano ſuo Apollini deſpondere, & connubiali fœdere jungere. Hujus enim fœcundo ſemine ingravidata, poſtqvam elapſo menſium duorum curriculo ignis cum aqvâ in gratiam redierit, exoptatum illum tot votis, ſtudiis & ſumptibes Phœnicem, qvi non ſibi tantum perpetuare vitam, ſed & humanam prorogare valetudinem, vereque aurea revocare valeat ſecula, pariet. Atque hic eſt ille balſamus Soterius, & reſtaurantium univerſale, verè miraculum rei unius, arcanorum gaza, paradyſus felicitatis, & arbor vitæ, cujus ſalutifero fructu qvicunque divinâ benignitate particeps factus eſt, promulſidem qvandam æternæ beatitudinis hic capit, ſpretisque omnibus vel minis, vel illecebris mundi, uni DEO & proximi ſaluti mediis tranqvillus in undis vacare diſcit. Hæc Chœlidonia qvia ἄπονος eſt, εὔκρατος, mitis & blandiſſima, cuilibet & in qvovis Morbi tempore, ſtatu vel genere exhiberi poteſt: & qvia πάγχρηστος eſt, totiusque Naturæ opes per machinam mundanam diſperſas aſtraliter in inviſibilibus ſuis theſauris concentratas continet, ſatis eſt ad omnium Morborum ſanationem, cum reſpiciat non ſolum cauſam occaſionalem, ſed etiam Archei perturbationem ſedet; itaque nullam hic Indicationum perplexæ particularitates, contrarietates, vel ordines ſedem inveniunt, ubi eâdem Medicinâ omnium Morborum conſumptiones & reſolutiones, omniumque functionum regenerationes & corroborationes inſtituuntur. Antiqvos ſi conſulamus, cum Ægyptiorum etiam placitis maximè conveniunt ea, qvæ jam ex Hermeticis nonnullis attulimus, documenta. Nam ejusmodi univerſalem Medendi virtutem antiqvos adſcripſiſſe illi τῷ τῆς ἀθανασίας φαρμάκῳ Iſidis, certum eſt. Non facile tamen dictu, inqvit *CL. Conringius de Hermetic. Medicin. cap. 17.* num poſt Iſidem alius in Ægyptiis ad ejusmodi qvid inveniendum conatus attulerit. Paracelſi verò ſchola in hoc ſtrenuè laboravit, ipſius arrogantiæ fidem habens, dũ *Lib. de Tinctur. Phil.* inqvit Medicina hæc univerſalis eſt ignis inviſibilis Morbos qvosdam devorans. Hac ego curavi Morbum gallicum, lepram,

ſepram, hydropem, colicam, Apoplexiam, Eſthiomenum, Cancrum, Fiſtulas, Scirrhos, omnia mala interiora. Cui adſtipulantur *Arnoldus Villanovanus, Lib. 2. cap. 31. Roſarii, Robertus Vallenſis de Verit. & Antiqvit. Chymiæ. Itẽq; Gerardus Dornæus de tranſm. metall. c. 14.* Qvi Tinctura, inqvit, Phyſicorum univerſalis qvædam Medicina eſt, qvæ cunctos Morbos conſumit, non aliter, qvàm ignis omne lignum. Accedit juſtus *Balbianus in tractat. 5. roſar. abbrev.* ita loqvens. Habet lapis hic virtutem efficacem omnem ſanandi infirmitatem ſuper alias Medicinas, nam augmentat virtutem, conſervat juventutem, non permittit ſangvinem putrefieri, contenta in ſpiritalibus purgat, & omnia corporis membra conſervat. Qvibus accedit *Michaël Scotus de Natura Solis & Lunæ, Richardus Anglicus cap. 14. calid. Rogerius Baccho de Mirab. pot. Art. & Natur. Michaël Sendivogius in Lumine Chymico novo. Iſaacus Hollandus in Op. vegetabil. cap. 15. & alii.*

Verũ optandum eſſet, ut, qvod *CL. Helmontius* & alii jam allegati forſan poſſederunt, (qvanqvam ingenioſiſſimus *D. Conringius* de hoc valde dubitet in *tr. de Hermetic. Medic. cap. 17.*) & nobis aliisque Medicinæ cultoribus cõtingeret; ſic enim forſan citiùs, tutiùs & jucundiùs omnes poſſemus curare Morbos, & ſic unicus vitæ moderator, impetum faciens non ſolùm poſſet corrobari, ut ſatageret per cognitum iter diſpergere nocuum, ſed & impuritatum ſeminariæ tincturæ commodiùs reſolvi, conſumi & diſſipari poſſent. Qvanto enim ſic ſublevaremur labore in locis affectis indagandis medicamentis Morbo, parti affectæ, ſexui, ætati, tempori convenientibus ordinandis, aliisq; in Methodo Medendi obſervandis? Sufficeret ſaltem noſſe hominem ægrotare, de aliis non opus eſſet, ut Medicus foret ſollicitus. Cui uſui enim eſſet tot ſtudia in Anatomicis inſumere, tot mineralia & metalla, tot plantas & animalia, ex qvibus Medicamenta fiunt, cognoſcere, in Morborum & cauſarum morbificarum differentiis locisque affectis inveſtigandis tempus impendere. Nullam qvoque Indicationum, ut ſupra allegavimus perplexæ particularitates, contrarietates vel ordines ſedem invenirẽt, ſi eâdem Medicinâ omniumMorborum conſumptiones & reſolutiones inſtituerentur. Neq; opus eſſet peculiari qvodam & ſpecifico vehiculo, qvo ad partem affectam deduceretur & determinaretur Catholicum hoc Medicamentum, nam cùm arctiſſimâ φιλοφρονήσει Archéus balſamum hunc complexus fuerit, ipſemet ſine ductu extraneo ſcientiarũ virtutumque ſuarum prædeſtinationes in qvibuscunque membris explicabit, deletisque Morborum tincturis

ſturis in ſanitatis ſignaturam eas transplantabit, qvemadmodum lapis Butlerianus ſolo contactu illud ipſum perfecit. Vid. *CL. Helmontius in Butler. p. 469.* Sed tanti theſauri inventio forſan non minus dubia, aut abdita eſt qvam Molii illius Homerici, cui nigra ſubeſt radix, lactisque albedine flos eſt; nec cuivis contingit adire Corinthum, niſi vocato, electo, exercitato & commiſſo, inqvit *Helmontius in catarrh. Deliram. §. 1.* nec niſi Aqvilinis Philoſophis, qvi multum in Gratiæ & Naturæ laboratorio orando & laborando inſudârunt, tandem ſe offert. Præſtat interim, qvi minorum ſumus gentium, ita ſtudia noſtra dirigere, ut ſi forſan Penelopes favore cadere nos contingat, famularum tamen & familiarium Venerum ἀντέρωτα experiri, iisque ſvaviter fruiſci poſſimus. Cogitemus Tullianum illud; prima ſeqventes, honeſtum eſſe in ſecundis tertiisque conſiſtere. Incumbit nobis, inqvit *CL. Joh. Hartmannus in hypotypoſ. Univerſ. Medicin. Therapevtic.* ſi non perficiendi ſpe, aſt experiundi voluntate, qvousque, DEI munere datur inveſtigando contendere, qvàm faſtidioſè, ceu qvondam vulpecula moros & noctua ſolem criminari. Qvod ſi igitur Divinâ adſpirante gratiâ aliqvando lare hoc tutelari, magno illo ſapientum Magiſterio potiri liceret, ſiqvidem nullus dubito ejusmodi Medicamēta qvalia ſunt ſulphura qvædam, dari, quæ Spiritum vitalem ſvaviſſimis popiſmatis demulcent, non tamen exiſtimemus, hoc ſatis eſſe & Naturam ita roborari poſſe, ut ſine ullâ aliorum præſidiorū ope tollere poſſit omnes affectus. Qvemadmodum enim ſoli huic ſpiritui actiones corporis non ſunt in acceptis ferendæ, ſed etiam partium conſtitutionibus, ita etiam Morbi non ſunt unius illius ſpiritus. Cum Spiritus vitæ, inqvit *Excell. Rolfinckius in Chim. in Artis form. redact. Lib. 1. c. 9.* à variis lædatur cauſis, non una etiam ſufficit Medicina, ſed plures, ut removeantur plura hæc impedimenta. Impoſſibile enim eſt, ut hic ſpiritus ſerum in hydropicis, aut feces alvinas in iliacis ſine Medicamentis hydroticis aut alvum moventibus expellere, calculum in Renibus vel veſicâ contentum ſine ulla lithontripticorum ope diſſolvere, aut nodos arthriticorum diſſipare poſſit. Unde ipſe *Helmontius in poteſtat. Medicamin. §. 14.* fateri cogitur, ſanationes tam per medicamina, qvàm per Naturam fieri non ſolum per ſedationem agitati Archei, ſed & ablationem cauſæ occaſionalis per reſolventia, abſtergentia, exhalantia vel expellentia medicamenta, utpote cui ſine dubio optimè conſtiterit, ſedationem Archei in Morborum curatione non ſufficere, niſi & cauſa morbifica fuerit ſublata, & unà cujusvis partis

priva-

privatæ robur, qvod ad actiones obeundas deſtinatum eſt, ſalvum ſit; jam igitur ad omnes actiones corporis perfectè peragendas reqviruntur duo inſtrumenta, atteſtante *CL. D. Sennerto in Conſ. & Diſſenſ. Medic. Chymic. & Galenic. c. 18*, commune primum; proprium alterum. Commune eſt ſpiritus vitalis, proprium autem certa aliqva corporis pars. Ut enim chylificatio in ventriculo rectè fiat, & ſpiritus vitalis tanqvam inſtrumentum commune reqviritur, & ipſius ventriculi recta & laudabilis conſtitutio. Ac pro actionum obeundarum diverſitate propriorū inſtrumentorum eſt diverſitas, & ſua cuiqve parti peculiaris conſtitutio ab aliarum conſtitutione diverſa. Hinc qvod uni convenit, alteri non convenit; & proinde nec unum Medicamentum omnium propriâ conſtitutionem conſervans, nec omnium vitia emendans dari poteſt. Si vitium nullum ſit in ipsâ parte, ſpiritusque à corde affluentes etiam rectè ſeſe habeant, actio partis recte expedietur, at ſi vis partis alicujus nimium debilitata & corrupta ſit, aut penitus ablata fuerit, ſpiritus influens eam reſtituere neqvit; Sic in motu animali non ſolùm requiritur ſpiritûs influentis recta conſtitutio, ſed & oſſis legitima conformatio, musculus benè conſtitutus, vaſa aperta, non obſtructa, cerebrum ita diſpoſitum, ut Spiritûs animales amandare poſſit, pars recipiens ita temperata & conſtituta, quò Spiritus à cerebro dimiſſos ſuſcipere poſſit. Hæc omnia & diverſa unius Medicamenti viribus peragi non poſſunt. Nec obſtat, qvod, qvemadmodum ignis omne lignum conſumit, ita etiam Medicina hæc univerſalis tanqvam ignis inviſibilis omnes devoret Morbos. Nam nec ignis Elementaris omnia corrumpit, ſed ea tantum, qvæ aduſtibilia & inflammabilia ſunt, auro, vitro, terræ nullam vim infert. Et ſi ignis ad modum hæc univerſalis Medicina ageret, ecquî fieri poſſet, ut humores ſaltem noxios abſumeret, ſangvinem autem & reliqvas corporis partes intactas relinqveret? Conſule *CL. Sennert. l. c. CL. Conring. l. c. Excell. Rolfink. l. c. Johann. Freitag. in Noctib. Attic. c. 72.*

CAPUT VII.

Cauſæ Morborum qvomodò tollendæ, de Humoribus Subſtantiâ peccantibus & primò de Purgatione.

Inter cauſas morbificas, qvatenus abſolutè, & ut Res ſunt, conſiderantur, referimus Humores & Spiritus, dum ambo peccant *Subſtantiâ, Qvantitate, qvalitate, motu & loco.* Et quamvis vitiū in Subſtantiâ excludi poſſe videatur, cū illa tam quantitati, quā qualitati ſit ſubjecta, & nemo dum abundantiam deplet aut qualitatem

tatem vitioſam alterat, illud intactâ ſubſtantiâ inſtituat, attamen negligere nequimus, ſi tanquam dictorũ accidentium fundamentum conſideremus & ad corruptionem Humorum accommodemus, & ideam & ſpeciem illorum intelligamus, qvando ita corrumpuntur, ut aliam à ſangvine formam acquirant, corporique alendo utiles non ſint; Et colliguntur in corpore partim propter fermenti ventriculi & reliquorum viſcerum digeſtivi vitium, aut degenerationem & corruptionem chyli & ſucci nutritii, partim ob ſufflaminatam in dictis viſceribus eorumque anfractibus ſanguinis depurationi deſtinatis excrementiarũ craſſum, ſulphurearum, tartarearum ac ſalinarum, (quas ſive ſcorias bilioſas, pituitoſas, ſive Melancholicas voces, tibi integrũ eſt,) impuritatum per deſtinata emunctoria ſeparationem; partim quando fermentũ arripiunt peregrinum vel alteriusodioſi hoſpitis præſentiâ nobis minantur exitium. Hi dum infauſto conjugio maſſæ ſanguineæ aut ſero ſive latici maritati & copulati demum mediante circulari ſanguinis motu ſub alimenti involucro ad partes nutriendas ſeſe conferunt, & vitalibus membris diſtribuuntur fermentum alienum explicantes, mox apertum Spiritui vitæ ſeu Naturæ noſtræ & Archéo bellum indicant, oppugnãt, & qvaſi obſident, ut omnino impeſè irritetur, & ad furorem redigatur, adeò ut ſic irritata Natura tanquam alterHercules cum ferociâ & tumultu contrà fortiſſimè agendo repugnet, & cum dictis iſtis exoſis humoribus tanquam odioſis hoſpitibus, quibus involvitur, omni conamine deprælietur, unde ſummâ ebullitione teterrimas fuligines confertim exhalante concitatâ, ut nimirum vitioſos illos humores vincere, edomare, ac poſtmodum penitus eliminare valeat, varia infirmitatum mõſtra oriuntur. Conſidera, inquit *Libavius*, annon tota Natura adverſetur ſanguinis vitæ, juguletque vel mutet ſuo veneno Spiritum, & calorem nativum in ſanguine, quib9 diſſipatis vel mutatis jam ſponte ſeqvitur illorum corruptio, qvæ nunquã eſt ſine fermentatione, qvæ fermentatio nihil aliud eſt, quam cruditas Hippocratica. Horum, inquam, ſubſtantia, & qualitas fermentativa Naturæ infeſtaCacochymiam efficit per Purgationem, vomitoria, Clyſteres, Diaphoretica & Diuretica eradicandam. Cum autem Humores dicti ſint vel craſſi vel tenues, ſeu, ut loqvitur *CL. Helmontius in tr. ignotus Hoſpes Morbus* §. 80. vel ſolo gravant pondere, ſuique inimicâ præſentiâ, qualis eſt infeſti hoſpitis, vel alienam acqvirunt qualitatem, vel putrent, vel fermentum arripiunt peregrinum, vel infamis veneni contagio nobis contrariantur, peregreq; vel

vel adveniunt vel intus ſuboriuntur humorum degenerationes; Priores, quâcunque etiam copiâ vel ſubſtantiæ modô adfuerint, indicant Purgationem faciendam pro humorũ inclinatione, vel per ſeceſſum, vel per vomitum; Poſteriores humores reſidui tenues, ſeroſi, fermẽto peregrino ſive ſalibus ſylveſtribus tincti, per Diuretica. Infamis autem veneni contagii vel alterius exotici effluvii nomine venientes per Diaphoretica flagitant elibranda & exterminanda.

PURGATIONEM propriè ſic dictam, & quatenus Auxilium eſt, qvod concernit; deſcribimus per excretionem humorum cacochymicorum in corpore exiſtentium ope Medicamentorum purgantium factam per alvum ob Morbum vel præſervandum, vel curandum.

Qvomodo autem hæc excretio fiat difficile eſt explicatu; Senem noſtrum qvandò conſulimus, ſtatuit ille *Lib. 1. de Natur. human. t. 31.* medicamenta purgantia humores impuros vacuare, qvemadmodum ſtirpes ac ſemina ſuccos attrahunt ſibi certos ac determinatos, ita & illa humores familiares; id qvod *Galen.* *confirmat, lib. 1. de Facultat. naturalibus cap. 13. & lib. de Purg. Medicament. Facult. cap. 5.*

Eraſiſtratus, *Aſclepiades* & noſtro ſeculo nonnulli Hippocraticæ & Galenicæ doctrinæ hoſtes infenſiſſimi adſerunt, Medicamenta purgantia indifferenter virulentiâ ſibi propriâ totam maſſam ſanguineam & heſternum etiam cremorem ſanguificationi deſtinatum inſtar torrentis abradere, & in liqvamen putridum ſubigere.

Si tamen aliqvid dicendum, videtur, ut cum ſummo Philoſopho *Ariſtotele* & Naturæ interprete mirabili *ſect. 1. probl. 41. 47. & 48.* faciamus, rem ſic determinante, ut purgatio fiat, primò, quia purgantia non vincuntur, ſed ſolum extenuantur, fermentant humores corpus penetrando; vel quia deindè ſtimulum excernendi addunt partibus ob acrimoniam vel Medicaminis, vel Humorum, vel tertiò quia attrahunt, ſed debiliter.

Humores vitioſi ut ex corpore eliminentur, prævia extenuatione ſeu fermentatione hoc ipſum ut fiat, neceſſe eſt, quæ non ſecundum partes purgantium craſſiores, ſed ſecundum partes magis vaporoſas & tenuiores ſeu fermentantes Purgantiũ Spiritus peragitur, quæ ſententia eſt *Fernelii lib. 3. de Purgandi ratione c. 6.* Hi, inquam, ſi purgantia in juſtâ adhibeantur doſi, Humores vitioſos utilibus commixtos ab his ſeparant & eorum commixtionem diſcontinuant, ut totum corpus purum poſteà relinquatur. Purgantia enim non in ventriculo otioſa ſubſiſtunt, nec intra ventriculi parietes, aut primarum viarum terminos manent,

ſed à calore corporis noſtri moderato reſoluta & ad actum deducta per lacteas delata venas tenuiſſimis ſuis ſpiritibus ſeu effluviis cum ſangvine circulatis humoribus noxiis involvuntur, eos turbant, exagitant & fermentant, quo efficiunt, ut qui antea ſanguini permiſti Naturæ moleſtiam non creabant, à purgantibus fuſi conſpicui fiant, hinc ſegregentur & deturbentur per arteriam aortam in propaginem cœliacam & meſentericam tam ſuperiorem, quam inferiorem, quo tempore etiam mutantur urinæ, qvoad colorem & conſiſtentiam, & pulſus fit vehemens, quod niſi etiam eveniat, purgatio nunqvam ſuccedet. Humoribus ſecretis Natura & à Medicamine vel à noxiis humoribꝰ ſtimulata expultricis facultatis ope & purgans Medicamentum & Humores vitioſos ſimul ex corpore expellit & exturbat.

Attrahunt demum etiam purgantia ſimul ſeparatos humores ad alvum non tantum per ductûs manifeſtos, venas ſcilicet & arterias, ſed etiam occultos, vaſa ego dixerim lymphatica & alia in mortuis evaneſcentia. Sed hoc facile eſt dictu, difficile explicatu. Ajunt qvidem hanc attractionem fieri ob ſubſtantiæ ſimilitudinem, qvemadmodum alia Medicamenta cum multis partibus habent plurimum conſenſum, & ad eas vapores emittunt. Sic aſplenium Lienem reſpicit, abſynthium ventriculum, adianthum thoracem, eupatorium jecur &c. Verùm, quæ eſt ſimilitudo ſubſtantiæ Agarici cũ attractâ ab eo pituitâ. Eſt nempè agaricus calidus & ſiccus *Dioſcoridis, Galeni, Meſue*, omniumque Medicorum ſententiâ, pituita autem, qvam attrahit, frigida & humida. Agaricus ſapore amarus, Pituita dulcis, acida, inſipida, ſalſa nec unquam ulla amara eſt, Agaricus in alimoniã verti nequit, Pituita poteſt juxta *Gal. lib. 2. de Natur. facultat.* Et niſi ex ingenti abdominis capacitate hydropicorum aquas à purgantibus evacuari & educi viderem, in totum illum tractionis modum negarem. Si ergò aliquid trahunt, faciunt id debiliter; Sic radix hellebori nigri fonticulo impoſita non adeò potenter humorẽ vitioſum trahit, quâ ratione etiam virginum non defloratarum genitalibus appoſita menſtruum provocat fluxum.

Hippocratis ſuprà allegatam quod attinet ſententiam, non deſunt, qvi eandem eò deflectunt, ut dicant, hoc ſimili non voluiſſe probare ſimilitudinem in tractione, ſed tantùm analogiam quandam indigitâſſe inter Medicamentum, cujus virtute purgatur, & humorem, qvi purgatur. Sed qvicqvid ſit, nos nullam in Purgatione admittimus actionis determinationem, nec ullam concedimus electionem. Nam primò, ſi reverà daretur talis humores purgandi

gandi electio cum ipſo purgante, ſeqveretur pro evacuandis humoribꝰ mixtis, utpote bile & pituita neceſſarium eſſe, ut pharmacum pro unâ doſi ex integrâ doſi cholagogi & integrâ etiam Phlegmagogi fieret. e.g. Ex rhabarbari duabus drachmis & trochiſcorum Agarici duobus ſcrupulis, id qvod abſurdum eſt, & nunquam fit, ſed ſufficit cujusque domicilia doſis invicem commixta, Rhabarbari drachma una, Agarici ſcrupulus unus. Deinde Morbi & purgãtia iis proficua conſiderata prorſus dictæ electioni repugnant; e. g. inter cholagoga flores Antimonii albiſſimi, inter Phlegmagoga colocynthis, inter Melanagoga caſſia; & hoc fundamento Morbus melancholicus neqvaqvam evacuatione florũ Antimonii, & colocynthidis curaretur, quod tamen contra rationem & experientiam omni auctoritati anteponendam, cum humor melancholicus, utpote lentus, viſcidus & torpidus non melius ac floribus Antimonii, laxativâ caſſiâ & colocynthide pungente vel irritante educatur. Sic etiam in Morbis Melancholicis confectio Hamech magnoperè laudatur, qvæ præter Sennam nullũ pharmacum Melanagogum in compoſitione habet, & tamen juxta illorum opinionem Melancholicis utile eſt. Tertiò refragatur experientia; conſule experientisſimos Medicos Practicos, interroga ægros, & illos, qvi eis adſtant, omnes profectò uno ore dicent, quod ſemper excrementa aquoſa, tenuia, fluxilia primò evacuentur, proximè phlegmatica, & demum craſſiora vel flavedine vel viriditate tincta aſſocientur à qvovis pharmaco educta. Qvin & quod magis eſt, ſi ipſa pharmacopolia adeas, & in iis formulas à Medicis præſcriptas perſcruteris, videbis ſæpe celeberrimos Practicos uno eodemque Medicamento in evacuandis plurimis & diverſis ægrotis uſos eſſe. Unde tamen non ſeqvitur qvodlibet purgans in quolibet affectu indifferenter uſurpari poſſe. Sic qvi humores humectari debent, poſtulant humectantia pharmaca, qualia Sirupus roſarum ſolutivus, Sirupus ſennæ, multiplices infuſiones violarum &c. Qui craſſi ſunt & incidendi, illa gialappam, Mechoacannam albam, Scammoneam &c. Nec obſtat Rhabarbarum evacuare excrementa biliofa flava, Crocum Martis aperitivũ Melancholica nigricantia, flores item Antimonii croceo tingere colore; ergò etiã ſeqvi dicta Purgantia electivè tales purgare humores; Sciendum enim eſt, hos colores non Naturâ eſſe in humoribus, ſed illos à Medicamentis provenire, quemadmodum flores Antimonii propter ſulphur ſuum humores tingunt, Crocus & Rhabarbarum urinam ſuâ flavedine exaltant, & ſi extra corpus qvædam hanc vim ha-

bent, ut rebus colorem qvendam inducere poſſint,cur non ipſa purgantia reſoluta idem dent effectum? Sic infuſione gallarum limpidâ ſolutioni Vitrioli permixta fit atramentum, &c.

Notandum tamen, qvod omnes humores ſubſtantiâ peccantes per Purgationem evacuari neqveant. Sunt enim vel intra vaſa, vel extra vaſa, quæ extra vaſa, ſunt rurſus vel tenues, vel craſſi, tenues evacuari poſſunt, crasſi verò non, quia magna vis Medicamenti, quæ reqviritur ad craſſorum attenuationem & fermentationem,non poteſt pertingere ad partem affectam. Sic hydropicorum, ut ſupra innuimus expurgatur aqva; ſic ſæpe in Aſthmate, ubi materia tenuis in pectore hæret, feliciter procedit evacuatio. Humores in vaſis contenti iterum vel tenues ſunt vel craſſi. Hic omnes tenues etiam educi non poſſunt, ut in malignitate, niſi per Diaphoretica, de qvibus infrà acturi ſumus.

Haut incommodè autem omnem purgationem diſtingui poſſe videtur primò in minorativam, qvæ inſtituenda eſt,qvando Morbi ingruunt & pravus ac crudus chylus aut alii excrementitii humores Morbū fovent, & impedimento ſunt,quò minus reliqvaMedicamenta in actum traduci nequeant, & periculum eſt, niſi minantur, ne ex illorum odioſâ præſentiâ affectus fiat vehementior. Deindè revulſivam, qvæ ſtatim etiam in principio inflammationum tam internarum qvam externarum,qvādo humores in appulſu,nondum autem impacti ſunt, & ob humoris incandeſcentiam &malignitatem partis corruptio timetur, adminiſtranda eſt; Hæc ex ipſius *CL. Helmontii* ſententiâ multum ſæpe utilitatis adfert, dum Archéi exorbitationes ad inflammationem excitandam diſpoſitas alienat, ſuſcitando novas procellas, qvamvis ſæpe fiat, ut nulla inde Archei irritati ſeductio,ſed potius major ad iram comotio ſeqvatur, ideoque neceſſe eſt,cauti ut ſimꝰ in legitima hujus adminiſtratione. Et tertiò inEradicativam,quæ debetur humoribus vel ultra primas vias ſubſiſtentibus, aut etiam primarum viarum ſubſtantiæ fortiter immerſis. Hæc quo tempore conveniat, infrà videbimus.

Ipſa Medicamēta purgantia communiter primò diſtinguunt in illa, qvæ purgant primam corporis regionem, & illa, quæ ſecundam, & quæ tertiam. Primam regionem citra jecur eſſe, & à ventriculo ad hepar usq; medium extendi, & omnes illas partes & vias,quæ inter ventriculum & hepar interjacent, complecti dicunt. Secundam, qvæ à mediò hepatis ad habitum usque corporis porrigitur, & continet gibbam epatis partem, omnesque majores venas. Tertiam, quæ habitum corporis;

tis, id eſt, Muſculorum genus cum minoribus venis, membranis & reliqvis comprehendit.

Verùm nos motum circularem in ſanguine ſtatuente, hanc ſententiã aut prorſus inficiari, aut alio modo explicare neceſſum habemus, aut juſta erit cenſura *Helmontii*, *demens Idea* inſcripto libro §. 20. Scilicet, prima Regio nobis eſt Ventriculus, & inteſtina cum omnibus vaſis inibi contentis. Secunda, ubi fit circulatio ſanguinis, hoc eſt, in omnibus venis & arteriis. Tertia, ubi ſanguis eſt extravaſatus.

Deinde etiam Medicamenta purgantia dividunt in ea, quæ per os purgant, & in ea, qvæ per alvum & inteſtinum rectum materiam peccantem educunt. Sic Mercurius vitæ, vitrum Antimonii, crocus metallorum, Gummi de peru Helleborus albus, & multa alia vomitoria dicuntur, & contrà Rhabarbarum, Senna, Scammonea purgantia in ſpecie ſic dicta per pylorum & inteſtina ſaburram evacuant. Sed an realis & vera detur diverſitas inter purgantia, ita ut hoc tantum vomitum cieat, illud ſolùm alvum moveat, an verò potius totum hoc diſcrimen aut in limitatione majoris vel minoris doſeos, aut in additione debiti corrigentis exiſtat, de eo diſpiciendum.

Nullum datur vomitorium, in„ qvit *CL. Wallæus*, quod non etiam „ per inferiora purget. Nullum da„ tur purgans per ſeceſſum, qvod nõ „ etiam vomitum cauſare poſſit, e.g. „ aloë ab unâ drachmâ ad duas, „ manna à ſemiunciâ ad unam alvũ „ movet, auge doſin, & vomitoria facies. Rhabarbari drachmæ duæ evacuant alvum, ſemiuncia facit vomitum, gummi de Peru eſt vomitorium ſi abſque correctione ſumatur, addito Spiritu Vitrioli correctũ eſt, & ex vi emetica oritur hydragoga ad hydropem accomodata. Cum itaque nulla nova vis Purgantibus accedat, ſed unum idemque Medicamentum nunc ſuperius, nunc inferius purgat, qvid qvæſo aliud diſcriminis hic inveniri poteſt, qvàm limitatio qvantitatis & additio corrigentis, ita ut vomitus tantùm videatur majoris purgationis & operationis, evacuatio autem per alvum minoris, qvia autem majus & minus non variant ſpeciem, etiam inter purgantia hîc non datur ſpecialis differentia.

Verùm, hîc in qvibuſdam nec occultæ qvalitates ſunt excludendæ, quædam enim exiguâ etiam in doſi propinata peculiari qvalitate & ſuâpte Naturâ ſurſum, non verò deorſum propenſionem & inclinationem habent. Sic crocus Metallorum clyſteribꝰ infuſus etiam vim ſuam emeticam exerit; ſic radix Hellebori albi alvo intruſa non per alvum, ſed per vomitum purgat, purgantium fermentantibus Spiritibus naturali incli-

inclinatione eò delatis, ſimulq; humores commoventibus. Nonnulla tamen manifeſtis qvoqve cauſis ad vomitum concitandum concurrunt, qvod ſcilicet vel ventriculo qvaſi innatant, unde accidit, ut ſi copiâ aggravatus ſit ventriculus, aut vi etiam Medicamenti ſuperfluâ eò trahuntur, vomitus oriatur; vel laxant ſuperius ventriculi orificium. Quod autem purgantia hæc manifeſtis prędita qvalitatibus majori qvantitate præſcripta vomitum, non alvum moveant, ratio hæc eſt; Medicamentum qvò fortius eſt, eò citius operatur, & naturam irritat. Jam cum pharmacum fortius Ventriculum ingreſſum eſt, tunc ſtatim operationes exſerit, & humores, qvos invenit, fermentat. Hi fermentati ſuâ ebullitione & acredine Ventriculum ſtimulant, ut per ſuperius orificium eos extrudat: Si in hâc excretione ſimul omne Medicamentum adſumptum expellitur, tunc peracto vomitu purgatio ceſſat; Si verò pharmaci qvædam reliqviæ in ſtomacho remanſerint, tunc illæ poſtmodum inteſtina ingrediuntur, & innatâ ſuâ acredine & fermentali caliditate ea pariter ad excretionem humorum per inteſtinum rectum irritant. Eodem modo Medicamentum minori qvantitate & levius adſumptum non ſtatim in ventriculo agere incipit, ſed tamdiu interdum moratur, donec per pylorum excluſum, & tunc per inteſtina tantum evacuat, nullusque conjungitur vomitus.

Qvò cœptam noſtram de Purgatione telam continuo & non interrupto pertexamus filo, ante omnia quærendum jam eſt, qvomodo purgatio debitè ſit adminiſtranda? Cum enim videamus magnum eſſe hâc tempeſtate hujus abuſum, & in hoc infinitos comitti errores, dum nonnulli omnium morborum curam citra Catharticorum uſum non poſſe inſtitui & abſolvi, adeoque ægrorum ſalutem in his ſæpe repetitis nullis digeſtivis, reſolutivis, & aperitivis appropriatis præmiſſis, poſitam eſſe arbitrantur, ſicque contingit illegitimè his adminiſtratis & reiteratis neglectâ virium ratione Morbos diuturnos fieri, ſpiritus exhauriri, appetentiam dejici, & cruditates augeri, à qvibus mille incomoda ut rectè monet *Valleſ. Libr. 7. Epidem. Hipp. p.m. 802.* Hos inconſideratos auſus in ſui temporis Medicis etiam taxat *Galen. lib. 1. de humorib. ſect. 1. comm. 12.* quod ſolùm de vacuando humore eſſent ſolliciti, nullâ de partibus roborandis conſideratione factâ, ſic enim ait: Quo pacto cernere eſt „commune Medicorum erratum, „qui in plerisq; affectionibus plerunque committitur: nam quod „ſupervacuum eſt, evacuant illi quidem, ſed tamen, ne ei, qvod vacuatum eſt, perſimile gignatur, nullo modo ſibi curandum proponunt.

nunt. Unde & *P. Poterius Cent.1.Curat. 2. Centur. 2. Cur.1.* gravisſimè in tales invehitur Medicos, ipſos vo-
„ cans ſtercorarios non Medicos,
„ Empiricis longe pejores, à circũ-
„ foraneis, agyrtis, Mimis & hiſtrionibus minus differentes. Deinde dũ non juſto ac legitimo exhibent tempore non curantes utrum in Morbi principio, an vero in ejꝰ ſtatu offerãt. Et tertiò, dum loco præſervationis ſanis æqvè ac ægris vehementiſſima propinant pharmaca, nullâ habitâ ætatis, temperamenti, ſexus conſvetudinis, & aliarum circumſtantiarum ratione; non ponderantes *Hippocr. Aph.36.37.ſ.2.* Unde non ſunt juxta modo laudatum *Valleſ. libr. 5. l. cap. p.478.* temerè purgationes tentandæ, qvaſi non ſint periculoſiſſimæ, ſed potius circumſpiciendum eſt, cui homini, qvo Morbo affecto, & qvâ occaſione detur. Rectè enim *Plato* dixiſſe videtur Medicam purgationem, qvæ pharmacis agitur, tunc ſolùm eſſe utilem, cum ſumma urget neceſſitas, aliter autem nullo modo ſanæ mentis homini ſuſcipiendum. Ut igitur omnis purgatio cum εὐφορίᾳ procedat, corpus non nimium moveat, alteret, aut infirmet, adeoque ex voto ſuccedat; conſideremus primò *Purgandi modum, An ſcilicet, & qvid purgandum? qvo tempore, qvo loco, & qvantum illud ipsũ fieri debeat?* Deinde examinemus *ipſum purgandi actum*, qvid *primò faciendum ante purgationem*; deinde *in ipsâ purgatione* & tertiò *poſt purgationem*. Et tertiò denique etiam *purgationis* attendemus *effectum*.

An autem, & qvid purgandum, humorum ſupra explicatorum infeſta innuit præſentia. Cum autem illi ipſi ſint vel *crudi*, hoc eſt ferocientes, & ob inqvinamentum fermentale Naturam irritant, nec per excrementa ſuæ coctionis indicia præbent, nullo modo, niſi turgeant, id eſt, niſi Natura ſupra hoſpitem morboſum victrix evaſerit, qvando nimirum devictus hoſpes morboſus ſponte ſuâ mox receſſurus pro parte cum aliis ſordibus à pharmaco allectis excidet (*Valleſius Libr. 7. Epidem. in comm. p. 843.*) evacuandi ſunt; vel *Cocti*, hoc eſt, poſtqvam ſanguinis ebullitio fermentationis effectus ceſſaverit, & notas perfectæ ſuæ coctionis per excrementa præbuerit, tunc faciles fiunt purgationes; vel *Neutri*, qvi neque crudi, neque cocti, ſed planè corrupti ſunt, & Naturæ gratiam nequeunt ad mittere, dũ nullo modo vinci poſſunt à Naturâ, ſtatim ex corpore ſunt pellendi, qvo enim immorantur diutius, eò magis corrumpuntur, & Naturam vel cauſarum morbificarum occaſionalium induunt; vel fiunt Morborum producta, ſic ſerum aliiq; corrupti humores ſalibus ſylveſtribus imprægnati conveniri in maſſâ ſanguineâ, ſic corruptus in ventriculo chylus &

qui ex ejus corruptione & depravatione infames ſuam petunt proſapiam, & nihil aliud ſunt, quàm coctionis in ventriculo aberrantis excrementa illico per Purgationem expellenda, imperante illud ipſum urinâ craſsâ & nebulosâ; *Hipp. 4. acut. t. 44. Greg. Horſt. Inſtit. Medic. Diſputat: 19. qvæſt. 5.*

Notandum tamen & obſervandũ eſt, à prudenti Medico in omni purgationis adminiſtratione facultatum ac virium roboris ſumam ſemper habendam eſſe rationem. Et primò, potiſſimum ac præcipuum permittens ad evacuationem eſt à facultate vitali deſumendum, utpote cujus ope corpus humanũ omnes reliquas exſequitur; poſtmodum à Naturali, & demum ab animali. Niſi affectio propria viſcera nutritioni deſtinata occupet, à facultate Naturali robuſta potior indicatio eſt depromanda. Qvemadmodum ſi Cerebrum afficiatur, à facultate animali eſt petenda indicatio. Deinde hinc colliges etiam, Medico valde utile eſſe ad celebrandam Purgationem; *vires* cum *Temperamento, habitu corporis, ſexu, ætate, conſvetudine, & Morbi magnitudine* conferre. Si enim robuſtus ſit corporis virilis & Morbus magnus adſit, univerſa Morbi cauſa ſimul auferri poteſt. His enim ſcopis auctis, vacuatio liberalior celebranda; Sin ſecus autem, & vires non ita vigeant, parca eſt exercenda & in perexiguâ doſi *Lazar. Riverius c. 2. obſerv. 17. Galen. lib. de Sangv. miſſ. cap. 13. & Zacut. Luſitan. in Introit. ad Praxin. præcept. 42. Gregor. Horſtius in Inſtitut. de Purg. diſputat. 19.*

Præterea & maximam habent vim Purgationẽ prohibendi *affectus nonnulli*, qui, niſi obſerventur, indè exacerbantur, & ægrotum in maximum deducunt periculum; ſic in Febribus acutis vehementiſſimis cum internâ viſceris alicujus inflammatione conjunctis, id quod ex dolore, urinâ flammeâ rubrâ & ex ſangvine venâ ſectâ detracto dignoſci poteſt, ſane nullus, cui mica bonæ mentis adhuc ſupereſt, purgantia adminiſtrabit, unde *Hippocrat. 4. homine* inquit Febricitanti caput ne purgato ne furioſus fiat. Calefaciũt enim
,, caput pharmaca purgativa, & ad
,, caliditatem febrilem, accedente
,, eâ quæ in Medicamento eſt, inſa-
,, niam faciunt; & *4. Acutor.* quicun-
,, que ſtatim periculoſas Morborum
,, inflãmationes cum febribus acutis
,, medicamento purgante ſolvere
,, tentant, ii de contentâ atq; inflam-
,, matâ parte nihil detrahunt, cum
,, nihil cedat, quæ adhuc cruda eſt
,, affectio, quæ verò Morbo reſiſtunt
,, & ſana ſunt, contabefaciunt. At
,, debili reddito corpore Morbus ſu-
,, perior evadit, qui ubi corpus ſupe-
,, rarit, curationem non admittit.
,, Hæc rationi admodum ſunt con-
ſentanea

„ ſentanea, inquit *Valleſius Libr. 2.* „ *ſ. 6. in comm. Epidem p. 218.* & pro- „ inde ſive homo vehementer febri- „ citet præcipuè ſecundum partes ſu- „ periores, ſive caput inflammatio- „ ne tentatum ſit, ſive tentari pericli- „ tetur, ſive phreneticus ſit, ſive ma- „ gnum habeat ulcus, quod poſſit nõ ſine periculo irritari, „ devito pharmaca quoad poſſum, certò ſciens his magnoperè tentari capita. Eadem ratione cum & *febrium malignarum* cauſa proxima non ſit nuda aliqua intemperies calida, ſed ebullitio ſangvinis, quæ provenit ab inquinamento fermentali febrili & venenato, hoc autem ſæpè adeò; ſit exiguũ, ut inviſibiliter, odoretenus, vel auræ inſtar, ne grani pondere, ut loquitur *Excell. Knöpfelius Archiater Regius in aureo illo tractat. de Meth. Med. febr. malign.* contra *Auguſtinum Corrade*, ſed exceptum omni lege & dimenſione Mathematicâ, nos ingrediatur, ut totam Spirituum & liquorum vitalium Subſtantiam ſibi aſſimilando penetret, illud certè non tam ſtercoream, quam fermenti illius febrilis & venenati in herbâ poteſtativam elibrationem, & eventilationem Spiritus vitalis ſeu Archei ſub ipſius tyrannide gementis, & ſic anxii omnes functiones interturbantis indicat. Quo in caſu aliàs etiam cum pulſus ſoleat eſſe nimis citatus & vehemens, interdum humilis & depreſſus, urina itidem cruda, Purgatio prohibetur, ſed in ſpécificis antifebrilibus alexipharmacis eſt ſalus & vita ægrorum.

Inflammatio etiam & *Exulceratio interna* reſpuit Purgationis uſum; *Galenus libro 1. in comment. ad Aphoriſm. 24.* Quibus hypochondria ul- „ tra modum calida & hoc ipſo in „ loco aliqua viſcerum inflamma- „ tio, omnes nequaquam apti ſunt „ ad Purgationem. Rationem addit *Valleſius Libr. 5. Epidem. in comment. p m. 476.* quia nihil ſinit inflammatio evacuari; ſed qvicquid à pharmaco movetur ad ſe alliciens mirum in modum auget; inprimis autem ſi in ventriculo, etiam abdomine, aut thorace contineatur; cum enim humores impacti jam ad fluorem deducti non poſſint per alvum evacuari, quia muſculi abdominis & thoracis comprimuntur, neceſſariò pars inflammata acrius dolebit, augebuntur fluxiones, & inde inflammatio majores acquirit vires, *Avic. 4. 1. c. 4.* dicit, habentibus in interioribus apoſtema, purgatio noxia eſt, & *Galen. 13. Meth. Med. 3.* in inflammatione Ventriculi & Jecoris medicamenta purgantia improbat. Notandum tamen, ſi humor jamdum fluat aut turgeat, ut ſit in procinctu ad inflammationem excitandam, aut jam ſedata ſit fluxio, & humor in inflammatâ parte concoqui cæpit, tutiorem eſſe Purgationis uſum, ut præcepit *Galenus 13. lib. c. cap. 15.*

Deindè *copia viſcoſorum humorũ* purgationem etiam interdicit. Illi enim ex tenacibus & craſſis generati cibis, viſcerum parietibus ita tenacitur adhærent, ut pharmaco attrahenti non obediant, & ſic illud ſuo vel defraudetur effectu, vel vitioſi iſti humores violenter moti pharmacis atrociter agentibus ad loca debiliora protrudantur & calorem partis ſuffocando exitium afferant. cujusmodi Exemplum *Horſtius* proponit *lib. 9. in chirurg. caſib. obſerv 25.*

Tertiò, *Tenſio* etiam & *inflatio in hypochondriis*, medicamentum fortiter purgans impedit, *Galen. 4. Aph. 73.* unde & in colicis doloribus ab initio abſtinendum eſt à fortioribus purgantibus, quia periculum eſt, ne ad partem affectam trahantur humores, & ita augeantur dolores, vel quoniam flatuum copia tum elevat pharmacum ſurſum, nec permittit illud inferius labi ad inteſtina, tum contorquet vias, unde nec virtus Medicamenti nec humores evacuandi liberè poſſunt tranſire. In Hydrope Aſcite, Tympanitide, & Cachexiâ purgantia validiora etiam frequentius non ſunt uſurpanda, ut docet *Galenus 9. de Partibus*; quia corpus admodum debilitant, ut poſtea major aquarum & flatuum proventus exoriatur. Ideoque roborantia & aperientia frequentius, qvàm purgantia erunt præſcribenda, *Riverius in Praxi p. m. 201.* Hydrops etiam Leucophlegmatia per concoctionẽ & non per evacuationem ſubigitur; præmittere cathartica omninò mortiferum eſt, *P. Poterius c. 2. cur. 20.* Cachecticis etiam purgantia nullo modo danda, cum ab iis lædi hepar & bilis fermentum debilitari certiſſimum ſit, ſed lenitiva paria hiſce eſſe repetita poterunt; id enim agit debile agens reiteratum, quod fortiter agens ſemel & cum minori periculo. Hunc errorem noſtros errare ſæpius deprehendo, ut à vehementiſſimis quoque Purgantibus, qualia diagrydiata non abſtineant in Cachecticis, adeoque præmaturo committant funeri corpuſcula longiore digniſſima vitâ. In malo hypochondriaco etiam Purgantium uſus ſit moderatus, à fortioribus enim abſtinendum eſt, ne hiſce à longinquo & toto corpore peccantes humores impetuosè verſus primas vias trahantur, & inibi cumulentur. Ventriculus etiam in hypochondriacis cum debilis admodum ſit, fortioribus utique medicamentis ulterius debilitandus non eſt. Sed arcanum feliciter malum hoc curandi conſiſtit potius in familiari præcipitantium uſu, quæ ferox illud humorum fermentum edomant, & ex corpore educunt, ex quorum cenſu Medicamenta ſunt Tartarea & Martialia, qvæ in hoc negotio unanimi omnium Medicorum conſenſu potiſſimam ducunt familiam.

Quar-

Quartò, *Obſtructiones* etiam Purgationem prohibent. Has itaque abeſſe oportet, & humores, quàm maximè fieri poteſt, eſſe fluxui paratos, hoc eſt, tenues, & nullum lentorem participantes, & aperta eſſe foramina, per quæ debet purgatio fieri, & nullum habere obſtructionem.

Quintò *propenſio ad diarrhœam* itidem Purgationem interdicit, quia metus eſt, ne nimis copiosè & cum periculo purgetur æger, & ὑπερκάθαρσις accidat, *Avicenna 4. 1. cap.* & *Thom. Bartholinus Cent. 5. hiſtor. 93* Si autem cauſa morbi urgeat, ut alvi fluxus per alvi fluxum ſit emendandus, eligenda talia ſunt pharmaca, quæ leniter alvum ſubducendo naturam non irritant, ſed moderate adſtringendo Ventriculum & inteſtina corroborant, & unà materiam noxiam cum εὐφορίᾳ expellunt.

Sextò, *ingravidatio* Purgationem etiam impedit ob abortus metum, & licet etiam febres acutæ adſint & materia turgeat, tamen plurimis remediis poſſunt emendari & evacuari peccantes humores citrà purgationes fortes; proſtant enim moderno ſeculo ejusmodi Medicamenta, quæ humores præparant & ad vias ductuum deducunt pharmaco vehementi relicto, & ſciendū eſt in Gravidarum Morbis interdum ſummam adeſſe ſanguinis fermentationem, ob fermentum aliquod peregrinum in maſsâ ſanguineâ excitatum, quam purgantia, quatenus purgant, nullo modo compeſcere poſſunt; quin imò maximè dubium adhuc eſt, an fermentale illud effluvium purgantium ductum ſit ſecuturum. Vide de hâc materiâ uberius differentem *Zacut. Luſitan. de M. P. h. Lib. 3. h. 14. q. 29.* & *Renod. l. 2. Mat. Med. ſ. 1. c. 15.*

Cum certam ſpem habemus, Naturam ex ſe poſſe cauſam morbificam à maſsâ ſanguineâ ſeparare & ſemel ipſam ſedare eſſe ſufficientem, totum medendi negotium ipſi etiam committimus, expectantes ſigna coctionis à Naturâ factæ; at ſi periculum ſit, ne ob tardam operationem Natura à cauſâ occaſionali morbificâ cladem patiatur, Natura ita affecta & oppreſſa relinquenda non eſt, ſed ſummo cum judicio debito tempore illi auxiliatrices afferamus manus. Perſpecto igitur modo an ſit purgandum, & quid? ad *Tempus* devenimus. Si enim Medicus non tempore debito, ferente occaſione remedia exhibeat, periculum eſt, ne ægrotantem aut omninò perdat, aut ſaltem ne ægritudinem chronicam erraticamque efficiat, & in multa diſcrimina illum deducat. Huc ſpectat *Hippocratis* dictum in *Epiſtolâ ad Crateram num. 18.* Ab omni quidem „ arte aliena res dilatio eſt, verùm „ maximè in Medicinâ, in quâ dila- „ tio, animæ periculum parit. Qua- „ re auxiliari ne differas, nam ſemel

pereunti nulla poſteà ſuffragia proſunt. Cum autem omnis purgatio inſtituatur, vel ob curam præſentis, vel præſervationem futuri Morbi, in cura præcipuè ad *Tempora Morborum* reſpiciendum. Sunt autem illa vel *univerſalia, Principium, augmentum, ſtatus & declinatio,* vel *Particularia,* paroxyſmorum, periodorum, acceſſionum. Incipientibus igitur Morbis ſi quid movendum videtur, move, in ſtatu autem quieſcere oportet: inquit ſummus Dictator in ſuis *Aphoriſticis oraculis lib. 2. Aph. 23.* Tunc enim Natura coctioni incumbit, & utile ab inutile diſcernit, hanc ergò debilitare, & factâ eo tempore purgatione diſtrahere, piaculum eſt, ut expreſsè in *comment.* protulit *Galenus.* In hunc ſenſum intelligendus eſt ipſe *lib. 4. Aph. t. 1.* in acutis eâdē die vacuandum humorem noxium præcipientis; hoc eſt, in principio, antequam robur corporis diſſolvatur, vel ſanguinis ebullitio ingraveſcat, vel ad aliquam partem præcipuam decumbant ii, qui per corpus vagantur, humores. Ubi urinæ in principio ſunt nebuloſæ aut craſſæ ſecundum *Hippocrat. 4. acut. 44.* ſignum eſt materiam non eſſe pertinacem, & obedire Archeo moventi. Hanc legem ipſe obſervavit *4. Acut. t. 42* ubi in febre ardenti die quarto purgare jubet, quod etiam repetit *t. 50.* ubi ante quintum diem purgare vult. In pleuritide purgat die quarto *t. 52.* in peripnevmoniâ diebus primis quatuor aut quinque *lib. 3. de Morb. t. 17.* pleuriticum purgat, antequàm fiat ſaliva craſſior. Sic in febris bilioſæ curatione tertium aut quartum diem pro purgatione eligit *lib. de Affect. t. 18.* impacti verò humores & actu inflammationem committentes antè coctionem non aggrediendi ſunt. *Galenus 4. acut. t. 76.* Sciendum tamen *Hippocratem* per Κινέειν non ſemper ad purgandū invitare, ſed ad alia etiam auxiliorum genera nos quaſi manu ducere, quo Natura vergit per loca conferentia. Hinc fit, ut in omni evacuatione ſive à Naturâ, ſive ab Arte celebratâ tria ſint à Medico obſervanda, Primum, *qvò* fluat humor, aut in quam partem inclinet; Hâc ratione ipſe *Hippocr.* in aſcendente Pleuritide venam ſecat, in deſcendente purgat. *2. Acut. 10. & 11.* Sic nauſea, vomitu, ventris verò mordicatio alvi ſubductione perſananda. *Gal. 6. Epidem. comm. 9.* Secundò conſiderare oportet, *unde* ſcilicet fluat humor, & per quam viam vacuatio ſit inſtituenda, quæ debet habere conſenſum cum parte in quâ humor eſt infixus. Tertiò perpendendum, an *ſuperante Naturâ,* vel *ſuperatâ* humor fluat. Nam aliquando ex humorum copiâ obruitur, & ſuffocatur aliquando ſolum ipſorum qualitate pungitur & laceſſitur, vel utrumque accidit, ut tum humorum copia, tum etiam il-

lorum

lorum nociva qualitas Naturam obruat. Sic ſi unà cum ſummâ febrili effervescentiâ æger percipiat in variis partibus dolores vagos, varias etiam patiatur in facie aliisque partibus coloris mutationes, ut nunc rubeat, nunc palleat aliquâ faciei parte, ac denique anxietatibus & inquietudinibus maxime torqueatur, id quod dependet ex humore ſeroſo fermento febrili irritato certè præter Venæ-ſectionem & purgationem etiam ſpecificis antifebrilibus & antiarthriticis temperatis, diaphoreticis & diureticis materiam qualitate infeſtam præcipitantibus naturæ æmulis cura erit incipienda; & demum ſedatis dictis ſymptomatibus cauſa occaſionalis per purgationem eſt eradicanda, & recidiva præcavenda.

In *Augmento* nihil movendum, niſi calor ſit remiſſior, materia turgentis rationem habeat, ſuoque motu & inſtabilitate omnia conturbet;

In *Statu* verò quieſcendum, *Hippocrat. lib. 2. Aph. 29.* quia omnia ſymptomata tunc vehementiſſima, *Aph. 30.* ob maximam Naturæ pugnam, à quâ non avocanda, in primis cum nondum conſtet, per quas vias Natura criſin ſit inſtitutura.

In *Declinatione* autem purgatio conceditur, ſi virtus non ſit debilis, nec per criſin moleſta expurget Natura. Sin ſecus, ſinere oportet *Hipp. ſ. 13. Aph. 20.* tunc enim humor incipit ſegregari, ſeu ſpirituum fervores fermentationis febrilis effectus ceſſarunt, & fixationem conſentaneam receperunt. Et hoc eſt, quod vult *Hippocr. ſ. 1. Aph. 22.* cocta purgantibus ſunt removenda, non cruda id quod etiam affine eſt illi, quod de Purg. medicam. habet. Quicunque à febribus fortibus corripiuntur, his Medicamenta expurgantia dare non oportet, donec remiſerit febris.

Cum autem cruditatis & coctionis crebra hactenus in antecedentibus facta fuerit mentio, non immeritò quæritur, quid *cruditas* & *coctio* ſit; deinde unde Medicus dignoſcer queat, utrum humores ſint *crudi*, an verò *cocti?* & tertiò, *an Medicus coctionem humorum promovere adeoq; criſin ſeu Morbi ſolutionem antevertere poſſit?*

De hâc materiâ Veteres ſi conſulimus variè miſereq; ſe illi torquent, & in varias abeunt ſententias; dum nonnulli coctionem per ſeparationem ac ſegregationem humoris vitioſi à maſsâ ſanguineâ fieri aſſerût; alii coctionem per humoris præparationem deſcribunt, & cruditatem per illos humores indigitant, qui nondum victi ſunt à Naturâ & diſſimiles ſunt partibus coquentibus in Subſtantiâ & Qualitatibus. *Johann. Fernelius & ex illo CL. Sennertus lib. 3 Meth. Med. c. 12* coctionem de„ſcribit per mutationem ſubſtantiæ „factam vi caloris in Naturæ convenien-

venientiorem ſtarum. Sic maſſæ ſanguineæ humor vitioſus à Naturâ prorſus alienus, (crudus) quamvis in corporis ſubſtantiam nequeat faceſſere, coctione tamen in aliquid melius,& Naturæ convenientius deducitur ab inſito noſtro calore, cujus una eademq; vis optimum quiddam perpetuò molitur, niſi varietas materiæ ſubjectæ obſtet.

Coctionis et cruditatis humor ratio

Verùm, ex allatis hypotheſibus nullo modo vera coctionis & cruditatis dilucidatur ratio,ſed obſcurum per æquè obſcurum proponitur.Recentiores autem facem præferunt, dum ipſis crudorum humorum concoctio nihil aliud eſt, quàm ebullitionis febrilis ſedatio, quam Medicus ſanioris Medicinæ per fermenti febrilis iſtius ebullitionis cauſæ ablationem & præcipitationem molitur, quæ *Præcipitatio* eſt vera humorum digeſtio, concoctio, ac Naturæ corroboratio, quâ factâ incendia & fervores illi unà cum totâ tot pernicioſorum Symptomatum catervâ promptè poſtmodum ceſſant, & evaneſcunt, ac ipſa Natura vires ſuas facile ac ſponte colligit, quæ anteà inſigniter turbabatur, ac comprimebatur à feroci illo humorum fermẽto. Idem iſtud jam olim Divinus ſenex de *Priſcâ Medicinâ* obſervavit. „ Qvia etiam, inquiens, quæ infau- „ ces delabuntur,ex quibus Anginæ, „ Eryſipelata, Peripnevmoniæ, in- „ eunte fluxu ſunt ſalſa & acria,&ſub inde incrementa Morbi augeſcunt, propter ſcilicet ſalia ſylveſtria acida & ſalſa volatilia ſcoriis ſulphureis tincta in maſsâ ſanguineâ contenta. Ubi verò craſſa evaſerint, hoc eſt, fixationem receperint, ac pepaſmo mitigata fuerint, tunc illicò tum febres ſolvuntur tum cætera, quæ hominem affligebant, miteſcunt. Sequitur cum ſuâ lampade *Sennertus* Medicorum in Germania decus incomparabile *in tr. de Febrib.* crudi- „ tas, inquiens, in febribus videtur „ eſſe humorum quaſi quædam ebul- „ litio,fermentatio, ſeu fervor.Non- dum enim, ut *Galenus* explicat, durante illâ ebullitione vitioſum à bono ſeparatum eſt. Et videtur mihi hîc ferè ſe res habere, ſicut in muſto & cereviſiâ; ſi quis vel decies colarit, vel per fitrum quoque deſtillarit muſtum vel cereviſiam nondum defœcatam, eam claram non reddet, quod natura partes heterogeneas nondum ſepararit. Ceſſante verò illâ ebullitione & fermentatione abſolutâ, poſteà vinum & cereviſia clara redduntur, fœceſq; ſubſident, adeò ut etiamſi agitatione turbentur,fæces tamen brevi temporis ſpatio iterum ſubſideant: ut, ſi in vinum aut cereviſiam defœcatam pulverem aliquem injicias, is facilè vel ſubſidentiâ vel filtratione ſeparatur. Ita antequam humores in venis deferbuerunt, nec à Naturâ, nec ab Arte cum εὐφορίᾳ & utilitate facilè inſtitui-

ſtituitur purgatio; quæ fit poſteà feliciter, qvum coctione partes heterogeneæ ſeparatæ ſunt. Videatur *Mercatus libro 1. de recto præſidiorum uſu cap. 3.*

Sed unde Medicus dignoſcere poteſt; Utrùm Humores ſint crudi, an verò cocti?

Hoc docent *Urinæ color, conſiſtentia & contenta.* Durante enim illâ ebullitione ſeu cruditate, vel Urina eſt ruffa & tenuis; *Hippocrat. 2. Prognoſtic. 30.* vel ſubjugalis; *Galenus 4. Aph. 20.* vel eſt turbida & ita manens, *Foreſt. lib. 3. Obſerv. 6, de Febrib.* vel eſt nigra, *Galen. lib. 1. de Criſ. cap. 12.* vel diluta alba, *Hippoc. ſ. 4. a. 72.* vel rubra flammea, & ſic omnes Urinæ partes ſicut in muſto confunduntur. Ceſſante verò illâ ebullitione coctionis quædam ſigna exhibent Urinæ craſſæ & ſubſidentes. *Foreſt. lib. 2. Obſ. 8. de Febrib.* Hinc urinæ turbatæ, qvæ hypoſtaſin craſſam, albam, æqvalem continuam, & levem velociter faciunt, ſignificant velocitatem morbi ceſſantis. *Galen. 4. Aph. 72.* Pro ratione enim, qvâ recrementa ſanguini confuſa, vel ſpiritu præpollente ſubigi & ſecerni incipiunt, vel eodem nimis depreſſo ſeparari qveunt, etiam contenta Urinæ plus aut minus, citius aut tardius à reliqvo liqvore ſecerni, & verſus fundum ſubſidere ſolent, indeqve coctio ſignificatur. Ne tamen decipiatur Medicus, ſciendum eſt, hæc omnia qvidem ita recte ſeſe habere, ſi tantum primaria febris fuerit, dependens à dictâ ebullitione; quod ſi autem primò ſymptomatica, qvalis eſſe ſolet in Anginâ, phrenitide, pleuritide, peripnevmoniâ &c. vel deindè maligna fuerit, urinam diverſâ apparere facie, & ſæpe etiam ſanorum urinis eſſe ſimillimam. *Fernel. lib. de Febribus cap. 7.*

An autem Medicus hanc humorum coctionem promovere, adeoq; Criſin ſeu ſtatam Morbi ſolutionem an ſevertere poſſit? reſtat jam inqvirendum.

Hoc loco criſin rejicere, omnemqve Naturæ conatum denegare in infirmitatibus, mea non eſt intentio, qvatenus criſis etiam eſt merum ac benignum Naturæ opus ac munus ſeu, ut *Valleſius Libr. 6. ſ. 5. in comm. Epidem.* extinctio Morbi affatim facta, cum perturbatione & evacuatione. Sed eò inclino, ut nonnullos tantùm Practicorum perſtringam, qui ſummâ cum ægrotorum clade, & turpiſſimâ temporis jacturâ tàm perperam ac frivolè connivent, per moras & ſua ſaccharata Medicamina Morbo ſubminiſtrantes pabula, ut majora capiat incrementa. Cùm, incipientibus Morbis, ſi quid movendum videatur, movendum ſit, adeoque Medico potius incumbendum, ut Morbos antè criſin ac ſine

criſi curet. Natura criſin non facit, niſi dum ſola totum onus bajulat, ſtatis diebus. Verus ergò Medicus, in-„qvit *Helmontius lib. de Febrib. c.11.* „§. *18.* ante criſin Morbum ſuperare „debet, ſin ſecus egerit, Medicæ „Artis auxilio nihil penitus adſcribi „poterit. Si enim criſis, infert *CL.* „*D. Langius in miſcell. quæſt. 4.* in „Morborum curationib9 expectan-„da, Medicina profectò ſupervaca-„neum, ſeu inutile Magiſterium erit, „qvia totum Medendi negotium „Naturæ qvaſi unicè, non verò Ar-„ti, nec ejus præfectò hâc ratione committitur. Nec obſtat, in noſtris Regionibus multas fieri morborum ſolutiones, criſes autem pauciſſimas: nam & hæ Morborum ſolutiones fiunt per materiæ morbificæ ſeu fermenti exotici præcipitationem, & totalem expugnationem à maſsâ ſanguineâ; ſive jam hoc fiat manifeſtè, ſive obſcurè. Hanc igitur medelam ſi ſtatim in Principio Medicus maturet, & negotium ſolùm Naturæ humeris bajulandum non relinqvat, ocyſſimè ſane finem faciet Morbo: Satius ſemper adeò eſt Morbi frugē in ſemine comprimere, qvam adultam demetere meſſem. Sic e. g. in Febribus ardentibus, malignis qvid Medico putes in principio aut augmento eſſe agendum? An Naturæ negotium committet dulcib9 emulſionibus tantum, ac julepis ventriculum demulcendo; au verò naſcenti huic Morbo dexteritate peritâ occurrens contrà fermentum febrile venenatum, potius pugnet ſpecificis, antifebrilibus & alexipharmacis, materiam febrilem ac venenatam præcipitantibus, diaphoreticis & diureticis? Hoc dum facit, nonne ante criſin Morbum ſuperat? Qvamdiu enim maſſæ ſanguineæ fermentatio adhuc durat, cruditas adeſt, ſublatâ autem illâ fermentatione coctio advenit.

Circà *Particularia Morborum Tempora,* uti vocant *paroxyſmos*, cū Morbi acceſſio fatigat, nullâ vacuatione convellendæ ſunt vires. Perutilis tamen & accommodata eſt vacuationi hora, quæ vel exacerbationem aliquandiu præcedit, tum enim accumulata materia exacui & moveri incipiens, promptius evellitur; ſed per appropriata & ſpecifica hoc ipſum fieri debet remedia. Unde ſæpe ſummo cum ſanitatis emolumento ſoleo interdum pro circumſtantiarum habitâ ratione ante paroxyſmum febrilem vomitorium, qvod unà ſudorem movet, exhibere. Hâc tamen cautelâ ne vacuatione immodicâ diſſolutæ vires ſuccedentis paroxyſmi impetum ægrius ferant. Id qvod & *Proſper Alpin9* obſervavit *lib. 4. Medic. Ægypt. cap. 15.*; ad qvem modum *Camillus à Camillis* Nobilis & Medicus Genuenſis ſuis Pilulis de Sagapeno ante paroxyſmum, vel in ipſo paroxyſmo exhibitis contumaciſſi-

tiſſimas qvartanas curavit. *Balthaſar Timæus à Güldenklee Libr. 8. de Febrib. p. m. 366.* hoc ipſum plurimis exemplis confirmat. In continuis, ſi quæ purgationis eluceſcat neceſſitas, eligendum eſt tempus minoris afflictionis; proinde inſtituenda eſt die clementiori in acutis, diebus paribus; nam in imparibus Natura occupatur in coqvendo Morbo. In intermittentibus aliàs ordinariæ Purgationis tempus eſt ἀπυρεξία,

In præſervatione futurorum Morborum præcipuè ad tempora Anni tum univerſalia tum Particularia eſt reſpiciendum.

VER & AUTUMNUS præcipua ad humorum vacuationes inſtituendas ſunt Anni Tempora; veris enim ſtatus temperatus eſt (*Gal. 3. de Cauſa Pulſ. c. 6.*) ut corpora frigore non algeant, nec calore langueſcant & reſolvantur; maximus etiam tunc temporis adeſt omnium facultatum vigor, ſangvinis abundantia, & humorum urget turgentia & impetus, (*Hippocrat. lib. 1. de Natur. hum. 33.*) Qvos hyems antecedẽs produxit ob viscerum fermenta coctiones plusqvam in reliqvis promoventia temporibus, ideoqve fœliciorem omninò reddit purgationem, & convenientisſima erit occaſio præcavendi à Morbis, per purgationem hoc tempore celebratam, anteqvam morbus invadat ex humorum abundantiâ, æſtatis ſubſeqventis fuſione magis magisqve augendâ viribus præcipuè debilitatis. Cum autem plerunqve una non ſufficiat vacuatio anniverſaria ob magnam & freqventem ægrotandi occaſionem, & Cauſæ Morbificæ freqventiam, res amplius urget & exigit etiam ſæpe in AUTUMNO purgationem præſervatoriam adminiſtrare, adeoqve ſi non ſufficiat Tempore vernali inſtituta, & Autumnali alia inſtituatur; ita tamen, ut non indifferenter qvemlibet vel Vere, vel Autumno purgemus; ſed videamus, qvid cujusqve Natura, & Morbi ipſi conſveti indicent. Qvi enim craſſis ſcatent humoribus, illi in Principio veris ſunt vacuandi, ejusmodi enim humores hyeme collecti veris tempore liqvantur, unde niſi vacuentur facile per corpus diffundi poſſunt, & graviores Morbos concitare. Qvibus verò tenues adſunt humores, in fine Veris purgationem commodè ferũt, ne iſti humorss ſuccedente Æſtate accendantur, ebulliant, & Febres inducant. Imminente Autumno humores acres, ſalſi, aduſti, ſcorbutici ſunt educendi, & qvotqvot deniq; propter humores tartareos ægrotant vacuari tunc temporis melius eſt. *Galenus lib. de Curandi rat. per ſang. miſſ. cap. 7.* qvadruplicem ponit differentiam ſanorum, qvi per ſanitatem vacuari poſtulant. Primi ſunt, qvos aliqvot jam retrò annis

Morbus aliqvis per intervalla corripuit, Arthritis, Epilepſia, Paralyſis, Nephritis, malum hypochondriacum &c. mirè enim in talibus antevertens per ſanationem vacuatio Morbum prohibet, & vetat generari. Secundi ſunt, qvos inſignis & metuendus Morbus tentavit, ut Lues Venerea, Scabies inveterata, Elephantiaſis Scorbutus &c. ſed propter adhibitam curationem firmatus non eſt: In his licet à præcipiti immedicabilis Morbi periculo evaſerint, niſi tempeſtivis vacuationibus impetum humoris aliò divertamus, & ſeminaria mali extra corpus pellamus, non leve periculum eſt ne denuò invadat, occupet, & obtineat. Tertii nec Morbo aliquo ſæpè correpti ſunt, nec magno aut immedicabili tentati, aliqvo tamen habitu ſunt ad Morbum diſpoſito, qvem hæreditate contraxerunt ſeminaria e.g. podagræ, phthiſeos, Epilepſiæ, calculi &c.; aut ipſa corporis ſtructura, valida cujuſpiam partis intemperatura eos conſtituit morbis obnoxios, & pati faciles. Qvarto ſanorum genere comprehenduntur illi, qvibus ſuppreſſa eſt conſueta aliqua vacuatio Menſium, hæmorrhoidum, aut diuturni ulceris; vel reſtitet ſolitus fluxus, vel inſigne Membrum eſt abſciſſum. Qvæ qvatuor hominum genera, ſi incolumitati vitæqve ſuæ conſultum volunt, dum adhuc ſani ſunt, impendentes morbos antevertere oportet, expectando tamen aliquod plenitudinis vel morbi ſymptoma, id qvod *Gal. lib. c. & Averrh. 6. Collect. 15.* fideliter ſuadent.

Æſtivo & Hyemali tempore præſervatio non eſt exercenda. Nam Æſtate vires ſunt debiles attracto à centro ad circumferentiam calore nativo à calore externo; Hyeme canales præ frigore ſunt adſtricti, & concreti humores. Unde nec *Avicenna 4.1.cap* in tempore ſupra modum calido aut frigido purgationẽ vult admittere; & *cap.5. l.c.* ſic ait: in „ tempore qvo Canis major exoritur, nec non in eo, qvo nives in montibus conſident, non eſt Purgationibus utendum. Nam ſub cane & ante canem difficiles eſſe Medicationes antiqvum *Hippocratis* decretum eſt. *ſect. 4. Aph. 5.* Rationem reddit *Galenus in Comment. 1.*, qvia humores tunc temporis ob igneam ferme aëris qvalitatem nimis attenuati ſunt; deinde, qvia tunc jam ſatis debilis Natura. Tertiò, qvia aëris fervor purgationi obſiſtit, humores enim trahit à centro ad ſuperficiem corporis; Purgans vero eosdem in centrum retrahit: Et ſic fluũt duo motus contrarii, & vel nulla, vel moleſta fit purgatio. Qvartò, qvia ſideris tum temporis maligni adſunt effectus. De hiſce qvid ſtatuendum ſit, vide *Primeroſ. de Vulgi erroribus Lib. 4. cap. 11.* & *Joubertum* de eâ-

de eâdem materiâ. Verùm non ſolum canis,ſed & Lyræ,Arcturi,Hyadum & Pleiadum ortus & occaſus Medicus conſideret, Solſtitia, æqvinoctia, Planetarum coitus, motus Lunæ,Eclipſes & malos planetarum aſpectus ſtudiosè obſervet; non tamen ita ſuperſtitios: ut nonnulli,qvi purgantia Lunâ ſigna Zodiaci ruminantia ſubeunte propinare pro piaculo habent. Horum enim ſignorum partitio ſecundùm corporis humani partes uti abſurda & phantaſtica eſt, ita etiam metus in Purgatione in dictis ſignis contrariis celebrata vanꝰ eſt, qvia omnia contrà Rationem ſunt, & Experientiam. Ecqvi enim aliqvid importarent, qvæ aliqvot viginti gradus & ampliùs à primâ ſtatione, in qvâ olim Purgationis uſui fuerunt dicata,receſſerunt. Ideoque, ut curſoriè & per tranſennam qvaſi aliqvid de ſignorum cœleſtiũ uſu genuino addamus, ſciendum, nullum eſſe alium, qvàm ut in ipſis curſus ac ſitus ſolis Lunæ & reliqvorum Planetarum ac ſtellarum obſervetur, ut Aſtrologi illum intelligere poſſint. In qvo ſcilicet gradu primarii circuli, ſub quo Planetæ currunt, omnes ſtellæ poſitæ ſint,& qvo gradu potisſimum in aſpectibus à ſe invicem diſtent. In Nativitatibus autem inprimis obſervandum, ubi planetæ, præprimis Sol ac Luna ſteterint, qvinam fuerit in ortu aut occaſu, vel per circulum Meridianum & punctum ſeptentrionale tranſierit. Et notandum, qvod ſi talia ſigna cuidam rurſus in dictis qvatuor locis ſteterint vel Sol, aut Luna, aut alius beneficus inibi tranſierit, Naturam hominis fortiorem eſſe,& Medicamenta etiam expeditius & tutiꝰ, qvàm alias,operari. Ut igitur Medicus de ſalutari purgationis effectu loco præſervationis inſtitutæ ſibi demum poſſit gratulari, jam comode fert occaſio cautelas qvasdam Medico-aſtrologicas annectere, qvomodo ſcilicet prodeſſe aut obeſſe poſſit?

Primò, in purgatione præſervationis gratiâ inſtitutâ Lunæ decremẽtum eſt eligendum, & licet in augmento Luuæ expeditior & facilior poſſit eſſe Purgatio, dum humores tunc fluxiles magis moventur ad vacuandum parati, tutior tamen non eſt, tum qvod metus eſt, ne humores commoti,aut præcipiti lapſu ruant in alvum, & ſuperveniat hypercatharſis, aut nimis ebullientes in aliqvam confluant corporis partem; tum qvod creſcente Lunâ humorum motus ad circumferentiam corporis factus contrarius eſt illi, qvi à purgante excitatur; In decremento autem humores vergunt ad interiora, & pharmaci motum ſeqvuntur. Nec obſtat *Avicenna 4 1. c. 21.* qvi cucurbitulis non utitur nec in principio, nec in fine menſis, nam ille plenilunium obſervat, & cucurbitularum

operatio à purgantis Medicamenti actione plane eſt diverſa, dum illæ à centro ad circumferentiam, purgatio autem ab hâc ad illud tendit.

Deindè, ſi Luna à Marte ad Venerem & à Saturno ad Jovem appellat, Purgantia optimè conducunt.

Tertiò, ſi Luna fuerit in Trigono aut Sextili cum Venere bonum ac proficuum erit humores ebullientes ſcoriis ſulphureis tinctos ſubducere; cum Sole frigidos & humidos, & cum Jove aduſtos ſeu tartareos. Ratio eſt, qvia Venus in ſuâ operatione frigida eſt ac humida, inſervit dictis humoribus calidis & ſiccis, medetur humoribus frigidis & humidis. Hîc tamen nec Jupiter excludendus, qvi calidus æqvè ac humidus eſt, inprimis in decremento Lunæ, ideoq; & ipſe facit ad humores tartareos tollendos; id qvod peragitur ſecurius ac commodius, ſi dicti Planetæ in ſextili aut Trigono cum Lunâ fuerint. Nec deniqve hîc excludendus qvadratus, & Oppoſitio Lunæ cum Venere & Jove; cum autem aliqvantò fortius operentur, ac reliqvi, purgantis doſis eſt minuenda. Notandum tamen ante Lunæ qvadraturam ad Solem (modo non aliqvis adſit Planeta maleficus) Medicamenta Purgantia licet lenia fuerint vehementius operari ſine tamen diminutione virium: id qvod probè obſervandum in humoribus, qvi fixas egerunt radices, à Purgantibus aliàs non facile exſtirpādas etiam fortisſimis; idem in Novilunio procedit.

Qvartò, ab omnibus contrà Medicamentis purgantibus eſt abſtinendum in Lunæ conjunctione, qvadrato, aut ejus oppoſitione cum Jove, Marte aut Saturno. Cum enim in omni purgatione fermentatio qvædam humorum præcedat, hanc Jupiter ob lenem ac tardam ejus operationem vel retardat, aut ad minimū etiam diminuit. In omnibus autem Mercurii violentis aſpectibus, qvadrato ſcilicet aut oppoſitionibus in purgationib9 inſtituendis fidendum non eſt, quia facile inde Symptomata concitantur capitis, ut Vertiginis, Epilepſiæ &c.

Hæc omnia vigorem obtinent, ubi præſervationis tantum gratiâ Medicus purgationem porrigere cupit; aſt urgente neceſſitate qvovis tempore eſt purgandum. Si enim Morborum acutisſimorum urgeat vehementia, aut adſit humorum turgentia circà Canem orta, qvæ absqve ſangvinis miſſione aut Purgatione curari neqvit, certè non intermittenda, inprimis, cum noſtris in regionibus tantus non ſentiatur calor à diebus canicularibus, qvantus fuit in inſulâ illâ, ubi vixit *Hippocrates*; tum qvod mitiora ſint noſtra Medicamēta iis, qvibus antiqvitas uſa fuit. Prætereà non dixit *Hippocrates* ſimpliciter non eſſe purgandū, ſed tantùm Purgationem eſſe difficilem,

non

non autem impoſſibilem. Vid. *Jacob. Primeroſ. l. c. Hollerium in commentar. ad prædict. Aphoriſm. Valleſium, Mercurialem, Argenterium*, aliosqve qvi hâc de re ſcripſerunt.

Reliqvas allatas cautelas durum telum infringit necesſitas, ſi tamen Natura Morbi, ſymptomatum ratio & humorum morbificorum inclinatio ferat, ut periculum non ſit in morâ, etiam in ipsâ curatione obſervari poſſunt.

Hactenus egimus de die, in qvo purgatio eſt celebranda; reliqvum jam eſt, ut de horâ diei agamus, & optima illa eſt, in qvâ Medicamenti vis infringi non poteſt, nempè matutina, æſtatis tempore ante Solis ortum in regionibus calidis, in frigidis, & hyeme poſt ejus ortum, cum vacuo ſumus ventriculo, ne immoderato eſculentorum humore aut potu Medicamenti purgantis effect9 impediatur, aut, ſi alio tempore, qvam illo à ſomno ad prandium inſtituatur, diſtributioni ciborum damnum inferatur. Hinc apparet, maximè errare eos, qvi vel noduloſa purgantium infuſa in primo hauſtu ipſis cibis permiſcent, vel Pilulas purgantes cephalicas à cœnâ exhibent, vel alia purgantia paulò ante paſtum offerunt. Prætendunt enim hoc, ſi purgantia permiſceantur cibis non ſolum ægri palato inſerviri, ſed etiam Medicaminis vehementiam, ſi qvæ forte fuerit, & debiliores ægri non ferunt, admiſto cibo infringi, autoritatem *Galeni* pro ſuâ ſententiâ confirmanda in ſubſidium vocantes, qvi *lib. 13. Meth. c. 15.* inflammatione jecoris cnicum cibis admiſcet, & Urticam Mercurialem, Epithymum, filiculam & nigri veratri corticem. Cum enim viæ ſint anguſtæ inqviunt, & obſtructæ, per qvas vix educitur humor, præſertim ſi craſſus, & uſtus fuerit, opus eſt cum Medicamento cibum admiſcere, tanqvam vehiculum, ut jecur illud non reſpuat, ſed potius attrahat ob jucundum edulium, qvod medicamentoſâ qvalitate præditum eſt, & ſenſim qvod noxiū eſt evacuet. Vid. *Zacut. Luſitan. in Prax. hiſt. lib. 1. cap. 3.* Verùm diſtinguendum eſt inter Medicamenta laxativa & fortiora purgantia, Medicamenta laxativa, aut lenientia, quæ tantum excrementa in primis viis ex qvotidiano cibo cumulata ſubducunt, qvalia Pilulæ aloeticæ Francofurtenſes, Angelicæ dictæ ab Hartmanno inventæ, aut Glasſianæ, pilulæ, item de tribus & alia lenientia, hæc ante cibum horâ unâ vel alterâ, aut etiam cum ipſis cibis exhibenda ſunt, ante cœnam vel etiam in ipsâ cœnâ. Cum enim in ſomno „inqvit *Excell. Sennertus in Paralipom. ad Inſtitut. 21.* non fiat di„ſtributio ciborum tanta, ut de die, „Medicamenta illa hærent in pri„mis viis, neqve qvicqvam eorum „cum cibo in penitiora corporis

rapitur

„rapitur, unde & alvus plus humectatur & plurima excrementa ab „iis colliguntur, qvæ paulò poſt ſomnum copioſius evacuantur; longè verò alia purgantium fortiorum eſt ratio, à qvorum cum cibis permiſtione non leve pendet periculum. Nam ſi eâ horâ, qvâ ventriculus cibis adhuc refertus, & coctio nondum facta eſt, purgans dederis, ejus vis non ſolum à cibo obtunditur, ſed & coctio valde turbatur, ipſe qvoqve cibus à pharmaco purgante, & humoribꝰ vitioſis confluentibus inqvinatur & corrumpitur, nondumqve integrè coctus ſtimulante pharmaco expellitur, aut ad epar & venas cum Medicamento in univerſum corpus rapitur, & variorum Morborum cauſa eſſe poteſt. Proinde ad purgantis Medicamenti ſumptionem tempus aptisſimum eſt matutinum, tum qvod coctiones omnes tunc ab ſolutæ ſint, tum etiam, qvod Ventriculus nihil in ſe ciborum contineat. *Hippocrat. 2. de rat. vict. Ægineta* „*lib. 7. cap. 6.* In omnibus, *inqvit,* „efficacibus purgationibus Medica„mentum homini jejuno & ei, qvi „probè concoxit, exhibere oportet. Notandum tamen, in picrocholis, bilioſis Naturis, & raris, qvæ ob Medicamenti acrimoniam & humorum ad ventriculum confluxum in ſynco„pen aut cardialgiam labuntur, tu„tius eſſe ante ſumptum pharmacum offerre alimentum, qvod tamē in parvâ qvantitate non multum faceſſat negotii facultati digeſtivæ, & os Ventriculi maximè ſenſile roboret ac firmet, ut brodium gallinæ aut ptiſana cum ſucco granatorum; vel offerenda mica panis toſta vino irrorata, ut ſtatuit *Avicenna 4. 1. c. 1. 1. §. Gregor. Horſt. in Inſtitut. diſp. 19. qvæſt. 8.*

Locum Purgationis indicat humorum inclinatio, Naturæ propenſio, corporis habitus, Anni tempora & partium conſtitutio. Qvando enim in evacuationibus humorum adeſt inclinatio per loca convenientia, tunc etiam eò, qvo tendunt, vacuandi ſunt; & purgatio erit facilis, integra & ſine læſione ullâ, dum Naturam adminiculantem habemus. Si verò vacuatio aliter contingat Natura renititur, humorum tantum fit commotio non autem promotio & morbus exaſperatur, virium oritur diminutio, & alia inde emergunt ſymptomata. Unde rectè dixit *Hippocrat ſ. 1. Aph. 21.* qvæ educere o„portet, qvò maximè vergunt, eò „ducenda per loca convenientia. Proinde, ſi locus, in qvo humores vitioſi ſtabulantur, connectatur per apertos meatus cum emunctorio ſuperioris vel inferioris ventris, in illo per vomitum, in hoc per alvum ſalutaris erit excretio; ſin ſecꝰ fiat, erit dānabilis. e.g. In principio febriū ardentium aliqvando adeſt faſtidium & nauſea cum oris amaritudine con-

conjuncta, tunc indicium eſt, ventriculum & partes vicinas vitioſis ſcatere humoribꝰ per vomitum evacuandis; ſi vero in alvinâ regione colluvies prava deliteſcat, moleſta in colo excitans tormina per alvū erit expellenda. Quandiu tamen non conſtat, quâ in parte humores permanentiam habeant, tunc liberum cuique eſt conferentem locum eligere, modo Naturæ robur, humoris peccantis natura, quantitas & qualitas exactè perpendatur. (*Hippocr. lib. 6. Epidem. ſect. 2. text. 15.*) *Qvo, unde, & propter qvid.* Sæpè enim numero Natura anticipat humorum vergentiam, tunc Medicus ab omni evacuatione ceſſare debet, *Hippocr. ſ. 1. a. 20.* Naturâ autem in excretione languidâ exiſtente, viresque, ſi valeant, & humores multi ſint & craſſi, commodè per inteſtina expurgantur; ſic etiam humor bilioſꝰ per ſuperiora, craſſus & melancholicus per inferiora utilius educitur *Hippocr. ſ. 4. Aph. 9.* In raro habitu facilius per cutim expurgatur humor. Cutis autem denſitas humores craſſos per inteſtina indicat evacuandos. *Aëris* quoq; *temperies* hîc obſervanda eſt ſecundum *ſ. 4. Aph. 4. Regio, cœli ſtatus, Morbi Natura, conſvetudo, & corporis conſtitutio, ut ſ. 4. Aph. 6. 7.* docent. Quoad partium conſtitutionem quatuor conditiones obſervandas proponit *Zacutus Luſit. in Introit. ad prax. præcept. 54*, ut per locum convenientem vacuatio celebretur. Quarum prima eſt, *ut illa pars, per qvam fit vacuatio, ſit ignobilior.* Secunda, *ut illa pars ſit illi vacuationi ſecundum naturam deſtinata.* Tertia, *ut rectitudo ſervetur.* Quarta, *ut in illâ parte nullâ ſit ægritudo.* Nec obſtat in Dyſenteriâ alviduca adhiberi Medicamenta, dum enim hæc clementer per alvum expurgant, unà adſtrictivâ ſuâ facultate inteſtina roborant, humores incraſſant, & ad fluxum ineptos reddunt.

In affectibus circà Lienem obortis Vomitus optimè prodeſt, quia arteriæ gaſtricæ ſordes ſuas deponunt in cœliacam.

In ſecundâ dictâ regione optimè procedit purgatio, pariter etiam in tertiâ; nam falſum eſt humores extravaſatos omnes evacuari non poſſe, de craſſis quidem hoc verum eſt, non verò de tenuibus, quorum ſignū eſt, ſi digito prementi cedant. Ubi ergò fit circulatio ſanguinis, ibi etiam evacuare poſſumus. In cavitatibus, quæ quarta videntur regio, ut abdomine, pectore, cerebro etiam convenit purgatio, id quod docet experientia, licet hîc non fiat circu-
„ latio ſanguinis. Cogit hoc me, in-
„ quit *CL. Wallæus*, ut tractionem a-
„ liquam in purgantibus concedam.

Jam quoad ultimū *purgandi modum* inveſtigare convenit, quâ quantitate humores à ſtatu naturali rece-

dentes ſint educendi. In hâc autem Medico non ſolùm reſpiciendum eſt ad illorum copiam, qualitatem & ſitum, ſed & ætatem inſuper, ſexum, habitum, conſuetudinem, vitæ genus & alia conſideret, neceſſe eſt. In purgatione enim non ſolum ad dictorum humorum evacuationem, ſed & ad conſervationem illarum virium, quæ adhuc in ægroti corpore ſunt, reſpiciendum eſt. Et cum calidi & humidi Temperamenti largiorem, frigidi autem & humidi, frigidi & ſicci, calidi & ſicci minorem ferant purgationem; juvenilis & virilis ætas minorem læſionem, majorem verò ſenilis & puerilis ſentiat; fœmineus ſexus etiam non tam fortiter purgandus ſit, quàm maſculinus, in purgatione adminiſtrandâ Medicus omninò cautus ſit; inſvetos etiam non facilè, nec validè purget. Si quis autem purgationibus aſſvetus fuerit, dummodo reliqua conſentiant, intrepidè evacuet. Laboribus dediti minore, otioſi verò largiori indigent evacuatione. Conſtitutio Aëris humida, auſtrina purgantia in minori quantitate exhibenda ſuadet. Vernum tempus largas evacutiones facilè fert, minus æſtas. In debili corpore fortiora omittantur, in debilibus enim debilia Medicamenta magnas etiam habent vires.

In omnibus autem his noſtræ Praxi convenientius eſt diſtinctis & repetitis vicibus ſaburram vitioſorum humorum educere, quàm liberaliore manu vires funerare. Inter exceſſum enim, & defectum purgatio medio debet ſtare loco. Dejectiones enim ſecundum *Hippocrat. lib. 1. Aph. 23.* non ſunt æſtimandæ copiâ, ſed attendenda eſt vitioſorum humorum ſubſtantia, corruptionis modus & qualitas. Si illi hoſtiliter irritent Naturam, valida quoque purgatio ſit oportet, ſin minus, remiſſior. In illâ ad animi usque deliquium recomendat purgationem *Hippocr. lib. 1. Aph. 23.* Verùm periculoſa hæc eſt, actionem enim pharmaci tam facili, atq; ſanguinis miſſionem non licet moderari operâ. Tutior eſt epicraſis *Ferneliana*, quâ ſenſim & ſenſim humores vitioſos evacuamus, & indicat eam qualitas humoris, Natura loci affecti, & vires ægrotantis. Vid. *de Meth. Med. Libr. 3. c. 11. & Zacut. Luſitan. lib 1. de M. P. h. 38. dub. 22.* Si quæras, *quantum pro unâ vice ſit expurgandum?* difficilem moves quæſtionem;

Verùm, quantum experientia Practica docet, in magnâ vel copioſâ colluvie decies vel undecies excernere licet, in mediocri quinquies, vel etiam ſexies.

Num adeò in numerato Medicus ægroti excretiones habere poteſt? Reſpondetur, in notorum ſubjectis id optimè fieri poteſt, utpotè ubi compertum eſt, quo modo & quâ obedientiâ Natura jam anteà Medicamentis

mentis auſcultaverit, in ignotis verò res eſt difficilior; & licet non adeò certus ſemper Medicus hîc eſſe poſſit, ſufficit tamen, ut faciat, quod poteſt, hoc eſt, curet. Inſtas porrò & quæris; *Annon interdum ultra denarium illum numerum progredi liceat?* Et rurſus, *Annon infra etiam qvinarium illum ſubſtitiſſe conſultum?* Ad primum reſpondet *CL. Johann. Wallæus*, id fieri poſſe in duobus caſibus; primò, ſi humor partem aliquam principem occupat, ut in apoplexiâ, qui affectus purgatione validâ, inprimis vomitorio quodam, ut infrà audiemus, facillimè tollitur, modo aſſumi poſſunt. Deindè, quando humor ruit per totum corpus. Ad ſecundum ſcias, nequaquã infra quinque vel ſex excretiones ſubſiſtendũ. Non enim convenit, ut delicatulis quibusdam ęgris blandiendo tibi infamiam, illis noxam contrahas. Purgantia enim minori doſi exhibita plus nocent, qvàm proſunt, nihilq; aliud agunt, quàm quod humores extenuent, qui attenuati, cum ob defectum juſtæ pharmaci doſeos excludi nequeant, per totum corp9 ruunt, illudque conturbant.

Sequitur jam ut perpendamus ipſum purgationis actum, quid faciendum primò *ante purgationem*; deindè, *in ipſâ purgatione*; & tertiò, *poſt purgationem*.

Quanquàm ſæpenumerò non ſit neceſſaria ante purgationis adminiſtrationem inſtituta præparatio ac digeſtio, cùm materia morbifica vel à Naturâ ſegregata in primis viis hæret ad excretionem vergens, vel etiam turget ac ſtimulat; proinde nec ab *Hippocr. & Galeno* ubivis obſervata, dum ille *lib. 2. de Fracturis* Veratri potionem eodem, aut poſtero exhibet die; & *Galenus* etiam in fientibus inflammationibus Anginâ, Hemicraniâ, atrâque bile, aliiq; non obſervârunt, & *Paracelſus* illos irridet, qui ſtercora digerere volunt; attamen ſi viæ ſint obſtructæ & craſſi ac glutinoſi in primis hæreant viis, qui impedimento ſunt, quo minus purgatio feliciter abſolvatur, certè purgantia non ſunt adhibenda, priusquàm præparantia, quæ obſtructiones reſerant, craſſitiem humorum incidant, attenuent & abſtergant, fuerint præmiſſa. Quò & ſententia Hippocratica trahenda *lib. 2. Aph. 9.* inſtruens Medicum curaturũ, ut ſi corpora purgare voluerit, ea prius fluida faciat; id quod & *Galenus* obſervavit *8. Meth. Med. cap. 4.* imitatur hîc bonus Medicus, inquit *CL. D. Langius in hiſtor. de Malo hypochondriac.* prudentiâ callidi Martis, qui caſtellum ſeu civitatem aliquam, in quâ præſidum vigilantiam & reſiſtendi ſedulitatem fervere novit, expugnaturus, ſtatim atqve advenerit, nequaquam imparatus, muros adhuc integros ac bene munitos inſultat, & ſcalis eos aſcendere tentat,

tat, ſed prius locum ſollicitiſſimè cingit, aggeres molitur, foſſas complet, mœnia frangit, horrendisque machinis incolas terret, atque mirificis modis oppugnãdo eos ad extremam laſſitudinem redigit, donec irruperit victor. Pari ratione Medicus morbos evicturus, in quibus ferocientes ac contumaces tumultuantur humores, & meatus ſunt obſtructi, non ſtatim vehementibus purgantibus aggreditur, ſed præparando, digerendo & præcipitando eos decentib9 remediis mitigat ac domat, quo facto facilius & felicius ſuccedet purgatio; ſin ſecus ſymptomata augebit, humorum ferociam conduplicabit, vel inſignem virium ruinam, vel utrumque periculum, & alias inſignes noxas provocabit, quas recenſet *Gal. 2. Aph. 36. 37. & lib. 2. de Criſi.* & ex eo *Fernel. lib. 3. Meth. c. 13. & Cl. Sennert. Inſtit. lib. 5. p. 2. ſ. 1. cap. 7.*

Accidit quandoque in febribus ardentibus, ut & in morbis melancholicis feces alvinas in inteſtinis nonnunquàm ita exſiccari, ut viam prorſus educendis intercludant humoribus, hanc obſtructionẽ niſi clyſtere tollas, vel laxativo aliquo emẽdes, fruſtra eſt, quod agis, & humores etiã concitati ſi ſubſiſtãt, aut ventris tormina excitabũt, aut vertigines aut animi deliquia movebunt, corpusq; jactatione multâ fatigabunt. Quod ſi è viſceribus aut è venis atque ex corporis habitu eliciendi ſunt, non modo Ventriculus & inteſtina, ſed & venæ meſaraicæ & viſcera libera ſint oportet. Noxius prætereà humor præparandus, qui enim tartareus aut craſſus eſt, non facile per anguſtos meatus profluit in alvum, glutinoſus in his etiam obhæret; quocircà tartareos aut craſſos incidere & attenuare, glutinoſos detergere oportet ante purgationẽ. Quæcunque id præſtant, pariter quoque venarum, per quas futura eſt purgatio, obſtructiones expediunt. Tenues etiam ac bilioſi humores ſi ebulliant, & fermentum peregrinum concipiant, præcipitantibus remediis mitigandi ac edomandi ſunt; Medicamẽta igitur Tartarea & Martialia familiam & agmen in hoc negotio cum unanimi omnium ferè Practicorum conſenſu ducunt. Ex proſapiâ tartari multa proſtant præparata Medicamina. Sunt autem cremor ac cryſtalli Tartari, Tartarus Vitriolatus, quibus tam laxandi, quàm digerendi adſcribitur virtus, Tartarus Martialis, Tinctura Tartari, Arcanum Tartari ſoluti. Spiritus aperitivus Penotti. Ex ſtẽmate Martis quæ ſunt, duplici nomine hîc proſunt, vel enim propter inſitum ipſis Vitriolum habent vim præcipitandi, vel etiam privativè edomant humores cauſticos & unà aperiunt. Dum enim humores acidi Martialia aggrediuntur, ferociam & acrimoniam ſuam proprio velut enſe jugulant,

lant, infringunt, ac evicti absque ullâ retundunt, ut ſic retuſi, mitigati ac incommoditate reſiſtendi expurgari poſtmodum queant.

Ex qvorum cenſu crocus Martis aperitivus cum ſalibus fraxini, Cichorei, Tamariſci &c. Tinctura Martis aperitiva Zvvölferi, cum Terrâ Tartari foliatâ parata vel D. Michaëlis cum ſucco pomorum Borsdorffianorum. Spiritus Martis ſtriatus, qvi juxta vim ſuam aperitivam magnā etiam obtinet humorum ebullientium compeſcendi ferociam. Commendantur præterea fecul. Aronis. Pulv. Cachectic. Qvercetani, Epatic9 rubeus. Sal meum aperitivum hypochondriacum. &c. Qvæ omnia maximo cum ſucceſſu ad craſſos & glutinoſos humores tartareos attenuandos & meatus obſtructos reſerandos, humorum itidem ebullitionem ſedandam diebus illis, qui purgationi antecedunt, aut ſeqvuntur mane, à meridie & veſperi vel in formâ liquidâ vel in formâ ſiccâ hauſto unico brodii cujusdam calidi exhibere convenientiſſimum erit, hoc enim modo efficacisſima evadent Purgantia.

Deinde ante Purgationis adminiſtrationem, ſi Medicus ægroti Naturam non novit, an nempe vel facile, vel difficulter Purgationi ſit obediturus, aut, ſi adhuc junior Praxin tantum incipiat, jubet *CL. Spigelius* eum conſiderare ægroti pedes, & ex longitudine eorum ad purgandū facilitatem, ex parvitate difficultatem colligere; qvod quidem aliquid eſt cum ſint imbecilliores, verum tota veritas hîc non conſiſtit.

Galenus in Monumentis ſuis non ſemel inculcavit ſummoperè à Medico eſſe conſiderandum Ægroti habitum ad Purgationem faciendam. Corpora, inquiens *6. de ſanitat. tuend. c. 3.* juvenilia & adoleſcentia „carnoſa, ſolida, benecompacta, calida, humida, ſanguinea facillimè „ferunt Purgationem, id quibus ſimul cum humorum abundantiâ „vires validæ ſunt. Contrà autem macilenta ſenilia Purgantium vires maximè renuunt, qvia his magna acrium humorum copia ineſt, qvo fit, ut illa torminibus maximè ſint obnoxia. Hiſce laxativa balſamica magis proſunt. Obeſa etiam corpora à purgatione nimiâ ſunt arcenda. Et rara itidem Corporis textura facillimè purgationibus offenditur, quia per eam tum plurimum continuò ſubſtantiæ evaporat & reſolvitur, tum qvalitas Medicamenti prava promptè in ſolidas illius partes ſe inſinuat; quare in his & ſimilibus corporis conſtitutionibns purgantia planè exulent, vel in minori doſi erunt propinanda. Hinc in ætate tenellâ purgandâ cauti ſimus, quæ juxtà *Hipp.* tutius purgante nutrici exhibito purgatur.

Tertiò, in purgatione ſine offen-

ſione propinanda neceſſe eſt, ut Medicus etiam medicamenti formam externam rectè obſervet, quæ deſumitur partim ex medicamenti conditione, partim ægri Naturâ & ſitu humoris. Pilulæ purgant ignaviſſimè, poſteà pulveres & Electuaria celerrimè omnium potiones. Hoc ſcire, magni intereſt Medico; nam ſi gravidæ purgationem aliqvam celerrimè operantem præſcribat, næ is abortum cauſabit. Quidam delectantur Pilulis, quidam eas averſantes potiones, bolos, pulveres minori cum nauſeâ deglutiunt. Medicamenta etiam qvædam commodiùs in pilularum forma præſcribuntur, ut ſunt extracta, quædam in decocto, quædam in infuſo, quorundam virtus leni etiam calore diſſolvitur, igitur frigida danda, quædam etiam externi caloris juvamen requirunt, anteqvam virtutem ſuam exſerere poſſint. Decoctum minus operatur qvàm infuſum; extractum magis, quàm infuſum. In Extracto enim nihil, quam reſinoſa illa portio purgatrix eſt. In infuſo adhuc multum de liquore; Hoc experiri poteris, ſi infuſo alicui aquam frigidam infuderis, præcipitabitur enim reſinoſa ſubſtantia, & liquor nullius efficaciæ ſupernatabit.

Annon Purgantibus alia admiſcenda? Doloſum eſt, inquit *Gordonius*, uti compoſito, ubi ſimplicia ſufficiant. Compoſita enim ideò inducta videntur, ut Medicamentum præcipuum aliorum additione abſcondamus, id quod hodie non novum. Prætereà non ſemper doloſum eſt, uti compoſito, quia non ſemper conſultum nec etiam tutum eſt ſolis uti ſimplicibus; ſic Reſinas galappæ, Scammoneæ, Turbili &c. nonnullis amygdalis dulcibus ſubigere jubemus, ut eò faciliùs non ſolum in liquoribus aquoſis dilui poſſint, ne denuò, prout aliàs ſolent, in ſuam reſinoſam ſubſtantiam redeant, ac intrà corpus ſumptæ, vel parum, aut nihil operentur, verum ventriculo & inteſtinis tenacitate ſuâ reſinosâ, præſertim ſi parum frigida ſuperbibatur, præcipitatæ adhæreant tormina ipſam etiam diarrhœam, ac lethalem quandoq; hypercatharſin inducant. Ideoque aliud compoſitionis Medicamentorum Purgantium vult neceſſitas, dum qvædam ſunt principalia, alia minus, alia ſunt corrigentia & contrarietates impedientia, nonnulla verò ſtimulantia, qvædam qvoqve augendo promoventia, ſic, e. g. galappæ, ſcammoneæ præparatæ & correctæ, item Mechocannæ albæ uſus freqvens cum cryſtallis Tartari, Tartaro Vitriolato & Eſſentia Citri vel Cinamomi non ſine ſingulari effectu in purgando dogmatis veritatem comprobat. Qvid? qvod ſæpe etiam nova planè & alia vis in purgante reqviratur, qvalis in illo caſu; Si qvis Melancholic um

cholicum purgare velit, & omittat unà humectantia laxantia, fine ſuo fruſtrabitur, qvo accidit ut vetulæ ſæpe ſint feliciores nonnullis Medicis, dum folia Sennæ cum prunis decocta purgans dant expeditum. Qvi pituitoſum evacuare cupit, pungentia addere neceſſum habet. In Extractis opus eſt aliquo ſegregativo & diſſolutivo. Nolim tamē omnibus ſimplicibus ſuam etiam inde detrahere laudem; quædam enim adeo cognita ſunt, ut pro compoſitis ferme habeantur, qualia Rhabarbarū, Mechoacanna &c. Qvod autem nonnulli particularia Alterantia & Confortantia ex ambrâ, Moſcho, Perlis purgantibus addunt, riſu ac ſibilo dignum eſt. Ego nullum video uſum, niſi hæc ānō dicata ſint, & pharmacopœorum crumenæ inde reddantur opulentiores.

Si denique Humores, qui remotis membris à ventriculo immerſi non ita obediunt lenientibus pharmacis ut in primis viis ſubſiſtentes educendi ſunt, talia requir..tur, quæ diutiùs in ventriculo commorantia ſenſim reſolvantur, unde per continuam actionem in remotis etiam partibus humores fixi fermentantur, & ſeparantur.

Cum autem nondum ſufficiat, ut Medicus ſciat, quomodo in purgatione præſcribendâ ſe gerere debeat; ſed & legitimus requiratur illam apud ægrotum applicandi uſus, ſi ex voto ſuccedere debeat; reſtat ut moneamus, qvomodo Res Naturales debeant eſſe diſpoſitæ, ut Purgatio ſaluberrimum conſequatur effectū. Ideoq;, qui Purgandi ſunt, continendi primò cum cuſtodiâ in loco qvodam moderatè calido, nimius enim calor commotos rapit humores à Centro ad circumferentiam, & febribus dat anſam; frigus verò condenſat cutem, coarctat meatus & humores retardat evacuandos. Deindè propinandum Medicamentum vel in brodio qvodam calido, vel cereviſiâ calidâ butyraceâ; non frigidâ, de quâ *vid. Thom. Bartholin. c. 6. hiſtor. 45.* & poſt binas dejectiones juſculum aliquod abluens & detergens exſorbeatur, ne tormina exſurgant, & medicamentum vires ſuas tanto exoptatius exerere valeat, quodq; illius reliquias eluat, ejusdem tædia demulceat. Cum jam Purgans ſuam perfecerit operationem, id quod ex *εὐφορίῃ*, *Hipp. ſ. 4. aph. 3.* & ſiti, *aph. 19.* & excrementis mutatis innoteſcit cibus & potus conſuetus iterum adſumendus. Tertiò, qvi adeò fervidi ſunt, ut ſtatim à ſumpto pharmaco vomere cogantur, illi poſt aſſumtionem in lecto quieſcere & decumbere ad horulæ ſpatium poſſunt, qvo illius vis plenior excitetur, cum verò in actum prorumpit, moveantur, ſed moderatè. *Hipp. ſ. 4. aph. 14.* Omnis enim quies purgationem impedit. Accidit

dit interdum, præprimis in febribus intermittentibus ut cogamur propinare laxativum, unà ſudoriferum. Tunc Sudor in lecto per horulæ unius, vel ſemihorulæ ſpatium prius expectandus; poſtmodum autem moderatus motus inſtituatur. Nec eſt, quod metuamus contrarios in eodem tempore inſtitutos motus, horum enim æqualis non eſt propinanda doſis, ſed ita ordinanda ſunt, ut unius doſis alterius doſin in duplo excedat & ſuperet, tunc quod ſudoriferum tenues ac volatiles, purgans verò craſſos ac fixos expellat humores, qui in locis diverſis ſuam habent mineram. *CL. Henricus lib. de Peſte cap. 9. & Sennert. Libr. de febrib. c. 6.* Qvartò, quoad ſomnũ tutius nobis videtur *P. Æginetæ* conſilium *lib. 7. cap. 6.* qui prohibet, ne, ſi quis purgans ſumſerit Medicamentum ad perfectam usq; purgationem dormiat; ſomnus enim ad interiora revocato calore evacuationes remoratur. Proinde & *Hipp. lib. 4. aph. 15.* jubet movere corpus, quando alvum citare, ſomnũ verò conciliare non movere, cum ſiſtere eandem voles. *Horſtius in inſtitut. diſput. 19. qvæſtion. X.*

Quod ſi autem Purgantia planè ſubſiſtant, & humores vitioſos ſaltem moveant, non verò promoveant, eadem vel humectantibus laxativis, qualia Paſſulæ laxativæ, vel ſuppoſitorio, aut clyſtere ad exitum ſunt incitanda. Si autem in contrarium purgantia vehementius operentur, & ὑπερκάθαρσις oriatur, ad illam compeſcendam non utitor Theriacâ recenti aut Laudano opiato, quia hæc Spiritus nimis figendo negotium faceſſunt digeſtionum fermentis, adeoq; majorem accerſunt virium languorem, nec ſemper calida conducunt, qualia aq. Cinamomi, vel Oleum ejus, Zedoar. &c. ſed exhibeantur modice adſtringentia, præcipitantia & fermentum ventriculi corrigentia, qualia mihi optimè nota ſunt. Exterius imponito ventriculo Emplaſtrum de cruſtâ panis; terram ſigillatam cum aceto roſaceo; & plantis pedum panem toſtum aceto irrigatum applicato. Conſule *Grüling. Centur. 9. Curat. 4. p. m. 5.* Cum poſt purgationis uſum virium inſeqvitur diminutio, corpus juſculis conſummatis, in quibus Magiſter. perlar. cum Tincturâ aliquâ vel Eſſentia confortante diſſolutum, denuò refocillandum eſt.

Poſt purgationem ſæpè etiam alvus exſiccatur, quo in caſu nos delicatulis gratificaturi Aloëticas commendamus pilulas Francofurdenſes, aut Glasſianas, ante cœnam vel in ipsâ etiam cœna ad ſeptem vel octo cum hauſtu cereviſiæ ordinariæ ſumendas.

Hactenus egimus de ipſo *Purgandi actu*; Reſtat jam ut ipſum denique

que conſideremus *Purgationis Effe-ctum.*

Eſt autem purgatio alia ſalutaris, „alia noxia, Si talia,qualia oportet „purgari,purgentur,confert; & facile ferunt: ſin minus,contrà. *Hipp. ſ. 1. a. 2.* quia vitioſi humores ſuperabundantes in vaſis contenti educuntur, ſi autem contrarium eveniat, ægroti talem evacuationem difficulter ferunt. Purgationis igitur ſalutaris *Joh. Fernelius Lib. 3. Meth. Med. cap. 15.* tres recenſet differentias. *Obſcuram* nimirum, *Manifeſtam & Perfectam.* Obſcura exiguam admodum peccantium humorum copiam detrahit, qvæ quia conveniens eſt, confert qvidem, nondum tamen ægrotum manifeſtò levat. Manifeſta, qvæ inſignem humoris portionem exturbat.Perfecta, qvæ nihil illius reliqvum facit. Ex„creta, inqvit *Hipp. ſ. 1. aph. 23.* non „copiâ æſtimanda ſunt ſed, ſi qvalia „oportet,exeant,& facile ferat æger; Plurima enim evacuâſſe non ſufficit, ſed ea, qvæ à ſtatu naturali receſſerunt. Proinde quantitas reqviritur talis, qvâ expellitur materia morbifica,euphoriâ ſubſequente.Sic excrementorum,quæ circa primas vias exuperant copioſa rejectio utilem purgationem non facit,ſed cum talia dejiciuntur, qvalia exuberâſſe & Morbi cauſam fuiſſe conjicimus. Ægrotorum verò euphoria perfectam indicat purgationem, id qvod cognoſcitur primò, ſi ſomnus placidus&multò qvàm anteà arctior citra ullam debilitatem ægroto obrepat, peccantium humorum ſarcinâ depoſitâ, & ſedatô Spirituum impetu. Deinde, ſi ſymptomata, qvibus ægrotus affligebatur, miteſcant, appetitus ſcilicet revertatur, dolor ſedetur, febris & alia mala remittant. Et tertiò, cum Excreta tum ſpecie tum copiâ iis reſpondent,qvæ certis ſignis ineſſe deprehenſa fuerant.Horum examinatione patebit, qvid, qvantum, & qvamdiu purgandum; & qvando abſoluta fuerit purgandi neceſſitas. Hæc eſt Medici Hippocratici ſtatera, qvæ nec Medicum nec ægrotũ nunqvam decipit. Qvicqvid addendum & auferendum ab ægris Medici perbellè norunt ex conferentiâ & tollerantiâ inutilis igitur ſtatera, qvam *Sanctor. Sanctorius de ſtaticâ Medicinâ* introducit, hinc ab *Hippolyto Obicio Statico maſtigem* paſſus eſt, qvem conſule.

Noxia autem purgatio, aut fruſtranea eſt, aut difficilis, aut effrenata & immodica. Fruſtranea eſt, qvæ humores noxios ſaltem movet, & conturbat,non autem evacuat. Difficilis noxios qvidem educit, ſed non ſine vehementia & impetu, qvæ ægrotum maximè affligit, & torqvet, dum vires nimium convelluntur ac diſſipantur. Effrenata & immodica propriam corporis ſubſtantiam colliqvat, vitales corrumpit ſuccos, & indiffe-

indifferenter contaminat, qvicqvid qvoqvo modo attigerit. Unde torſiones, cardialgia, anxietas, jactatio & corporis perturbatio, animi deliqvia & ſumma virium exolutio, citra ſpem ſanationis.

CAPUT VIII.

De Purgantibus.

DE Purgatione, qvatenus auxilium eſt, conſideratâ egimus in præcedentibus; jam de Auxilii materiâ ſive Purgantibus ipſis pauca perpendemus. Et qvidem primò inveſtigandum, *An in purgatione Purgantibus utendum?* deinde *qvibus purgantibus uti conveniat?*

Prima Qvæſtio nonnullis fruſtranea videri poſſet. Verùm evenit interdum, licet raro, ut absqve purgantibus Purgatio ſuccedat. Sic fuit Lugduni Batavorum Vir qvidam Marſenius dictus, qvi pro evacuatione humorum nunqvam ullum asſumſit pharmacum, ſed vel ſolo ejus odore, vel tantummodo recordatione ejus, dum Medicus formulam præſcriberet, alvum ſibi ipſe commovit. Ejusmodi qvoq; hiſtoriam habet *Salmuth Centur. 3. obſ. Med. 14*; & *Th. Bartholinus Centur. 5. hiſtor. Medic. 64.* Ubi hera qvædam, qvoties purgari cuperet, pilulas ex Officinâ petitas ancillæ degluticndas offerebat, & exinde, qvod ſaltem adſtaret, & pilulas deglutire videret, cum nauſeabat, tum purgabatur. Aſt ejusmodi Purgatio non adeò commoda eſt, atqve ea, qvæ à Medicamento cauſatur.

Videmus etiam non raro, qvibusdam ob terrorem, timorem, aut conſternationem alvum ſubitò moveri, & excrementa tenuia non ſecus ac in purgatione excerni, id qvod ideò fit, qvia ejusmodi affectus Animi acres humores in inteſtinis movent, qvi concepto fermento alieno ebulliunt, & ita reliqva excrementa ſtimulant & unà expellunt.

Oritur etiam ſæpisſimè ſpontanea evacuatio in ſanis à Naturâ robuſtâ facta, qvâ ſe à ſuperfluis humoribus liberat, de qvâ *Celſus* loqvitur *lib. 4. cap. 19.* „Uno die fluere alvum, „ſæpè pro valetudine eſt, atq; etiam „pluribus, dum febris abſit, & intra „ſeptimum diem qvieſcat. Purgatur enim corpus, & qvod intus læ„ſurum erat, utiliter effunditur.

Miratur ſæpè vulgus, ac minus rectè curatum putat, cum Medici alvum fluidam per purgantia interdū curant, qvæ diarrhœam augere, & ægrotantium vires infringere posſunt. Verum contrarium experimur, nihil enim æqvè alvum ſiſtit ac purgantia, ſed talia, qvæ juxta vim ſuam adſtrictivam leniter etiam evacuant; In ſanis ſpontaneam Evacuationem, ſi intra ſeptimum diem cōqvieſcat, bonam eſſe ex *Celſo* jam audivimus, in ægris verò pro variâ Morbi & ægrotantis conſtitutione

& tem-

& tempore ſæpe bonus eſt alvi fluxus, ſæpè malus; ut ſi ſit Criticus, ſi talia evacuentur, qvalia oportet, & fiat cum ægri euphoriâ, bonus eſt; ſi contrà, malus; ut ſupra percepimus. Proinde interdum ſinendus, interdum ſiſtendus eſt. Communis regula eſt, cauſas Morborum prius eſſe tollendas, anteqvam Morbi ipſi evaneſcant. Unde in ejusmodi diarrhœâ tutisſima curandi ratio eſt per cauſæ ablationem, qvod inter cætera remedia commodisſimè & tutisſimè Purgatio præſtat, ut poſtea vel ſponte fluxus ceſſet, vel ſi non ceſsarit, commodius tamen & ſine damno adſtringentibus coërceatur, *Ludovic. Septal. lib. 7. animadverſ. & Petræus in Noſolog.*

Qvalia Purgantia eſſe debeant & qvibus purgantibus uti conſultum?

CL. *HELMONTIUS in tr. de Poteſtate Medicaminum* §. 34. vera purgantia ita deſcribit, ut nec putrefaciant, nec electivè humores fictos educant, nec vitalia reſolvant; ſed ut primò nihil ex ſano corpore educant, nec moveant, alterent, aut infirment illud; deinde, ut non exigant qvicqvam foras, niſi qvantum peccat, ideoqve non aggravent, ſed ab onere ſublevent, & mox inde æger ſe benè habeat. Tertiò ut inſenſibiliter vel ſaltem moderatè reſolvant & abſtergant, qvacunqve parte cauſa morbifica fuerit ſubinde vix pendens drachmam ut *in diſpenſator. moderno* §. 50. definit, reliqvum ſatagente Naturâ.

Verùm ſi nos ejusmodi arcanis ſolutivis eſſemus inſtructi, de qvibus gloriatur *HELMONTIUS*, per quæ omnis purgatio inſenſibiliter & ſine virium diſpendio poſſet inſtitui, tunc omni illâ purgantium farragine, qvam Autores paſſim congeſſerunt, in quibus non deſunt, quorum poteſtas deleteriâ qvalitate infeſta tota ſigillata eſt in liqvefactione ſuccorum vitalium & deſtructione virium, facile ſuperſedere poſſemus; cujus generis ſunt Euforbium, Elaterium, Colocynthis, Eſula, Semen Ricini Americani, Lapis Lazuli, Lapis Armenus, qvæ ipſa etiam nos exterminabimus; licet & reliqua, quæcunq; etiam fuerint, quæ communiter ſtatuunt omni pravâ ac colliqvativâ carere qualitate, ſi accuratius examinentur, vix etiam immunia ſint, quia aliquid etiam Naturæ infenſi admiſtum habeant, qvo viribus noſtris imponant, cum quo conſentit & ipſe *Galenus lib. 2. acut. 12.* Purgan-„tium, inquiens omnium Naturam, „corporum, quæ purgantur, Natu-„ris contrariam eſſe, lethalem & de-„leteriam; Cui ſubſcribit & *Avicen-„na 4. 1. cap. 5.* ſæpe reperitur, dicens, „inimicitia inter purgans Medica-„mentum & Naturam ita ut ſit huic „venenum, & via ad perniciem & corruptionem; Attamen, qvemadmodum in Republicâ multa permittuntur

tuntur mala, ne graviora mala ex nonnullis ſeverè prohibitis excitentur, ita & nos aliis deſtituti præſidiis iis intereà Ratione & Experientiâ comprobatis, licet non ſine virium jacturâ ſuam ſæpe operationem abſolvant facile tamen emendabilem, utemur, donec Divina clementia benignioribus nos ditaverit *Helmontianis* arcanis non abſimilibus.

Sunt autem vel Mitiora; Manna, Aloë, vel Mediocria; Senna Myrobalani, Tamarindi, Rhabarbarum, Agaricum. Mechoacanna alba & nigra, Galappa dicta. Vel vehementiora, Gummi de Peru, Helleborus uterque, ſcammonea, Turbith, Hermodactyli.

MANNÆ ex ſacris paginis mutuatum eſt vocabulum, ab Hebraico Man derivatum, & ſignificat melleū ac ſaccharaceum Rorem è Jovis nubibus ſuper herbas ac arborum frondes decidens; notante *Cœlio lib. 13. cap. 46*, Ἀερόμελι *Galeno lib. 2. cap. 493.* & Droſomeli *Cordo* in hiſtor. vocatur. Hæc propriè & juxta Medicorum uſum uſurpata, eſt Ros ab exhalationibus ſuavibus ſulphureis à terrâ & aqvis Solis calore prius in die calidâ & ſiccâ elevatis, ac ejusdem caloris vi exactè attenuatis & coctis, & frigore ſequentis noctis in minutiſſima grana, gummi, vel Maſtichis formam repræſentantia concretus & poſteà ſublucanis horis in lapides, frondes & ramos arborum & herbarum deſcendens. *Galenus 3. de alim. facultatib. c. 39. de Melle.*

Eſt & alia præterea MANNA in fraxinis arboribus, ornis, qvercubus annoſis, & aliis benè ſatis & feliciter enutritis arboribus, qvæ apud Brigantinos in Transalpinâ Galliâ aut in Neapolitano Regno creſcunt, aliarum reſinarum aut lacrymarum more deſtillans, cujus *Altimarus in tractat. de different. & viribus Mannæ* mentionem facit, verum hæc licentioſè nimis Mannæ nomen adſumit, qvalis etiam eſt thuris Manna ex thuriferis arboribus reſudans. Suprà deſcripta propriè in uſum venit Medicum, unde & Manna *Purgatoria à Matthiolo lib. 1. cap. 73. in Dioſcor.* appellatur. Hæc pro ratione Regionum vel & Calabrienſis, & cenſetur hæc præſtantiſſima, & maximè, qvæ ex Oenotriæ qvodam loco defertur, in qvem ſingulis æſtatibus deſcendit & ab omnibus excerpitur, vel Brianſonnenſis, qvæ Calabrienſis in defectu quandoq; cedit in uſum, licet non adeò idoneum.

Eligenda eſt minutis granulis, pellucida, alba, vel in luteum vergens, recens, gravis, guſtu dulcis & ſuavis, intra annum ex plantis odoratis & homini ſalubribus collecta. Qvæ de foliis colligitur, primum obtinet locum, & vocatur communiter Manna de foliis, huic ſuccedit præſtantiâ ſuper ramos & arborum caudices collecta, & deniqve, qvæ ſu

per

per terram & lapides defluit.

Hæc igitur cœleſtis MANNA legitimè adminiſtrata benignisſimæ inter Purgantia eſt naturæ. Qvibusdam qvidem ob dulcedinem eſt ſuſpecta, dum facilè crudelitates exacerbat nidoroſas, adeoq; cholericis & febricitantibus non adeò conveniens videtur pharmacum, & ſi ex eâ in balneo vaporoſo proliciatur, deſtillatione Spiritus, experieris illum admodùm fortem, acrem & mordacem, atqve idcircò ſummè calefacientem; Verùm ſi tunc Acidis corrigatur, aut ita abſolutè, & per ſe frigidis conſtitutionibus in cruditate acida offeratur, cum convenienti vehiculo diſſoluta varios ſortitur effectus, & miras virtutes Medicas, ut nulli non Perſonæ absqve ullius periculi ſuſpicione exhibeatur.

In Univerſum autem primam corporis regionem ab omnibus ſeroſis liberat impuritatibus, in colicis doloribus, qvando clyſteres ſine ullo fructu applicantur, atteſtante *Lazaro Riverio lib 5. cap. 1. Practic. Medic.* & in Nephritide cum oleo expreſſo amygdalarum dulcium diſſoluta blandè alvum movet, dictorum affectuum removendo cauſam occaſionalem. Pectus præterea detergit, lenit & viſcidos ex thorace humores citra Capitis & Spiritalium partium noxam expellit.

Tutò exhibetur iis, qvi certa ratione validius non admittunt, ut pueris, gravidis, & aliis, qvi neceſſitate urgente valentius non expoſcunt remedium. Doſis per ſe eſt infantibus à ʒij ad ℥ß. Adultis ab ℥iß. ad ℥ij

Medicamenta ex Mannâ parata obvia ſunt Electuarium Laxativum de Mannâ, Sirupus de Mannâ Laxativus, & Manna Tartariſata, de qvibus conſulendus *Johann Schröderus in Pharmacop. Medic. Chymic. Lib. 4. cap. 4.*

Notæ eſt ſuavitatis & elegantiæ Manna Liqvida, qvæ IMPERATORI FERDINANDO III. à Magnifico & Excellentisſimo Viro *D. D. MANAGETTA* Medico Cæſareo dignisſimo ad alvum blandè movendam & ſeroſos humores educendos qvandoq; per intervalla habitâ circumſtantiarum ratione fuit præparata & à qvodam amico mihi communicata.

Recipe. Mannæ elect. Calabrin. ℥ij.
Cryſtall. Tartar. ʒß.

Solve in calore MB. benè muniti cum aqvæ fontanæ acidulæ ℥iv. adde parum ſucci granatorum vel Citri recentis, aut ſpiritus Martis ſtriati pro gratâ aciditate. Tandem cum albumine ovi clarifica & per chartam filtra; deniqve cum Corticibus Citri recentibus vel cum Magiſterio Cinamomi fiat odor & guſtus ſuavis. Doſis à ℥iij ad ℥iv. vel ℥v.

Hæc à ſcoriis ſtercoreis ſublevando Na-

do Naturam ſangvinem reddit puriorem, calorem & ſitim ſedat, appetitum excitat, exhilarat cor, & nulla eſt Corporis pars, qvæ ex ejus uſu mirabile levamen, & utilitatem non ſuſcipiat maximam. Hæc Medicina eſt MAJESTATICA digna PERSONA. *Zacut. Luſit. de M.P.H. 8. Lib. 6. de Mannâ.*

ALOE ſuccus Plantæ ejusdem nominis notisſima eſt. De hujus conficiendi & colligendi modo diverſæ exſtant hiſtoriæ. Illa autem probatur, qvam olim tradidit *PLINIUS*, qvem ſeqvitur *COLUMNA*, & fit foliorum à radice transverſim factâ inciſione, ſuppoſitis urceolis vitreis, ut collectus in plenilunio aut Lunæ augmento per noctem liqvor tandem ſole ſuboriente concreſcat & coëat, idem compertum ſe etiam in Italiâ refert modo laudatus COLUMNA, ſuccumqve concretum amaricantem deprehendiſſe. Memini me ab EXCELL. D. ROLFINCKIO & CL. Theodoro SCHENCKIO eadem amplisſimo encomio confirmata adnotâſſe. Aliter qvidem GARSIAS ab HORTO ſentit, qvi ex ALOES herbæ ſiccatæ ſucco fieri aſſerit *Lib. 1. Aromat. hiſtor. cap. 2.* Aſt, ut reverâ una eſt genere, & patriâ, qvæ Americana dicitur, ita per expresſionem ex foliis ejus primum in umbrâ flaccida factis ſucci origo illaudabilis, id qvod eleganti oratione perſeqvitur *BUDÆUS in notis ad libr. Theophraſt. de Plantis.* Qvod ALOE amaritudinis habet hoc à Sale marino eſſe puto, cujus inqvilina asſidua eſt. Pereuntibus aqveis partibus & ab ardore Solis coactis atomis Salinis amaror oritur. Et nitroſa vim habent ſolvendi propter amaritudinem, qvam ſentis, ubi paulò diligentius igne liquaveris. Sal variè à calido & frigido paſſum in ſecundis modo laxare, adſtringere, refrigerare, calefacere notisſimum eſt. Qvemadmodum igitur omnium ſaporum idea in ſale reſidet, ita & hujus Aloini ſucci amaror in hoc conſiſtit, annuēte ipſo *Philoſopho lib. de ſenſu & ſenſibil. c. 4.* & citante *CL. Th. SCHENCKIO in hiſtor. general. de ſapore Humorum cap. 7.*

Optima hodiè habetur, qvæ Socoterina dicitur, à SOCOTRA INSULA in Indiâ valdè inſigni, ubi copioſè creſcit; Proxima huic eſt Hepatica dicta ad hepatis imaginem vergens, non tam exceſſu præſtans, atque illa, qvicqvid dicat *JUBERA in libr. ſimplic.* Hiſpano idiomate conſcripto *cap. 43.* Vilisſima eſt Caballina dicta, qvod ad veterinarios uſus adhibeatur impura & melioris veluti excrementitia pars, qvæ tamē non ſpecie, ſed accidentibus, non niſi puritate & impuritate diſcrepant. vid. *Chriſtoph. à Coſtâ colloq. 1. de Aromat. cap. 25. Johannes Fragoſus de Aromat. Indic. diſcurſ. 5. Manipul. Medici-*

Medicinar. tract. lit. A. Matthæus Silvaticus lib. 1. de ſimplic. cap. 31.

Antiqvi magnis encomiis hunc Alomum ſuccum celebrant, dum pro ἐκκοπρωτικῷ Medicamento ab ipſo habetur *Galeno lib. 6. de Medicam. facult.* ſeu *ut 7. Meth. Med. 11. & 8. de Compoſ. Medic. ſec. loc. c. 2.* habet, pro tali, qvod vim balſamicam corroborantem laxativam obtinet, primas ſaltem vias ab Excrementorum ſarcinâ liberans, niſi ampliore doſi fuerit exhibitum, tunc ad loca proxima ſolùm adſcendit. Unde non facile in partium internarum & organorum ſenſuum morbos incurrunt, qvi ejus uſum ſibi proponunt qvotidianum, *Meſ. cap. de Aloë & Aëtius tetrab. 1. Serm. 3. cap. 24.* Dum enim humores vitioſos in primis viis reſtagnantes, & caput ferientes evacuat citrà ullam moleſtiam, juvat illos, qvibus Caput inde per conſenſum afficitur; ideoqve haut inconvenienter offertur in Cephalalgiâ, vertigine, ophthalmiâ, ſuffuſionibus, & aliis affectibus, qvi hypochondriis ſuum debent ortum. Prodeſt & illis, qvi cruditate acidâ laborant, & fermentum felleum admodum debile habent, unde opitulatur iis, qvi præter rationem pallidi fiunt, & alvi excrementa retinent, & hinc ſenibus etiam eſt utilior, niſi admodum ſiccâ intemperie laborent, (*Galenus de ſanitat. tuendâ cap. 9.*) qvàm juvenibus, non ſolum ideo, qvod juvenes calidiores, ſenes frigidiores, verum etiam quod Senes maximè ſint propenſi ad cruditatem acidam, & aqvoſi & ichoroſi Salini humoris copiam generandam, id qvod eorum ſudores acidi & alia teſtantur Acidæ verò cruditati maximè reſiſtunt amara, illam corrigunt, expurgant, & ventriculum juxtà corroborant, non aliam ob cauſam, quàm ob innatum ſal illorum amarum, cujus beneficio ex interitu fit vita, ex Morbo ſanitas, ex vermium proventu eorum corruptio, & ex corruptione eorum priſtinarum virium regeneratio. Hinc & Aloës uſus præſervat à putredine & peſte. Quemadmodum autem cum aliis præſtantisſimis Naturæ rebus qvandoque comparatum eſt, ut juxta vim ſuam proficuam ac ſalutarem, aliam etiam nocivam ſæpe habeant reconditam, ita & cum ALOE uſu venit, ut, præterqvàm quod maximum commodum vi ſuâ laxativâ corpori humano inducat, contrà tamen etiam ſuo non deſtituta ſit incommodo, dum igneum qvaſi qvendam calorem inducendi vim obtinet, humores fervidiores & fluxibiliores reddit, corpusqve valde alterat & ſiccat, unde epatis activæ conſtitutioni adverſatur & venarum orificia aperit, ut ex ejus nimio uſu hæmorrhoides aperiantur, & Menſiũ flux⁹ provocentur. Nec obſtat qvod per accidens id ipſum fieri ab acrimoniâ

moniâ humorum ab aloë motorum *Zacut. Luſit. in Pharmacop. cap. 5.* de Aloë doceat. Hoc enim ſi verum eſſet, cur idem non præſtarent & alia Purgantia? ſed ratio eſt, qvod Aloë propter peculiarem amaritudinem & acrimoniam conjunctam ſanguinem fervidiorem non ſolum reddat, ſed & peculiarem fermentationem inducat, ut hæmorrhoidum & Menſium fluor concitetur. *Qvarè ferè omnes, qui utuntur Aloë freqventer,* inqvit *Zacutus Luſitanus l. c. ſangvinis fluxum per hæmorrhoides patiuntur.*

Ut igitur hæc incommoda videntur; Primò nec Univerſalis aut indifferens, nec creber, nec copioſus ſit ALOES uſus, ſed in diſpoſitis in tanta ſumatur doſi, qvantam copia vitioſorum humorum in primis viis ſubſiſtens expoſcit, & qvidem commodisſimè adhibetur paulò ante cœnam, vel etiam in ipsâ cœnâ, ita enim & ipſa adſumpta Medicamentoſa facta alvum plus humectant, ventriculo & inteſtinis adnatas ſordes abſtergunt, & tempore matutino expellunt, de qvibus *vid. CL. Sennert. in Paralipom. ad inſtitut. c. 13. & 21.* Deinde & juſta ALOES præparatio fieri debet. Ubi ante omnia qværitur, qvid ſtatuendum ſit de *ALOES Lotione,* utrum illa approbanda ſit, an ſecus? & qvomodò fieri debeat?

Lavandam eſſe ALOEM docet *DIOSCORIDES Lib. 3. cap. 22. & Serapio libr. de Simplic. Medicam. facult. cap. 201.* ob has rationes, primò ut ſeparetur ab ipsâ pars terrea & arenosâ, pro curandis oculorum affectibus. Deindè ut auferatur ab ipsâ virtus expurgatrix, & augeatur adſtrictoria. Tertiò, ut facultas purgativa intendatur. Simili ratione tribus modis inter ſe diverſis lavari ſolet. Primò ex ſententiâ *Galeni 8. ſec. loc. cap. 2. & Meſuæ cap. de Aloë.* Eligitur ſcilicet ALOES libra una, & pulveriſata infunditur in duplâ aqvæ qvantitate fluvialis, vel fontanæ & tempore æſtatis ad ſolares radios collocatur, usqve qvo imbibatur & tota aqva reſolvatur. Secundo, ſuperinfunditur in dictâ aqvâ & derelicta per aliqvot temporis ſpatium qvieta rejicitur reſidentia, & poſtea per linteum colatur, & radiis ſolaribus exponitur, qvousqve abſumatur aqva. Tertiò, ut virtus purgativa augeatur, infunditur in decoctione Medicamentorum Solutivorum, ubi loco aqvæ decoctio ſpecierum admiſcetur.

Verùm Lotionis epitheton impropriè certè dicitur de ALOE purâ, utpote qvæ propriè loqvendo lavari neqvit; & qvem in finem repetenda illa lotio cum aqvâ & facta à Solis calore exſiccatio? qvid enim virium huic ab aqvâ accedere poteſt, quâ toties reiteratis vicibus disſolvi & iterum exſiccari debet, ſi alias

lias ſatis pura eſt & pellucida? hoc quidem facilè largimur, ſi rebus heterogeneis, ut arenâ, floccis, ſegmentis lignorum & ſimilibus permixta fuerit, eam diſſolvendam & colendã eſſe, ut hâc ratione lucidior & nitidior evadat, id quod tamen commodius ſpiritu vini, qvi ſimul reſinoſam ejus partem & balſamicam extrahit, quàm aquâ, qvæ illam intactam relinquit, peragitur, & ſufficiet tunc ſemel ſaltem illam diſſolvere & colatam inſpiſſare. Nam reiteratis illis ſolutionibus & inſpiſſationibus, ſive iſtæ calore ignis ſive Solis peragantur, non melioratur ALOE, ſed deſtruitur potius more catharcticorum omnium vegetabilium. Mihi maximè probatur ille modus, ubi pulveriſatæ Socoterinæ ſuperinfunditur repetitis vicibus vel ſuccus violarum inſpiſſatus cum ſucco florum Perſicorum, vel ſuccus roſarum, & permittitur ſuccus lento in calore exſiccari, quem ſi exaltare in viribus cum floribus Antimonii fixis purgantibus, vel alio quodam ſucco vegetabili mihi noto, libuerit, majores edet effectus. Magis peccant, qvi liquorẽ, in qvô ALOES ſoluta eſt pars puriſſima, abjiciunt, & feculentum illud, quod reſervant Aloëm lotam appellant. Verum quidem eſt, qvòd hæc ALOE minus purget, quàm non lota, quia ſcilicet optima ALOES pars eſt ab eâ ſeparata, relictis fecibus cum pauxillâ aliquâ ALOES parte. *CL. Sennertus in Paralipomen. ad Inſtitut. cap. 13.* Hæc illa reſidentia eſt, qvam rejicit *CL. HELMONTIUS in Pharmacop. & Diſpenſ. moderno* §. *39. dum ablutione* inquit *reſiduum manere, qvod ſui ad inteſtina adhæſione tormina & hæmorrhoides concitat.*

Tertius deniqve *Serapionis* modus ALOEM in ſuis viribus exaltandi maximè probatur. Sic ad hydropem aſciten decocto fl. perſic. cortic. inter. ſambuci. radic. ebuli. galapp. & mechoacann. eſſentiâ; pro Melancholiâ hypochondriacâ decocto radic. Ellebor. n. & fol. Senn. A. pro febribus qvotidianis & qvartanis decocto aſari vel ſucco mercurialis; pro capite & cerebro expurgando eſſentiâ agarici inebriari poteſt. vid. *CL. Joh. ZWELFERUS in appendice ad animadverſ.*

Notæ etiam ſunt Pilulæ Aquapendentis, qvę nihil aliud ſunt, qvàm Aloë roſata novenâ ſucci roſarum infuſione exaltata, qvarum deſcriptio olim Byzantio à comite Malateſta allata & illuſtriſſimæ Sorſanorum Patritiorum Venetorum familiæ communicata, ab eâdem in ſecretis habita fuit, tandem *Hieronymi Fabricii Aqvapendentis* in manus devenit, qui cum Patavii pharmacopæis illam traderet præparandam, ab iis hanc iniit gratiam, ut inventio ipſi, viro aliàs maximæ autoritatis adſcriberetur. *CL. ROL-*

FINCK. in Meth. cognoſc. & curand. Febr. general. cap. 89. Qvod autem hæ Pilulæ majorem habeant efficaciam, qvâm, quæ apud nos paratur Aloë roſata cauſam eſſe putat *CL. Sennertus l. c.* quod roſæ rubræ incarnatæ dictæ in Italiâ majorem vim purgandi habeant, quàm quæ in Germaniâ & locis Septentrionalibus creſcunt, ut enim vina Italica Germanicis ſunt præſtantiora, ita & Roſæ.

Celeberrimæ ſunt Angelicæ dictæ Beyerianæ, quas Mœno adjacens dat Emporium, quæ nihil aliud ſunt, quam extractum Aloës completum & incompletum, teſte *Rolfinckio l. c.* ſeu Aloë puriſſima ſucco Violarum Martialium & florum perſicorum, aut florum prunorum domeſticorũ vel ſylveſtrium, qui frequentiores ad Mœnum ſunt, & floribus Antimonii fixis ſæpius imbuta & iterum exſiccata. Vid. *Johann Carol. Roſenberg. animadverſ. & obſerv. Medic. lib. 24.* Et Anhaltinæ Ducales authoritate celebres ſunt, ſecretæ compoſitionis. Dedit & *Joh. Qvercetanus* ſuum Balſamum Aloëticum, & inſuccatas pilulas ex ſucco florum prunorum tum domeſticorum, tum ſylveſtrium. Gothanæ *D. Balthaſaris Glaſſii* virtute & efficaciâ dictis ne minimum cedunt, adeò ut Francofurtenſes ſi non ſuperent, tamen viribus ſint æquales in qvibusdam ſubjectis. Hæ vim habent balſamicam deterſoriã ſtomachi aptisſimam à craſſis & viscidis humoribus incruſtati, illuviem inteſtinorum & venarum meſaraicarum cloacæ corporis humani optimè eluentes; alvum pigram officii memorem faciunt, ſtomachum roborant, & caput catharris obnoxium liberant. Illis, qui ſibi continuum illarum uſum familiarem fecerint, polliceor, eos à malo hypochondriaco non ſolum, ſed & ab omni Arthritide ſecuros futuros. Cum enim ſedentaria vita, amica & familiaris qvaſi omnium Studioſorum in Meſenterio, ubi pars animæ brutæ tanqvam ad præſepe ligata eſt, multas ſordes colligat, cum calor otio ſopitus, nec negotio excitatus pigrior in conficiendo cibo ſit, abſterſivo quodam & fermentali calori excitativo; quales ſunt dictæ Pilulæ, opus utiq; erit. Nolũt proindè jam iis carere multi domi, nec in itinere; non in otio, nec negotio, cœnæ & prandii prodromis, ut Pereſiæ & Bibeſiæ D E Æ innoxiè litare libeat ac liceat. Illarum compoſitionem adhuc in Harpocratis Sacello reſervatur recondita. *Mindererus* Marocoſtinas, & *Felix Platerus* in ſuâ Praxi plures compoſitiones vulgates præſcribit. Pilulæ Peſtilentiales Ruffi notæ ſunt etiam efficaciæ: nec oblivioni tradendum Elixir Proprietatis laxativum, & alia ex Aloë parata pharmaca, de quibus Anthores pasſim ſunt conſulendi Medici.

SENNA

SENNA Media inter Medicamenta Solutiva mitiora & fortiora, uſu eſt freqventisſima & effectu utiliſſima. Planta eſt ſiliqvoſa magnitudinem habens unius cubiti è regionibus orientalibus ad nos primum advecta, colutheæ Veſicariæ admodum ſimilis, cujus folia ad liqviritiæ vel fœnugræci effigiem accedunt.

Flores ex alarum ſinu erumpunt lutei, tenuibus pediculis appenſi, qvibus ſuccedunt folliculi oblongi, plani, compreſſi, incurvi, ſeminibus parvis, fuſcis, compreſſis gravidi.

Colligitur in Ægypto, Apuliâ & Hiſpaniâ. Communiter hujus duæ dantur differentiæ; una dicitur Alexandrina ſeu foliis acutis, oblongis, viridibus, myrti majoris effigie, & hæc præſtantisſima eſt; altera Italica, ſeu foliis obtuſis, & hæc minus præſtans eſt; Vid. *Mizaldus in ſingulari de Sennâ opuſculo.*

Antiqvis ignota fuit, à junioribus Græcis & Arabibus ſolum cognita, atteſtante *Serapione cap. 58.*

Hæc Medicina ſecuritatis eſt, prægnantibus, pueris & cujuscunque ætatis hominibus benigna, aduſtos, craſſos & ſalſos humores à cerebro, Pulmone, Jecore, Liene, Ventriculo & Meſenterio blandè educit, unde floridum corpus efficit, & Morborũ ab ejusmodi humoribus provenientium medela eſt. Errant ergo qui illam perturbare Ventriculum, & imbecillum reddere dicunt; cum enim ſicca ſit, & amaritudinis nonnihil atque adſtrictionis habeat, manifeſtum eſt, eam Ventriculo prodeſſe. Quod verò muliebria & pituitoſa corpora epoto Sennæ infuſo torminibus vexentur, id humorum pituitoſorum vitio quidam tribuunt. Verum, cur non etiam alia purgantia, quæ aduſtos & mucilaginoſos acres æquè humores educunt, idem dant effectum? Rectius illi ſtatuunt, qvi id crudiori ac magis fixæ terreſtri Sennæ particulæ forti expresſione prolectæ adſcribunt. Hinc videmus ejus Extractum ab ejusmodi effectu immune. Cum calida & ſicca ſit, corrigitur fl. violar. borragin. decocto prunorum, & quo minus Ventriculum offendat, additur Cinamomi caryophyllati aut Zedoariæ vel calami aromatici momentum.

Si vel Pueris vel nauſeabundis aliis exhibenda eſt Medicina purgans, in juſculo, vel cereviſiâ, vel vino coquantur folia Sennæ A. cum fl. borraginis & Cinamomi parte quartâ, deinde propinetur juſculum cum aliis cibis in prandio, vel vino aut cereviſiæ panis exiguum pro jentaculo incoquatur. Idem decipiendi modus ſuccedet, ſi Senna ipſa in ſubſtantiâ pulveriſata cum cereviſiâ aut vino intrito pane juſtâ doſi abſumatur; vel ſi in aceto folia Sennæ A. infundantur, & ex eo aceto in cœnâ acetarium conficiatur. Pro condiendis acetariis infuſionem habet *Tile-*

mannus ſect. 1. Mat. Medic. Epulis incoquit folia Sennæ *Botallus de Lue Venereâ cap. 20.* In defectu foliorum Sennæ ſubſtituit *Thom. Bartholinus Centur 5. hiſtor. 60.* colutheam veſicariam ſeu Pſeudo-Sennam in hortis etiam noſtris copioſius provenientem, & ejus felicem ſucceſſum expertus eſt. Utilis etiam hæc Aqua Laxativa ex foliis Sennæ *D. Mannagettæ* Imperatoris Medici cubicularis dignisſimi.

Rec. fol. Senn. A. S.S. ℥v. Paſſul. min. ʒvj. Semin. Coriandri ʒij. Sem. fœnicul. Cinamomi. ana ʒiſs. Cryſtall. Tartar. ʒj.

Inciſa & contuſa ſuperfunde aqvę fontanæ calidæ ℥xv. ſtent per noctẽ, poſteà colentur cum expresſione, quæ clarificentur, & deniq; per chartam bibulam filtrentur. Doſis ℥ij. ℥iij. ad ℥iv. Commendatur & ejus Sirupus de Foliis Sennæ A.

Rec. fol. Senn. A. S. S. ℥ij. cryſtall. Tartari. ℥j. inciſa & contuſa ſuperfunde ſæpius ſ. q. aquæ ferventis ad totalem virium extractionem, extractiones omnes albumine ovorum clarifica & adde Sacchari albi ℔jſs. coque leniter ad Sirupi conſiſtentiã, qui Eleoſaccharis congruis aromatiſandus. Cujus uncia una, ſi benè & legitimè paratus fuerit, vires continebit unius drachmæ circiter foliorum Sennæ.

Decoctũ Sennæ A. cum epithymô in ſero lactis caprini factum & ritè depuratum additis Sirup. d. Cich. c. rh. & Elect. d. ſucc. roſar. mihi maximè probatur in affectibus ex colluvie ſeroſâ & aduſtâ ortis.

Aliàs Pulvis Sennæ Montagn. Sirupus de Pomis Regis Sapor, à quo captus eſt Valerianus Imperator, Paſſulæ ex Senna laxativæ, ejus Extractum & Tinctura notæ ſunt efficaciæ.

Sennæ doſis eſt in Subſtantiâ à ʒſs ad ʒiſs. in infuſô à ʒij. ad ℥ſs. vel ℥j. ij.

MYROBALANI ſunt fructus inſtar prunorum exotici, carne corporis compactâ, & oſſe intus lignoſo præditi.

Hos priſci non agnoverunt, ſed ab Arabibus primùm inventi deportantur jam ad nos ex Ægypto & Syriâ.

Qvinque ſunt illorum genera. Alii enim ſunt Citrini à citrino cortice dicti, & omnium optimi ſunt in viridi flaveſcentes, ponderoſi, carnę multa infarcti, & denſa, crasſioris corticis, osſis exigui.

Alii Indici ſeu nigri, & præſtant magni, crasſi, ponderoſi, nullo intus osſiculo, confracti in unum compacti cernuntur.

Nonnulli Bellyrici inſtar gallæ rotundi vel pyriformes. Excellunt crasſi, denſi, graves cortice craſſo præditi.

Alii Chebuli omnium amplisſimi, & laudantur crasſiores, colore nigro purpuraſcente, qui in aqvam conjecti fundum cito petant.

Alii

Alii denique Emblici teſſellatim ad nos delati, præferuntur majores, craſſiores, denſiores, ponderoſiores, minus oſſium, quàm pulpæ habentes.

Singulorum quidem peculiares ſunt effectus, omnes tamen unà adſtringendo clementer purgant, & viſcera roborant, in quorum obſtructionibus autem cavendus eſt eorum uſus, frigidi enim ſunt & terreſtres, & compreſſione arctant, proinde iis, qui obſtructionibus ſunt obnoxii, horum decoctum non admodum eſt proficuum.

Citrini, humores nidoroſos expurgant, unde in variis conveniunt febribus, corporis æſtum refringunt & ſedant.

Indi humores aduſtos ac ſalſos educunt, unde Morbis Melancholicis ſuccurrunt, quartanæ medentur, Lepræ & cutis affectibus præſidio ſunt.

Chebuli & Emblici crudos & acidos everrunt humores, unde pectus repurgant, ventriculum firmant, Vomitum compeſcunt, Dyſenteriam & alios alvi fluxus ab initio mitigant.

Bellyrici purulentis ac ſeroſis educendis apti nati ſunt, unde fluxum hæmorrhoidalem vi ſuâ abſterſivâ purgante unà etiam conſtringunt.

Doſis eorum in ſubſtantiâ eſt à ℈j. ad ℈iij. in infuſo autem à ʒvj. ad ℥jß.

Rec. Cortic. Myrobal. citrin. ℈ij. Sirup. de Myrobalan. ℥jß. Spirit. Martis ſtriat. ʒß. Aq. acetoſ. ℥j. M. f. hauſtus in febribus bilioſis ſtatim ab initio propinandus, ubi multa adeſt materiæ occaſionalis in primis viis

In infuſione adminiſtrantur modo ſequenti.

Rec. Cortic. myrobal. Citrin. ℥ß. Santal. citrin. ʒj. infunde in aq. Plantagin ſ. q. & vini rubri tertiâ parte; in colaturâ infunde rhabarb. & ʒß. Spic. indic. ʒß. f. Expreſſio, adde Sirup. de Myrobalan. ℥j. Spirit. Martis ſtriat. gutt. X. M. f. hauſtus.

vel; Rec. Myrobal. chebul. ℥ß. coq. in ſ. q. aq. hordei. rec. Colatur. ℥ij. adde
Sirup. de Myroballan. roſ. ſolutiv. a. ℥j.

vel: Rec. Cortic. Myrobal. chebul. ℥j. Citrin. ℥ß.
Paſſul. major. cum acin. ℈tuſ. ℥jß.
Coq; omnia in aqvæ fontan. ℔jß ad tertiæ partis conſumptionem. Colatura clarificata aromatiſetur Eleoſacchar. Cinamomi ʒß.

Hæc Medicamenta ſunt eximia in omnibus alvi fluxionibus ab initio uſurpata, niſi proveniant à fermento quodam maligno venenato, aut Scorbutico, qvo autem dominante exulent omnia ſaccharata irritantia crabrones, dum humorum fermentationem magis augent, qvàm diminuunt. Et tunc magis commoda erunt alexipharmaca, præcipitantia, & con-

& confortantia adſtrictiva ſpecifica.

Aliàs notæ ſunt in Officinis Pilulæ de quinqve generibus Myrobalanorum, Sirupus de Myrobalanis, & illorum ſuccus inſpiſſatus.

TAMARINDI malè dactylus indicus & Oxyphœnicum acidus dactylus appellatur teſte *CL. ROLFINCKIO in Meth. Med. general. curand. Febr. cap. 89.* Sunt fructus arboris cujusdam exoticæ fraxini modo duræ, multis cinctæ ramis & foliis non ſalici, ſed hyperico ſimilibus palmi magnitudine, à quâ ante maturitatem colliguntur.

Priſcis Græcis fuerunt incogniti & poſt Galeni tempora tandem reperti. *Averrhoës in Collectan. & Serapio de Tamarind.*

Probantur colore à nigro in ruffum vergente, teneri, recentes, multis villis intertexti, pingues, ex dulciacido & vinoſo ſapore permixti.

Tamarindos ſale côditos ad nos adferri, ut à putredine præſerventur, author eſt *Zacutus Luſitanus in Pharmacop. c. 3.* Verùm, falſum hoc eſt, ideoq; nec ablutionis cũ aqvâ oxalidis indigent.

Eſt Medicamentum clemens ac ſuave, calidos ac nidoroſos Sulphureos expurgans humores, vel per ſe, vel cum aliis permixtum medicamentis. Unde Maſſæ ſanguineæ ebullitionem compeſcit, vomitum omnesqve alvi fluxus ſiſtit auferendo & abſtergendo unà illorum cauſam occaſionalem; ardentibus & incandeſcentibus medetur, arquatis auxiliatur, ſitim ſedat, appetentiam auget, & ſqualidum corpus humectat. Demùm in putridarum & malignarum principio *Zacutus Luſitanus l. c.* approbat, cum aliis in febribus incendioſis bilioſi humoris caliditatem obtundat, & ſiccitate putredinem arceat.

Illorum doſis in Subſtantiâ eſt à ℥ß. ad ℥j. in decocto à ℥j. ad ℥ij. vel iij.

Rec. Decoct. Tamarind. c. paſſul. in aq. Card. b. fact. & ritè depurat. ℥j. Sirup. multiplic. infuſ. roſar. ℥ß. Extract. rh. ℈j. Mann. c. aceto irrorat. ℥ß. aq. acetoſ. ʒiij. m. f. potio.

It. Rec. Tamarind. ʒvj. fl. violar. borragin. a. p. j. coq. inſ. q. ſeri lactis, & in expreſſ. macera per noctem rhabarb. el. ʒij. exprime fortiter & in expreſſ. ℥iv. diſſolv. Sirup. roſar. ℥j. Mannæ Cal. aceto irrorat. ʒix. M.

Vel: Rec. Tamarind. ℥ij. f. decoct. in aqua, Spiritu Martis ſtriat. acidul., & in colaturâ infunde Rhab. ʒß. cinamom. Santal. citrin a. ℈ß. f. Expresſio, adde Sirup. d. roſ. ſiccis ℥j. M. f. hauſtus.

Hæ præſcriptæ formulæ adhiberi poſſunt in præſervatione febrium ardentium, ut & Variolarum & Morbillorum, nondum maſſæ ſanguineæ ebullitione aut fermentatione præſente.

Aliàs pulpa Tamarindorum officinalis

cinalis nota eſt, & Electuarium diaphœnicum.

RHA-BARBARUM quoad onomatologiam derivatur à Rha peregrino idiomate radicem denotante, & barbaro, quaſi ſit optima radix populi barbari, ſeu Indici, vel provinciæ cujusdam Barbaræ dictæ, ut Troglodyticæ. Hippolapathi noſtratis rotundi faciem quoad folia præſentat. Radix autem hujus generoſum Medicamentum eſt ad varios humani corporis affectus curandos neceſſarium, craſsiſsima eſt rotunda, colore exterius ſubflavo, & interius ex rubro flaveſcente, ad nucis Moſchatæ colorem internum accedente, & cum maceratur vel maſticatur croceo inficit colore.

Hoc cum Rhapontico multi confundunt, & unum ac idem eſſe putant, & ex diverſis plantis, Rhapontico ſcil. Centaureo majore, & Rhabarbaro unicam faciunt. Sed malè. Nam Rhaponticum verum & à Rhabarbaro Monachorū, & à vero Rhabarbaro diverſum nonnunquam ad nos transfertur. Deinde Rhabarbarum noſtrum vulgare non eſſe Rhaponticum manifeſtè convincit deſcriptio *Dioſcoridis*, ut neque etiam Rhaponticum ipſum eſſe Centauriū majus ipſe docet, qui diverſis in capitibus de utroque agit diverſè.

Hujus tres conſtituit differentias *Meſue in tract. de Simplicib. cap. de Rhabarb.* Indicum ſcilicet, Barbaricum, Turcicum. Verum cum ej9 locus genialis Chinarum ſit Regio, ubi uberrimè ac ferè ſponte provenit, & exinde adferatur in Indiam, Perſiam, Ormuz, Barbariam & Turciam, illud quod Perſæ ex Ormuz advehunt præſtantius eſt, cum minus teredinem & cariem ſentiat, quàm quod ex aliis regionibus navigiis infertur; ſiquidem plus corrumpuntur Aromata per mare invecta menſtruo ſpatio, quàm itinere terreſtri importata unius anni tempore.

Præterea India maritimis locis maximè humida eſt, & ejusmodi aromata diu incorrupta permanere non ſinit: Nam atteſtante *Garſia ab Horto lib. 1 hiſtor. Aromat. c. 37.* Rhabarbarum ſub menſem Maium in Indiæ maritima illatum, niſi antè Septembrem abſumatur, plane inutile eſt; & in mare abjiciendum; corrumpitur enim, ut pleraque alia aromata hibernis illis Menſibus. Ideoque eligendum eſt illud, quod Perſæ ex Ormuz advehunt terreſtri itinere recens, exterius ſubflavum, & interius fractum venis ex flavo ruffeſcētibus variegatum, rarum cum gravitate ſuâ, manſum vel alio liquore ſolutum croci modo tingens.

Diverſis conſtat Subſtantiis unâ laxativâ, alterâ adſtrictivâ. Hinc pro diversâ indicatione diverſimodè quoque tractatur. Nonnulli levi toſtione vim laxativam minui & adſtringentem augeri ſibi imaginantur,

tur, quod ab aliis improbatur; nec immeritò, nam cum vis, à quâ dicta facultas dependet, fixior ſit, quàm ut levi toſtione in auram evaneſcat, toſtio illa vix ſatisfaciet. Si itaq; Rhabarbari virtus adſtrictiva magis expetatur, quàm laxativa, poteſt infundi in aq. roſarum vel plantaginis extracto tormentillæ imprægnatâ, iterumque lento calore exſiccari repetitis vicibus. Ideoque quoad diverſos hoſce effectus laxantem nimirum & adſtringentem diverſis etiam, medetur Morbis. Quoad illam, ſanguinem & epar purgat, fermentum fellis corrigendo & à ſalibus excrementitiis liberando, unde aciditatem cruoris arcet obſtructiones liberat, ut in Ictero, cachexiâ, hydrope, ſplenis tumore, ac febribus diuturnis, aliiſque Morbis convenientiſſimum ſit remedium. Dyſenteriæ, Lyenteriæ, & omnibus alvi profluviis, ſputo item cruento, ruptis & contuſis obviam it. Si febris lenta orta ab obſtructionibus adſit, qualis in pueris ſæpiſſime contingit, frequens purgatio ex rhabarbaro compoſita per epicraſin humores educens morbum auferre ſolet, unde obſtructiones aperiuntur & viſcera corroborantur. Porrigitur in ſubſtantiâ, bolo, infuſione, Extracto, & ut facilius in actum à calore noſtro fermentali deducatur, additur cinamomum, vel Schœnanthum, vel Santalum citrinum. Illud ſi per ſe manè maſticetur pondere unius ſcrupuli deinde deglutiatur, non tantum ſegnitiem alvi emendat, ſed ea etiam maſticatione caput expurgat, ſenſus omnes vegetiſſimos reddit, ventriculum & reliqua viſcera, ſi quid aliud mirum in modum roborat; adeoque ejus frequens uſus nihil incommodat prorſus, & eſt Medicina omni ex parte polychreſta & tutiſſima, id quod etiam *Montanus* Hydropici cujusdam exemplo continuo rhabarbari uſu reſtituti, & ad ſeram inde ſenectutem deducti confirmat in *Conſil. à Scholz. edit.* Hoſce autem nobiliſſimos Rhabarbari effectus propter ſingularem ac ſpecificam ſuam amaritiem in fragile corpus noſtrum dimanare cum aliis doctiſſimis ſentio. Hæc autem quid aliud agit, quàm ut bilem ceu fermentum primæ coctionis ultimum ab aliis ſcoriis ſalinis depuret, ſanguini motum conciliet, eundemque à putredine defendat.

Et quoad ejus adſtringentem Facultatem nonnulli eò deveniunt, ut ſtatuāt illud habere unà aliquid virtutis anodynæ, cujus ratione Archéus ut ex aliis purgantibus non tam facilè ad furorē concitetur, unde major in eo ſecuritas ſit, quàm in aliis purgantibus, quæ aliquando plus noxæ inferunt, quàm utilitatis. Non itaque ſatis mirari poſſum *Alex. Maſſariam & Ludovic. Septal. lib. 37. animadverſ.* Rhabarbari uſum in febribus

bribus & hydropis curatione rejicere. Nec obſtat ejus caliditas; nam alia Medicamenta in ejusmodi affectibus adhibita etiam calida ſunt, nec tamen propterea ſtatim ſunt rejicienda, ſi corrigantur & methodicè applicentur. Ideoqve ſi quæ Rhabarbari noxa metuenda & in valde bilioſis ſuſpecta ſit, præcaveri poteſt ejus infuſione in aquis refrigerantibus, eamque permiſcendo cum decocto Tamarindorum, cum Paſſulis & ſimilibus. Fruſtra etiam eſt cenſura *Petræi in Noſologiâ Harmonic. Tom. 2.* falsâ nitens hypotheſi, quaſi Rhabarbarum bilem naturalem, cõdimentum illud ſanguinis, è corpore averruncaret.

Ejus Doſis eſt in Subſtantiâ à ℈j. ad ʒß. ʒj. in infuſ. à ʒij. ad ℥ß. ℥j.

Celebria ſunt Medicamenta ex illo parata 1. Confectio Rhabarbari. 2. Sirup. d. Cich. cum rhab. juxta CL. Zvvölfferi animadverſ. paratus. 3. Infuſ. Rhabarb. cum Paſſul. min. in aq. Cich. Endiv. fact. 4. Trochiſci de Rhabarbaro. 5. Pilul. de Rhab. 6. Extractum Rhabarb. non cum Spiritu vini, ſed aq. Tartariſat. paratum. 7. Elixir purgans ex Rhabarbaro.

Rec. Rhabarb. el. ℥vj. cryſtall. Tartar. ℥j. Sal. Tartar. ʒj. coq. c. ſ. q. aq. ſimplic. usque dum tota virtus prolecta ſit, colaturam albumine ovorum clarifica, cui adde Sacchar. alb. ℔ij. coq. ad conſiſtentiam Sirupi, qui Eſſentiâ citri ſiccâ vel liquidâ aromatiſandus, cujus ℥j. continebit vires ʒj. circiter Rhabarbari.

Vel in Formâ Pilulari.

Rec. rhab. el. centaur. min. abſynth. a. ℥ij. inciſ. & contuſ. coq. in aq. ſ. ad virtutũ extractionem; Decoctum expreſſum & cum albumine ovorum clarificatum evaporet ad ſemilibrã circiter, cui adde Aloës Socoterin. ℥iv. tunc exſiccentur in calore leni ad conſiſtentiam ſpisſioris Extracti, ultimò addendo Maſtich. pulveris. ℥ß. ol. d. abſynth. ʒj. M. f. Maſſa Pilularum epatica.

ELIXIR PURGANS.

Rec. Cinamom. el. ʒvj. croci ʒij. Extract. rhab. ℥iß. Spirit. Vini cum Spirit. ⊕oli. acidul. ℥vj. ſtent in digeſtione per menſtruum ſpatium. Doſis eſt à ʒj. ad ʒij. ʒiij.

Vel in Formâ Morſulorum;

Rec. Rhabarb. pulveriſ. aq. Cinamom. adſperſ. ʒij. Extract. rhab. ℈ij. Succi violar. ʒij. ſacchar. in aq. roſar. & cinamom. ſolut. ℥iv. f. Confectio in Morſulis, quorum ſinguli pondo ſint ʒj. De his unus vel duo ſumantur manè horis tribus ante cibum.

AGARICUS eſt fungus trunco laricis adnatus.

Eſt autem Larix arbor conifera Moraviæ, Helvetiæ & agri Tridentini incola, eximiæ proceritatis; caudicis recti, cortice conſtans craſſo, in frequentes rimas dehiſcente, foliis circa ramulos ab uno tuberculo nu-

meroſis, multis ſimul cohærentibus, brevioribus, mollioribꝰ & tenuioribus, quàm Pini, nec aculeatis, ſed retuſis.

Hæc Arbor triplici nobilitata eſt excremento, Reſinâ, Larignâ, Mannâ quâdam laxativâ, & hoc dicto Agarico trunco illius Arboris jam antiquæ adnato.

Duæ à *Dioſcoride* ejus proponũtur differentiæ; Mas, & Fœmina; Mas rotundus eſt, niger, durus, denſus, gravis, & in fragmentis ceu villos nervorum oſtendens.

Fœmina ad Medicinalem eligitur uſum; hæc rotunda eſt alba, poroſa, rara, fractu facilis, primo guſtu dulcis, poſt amara & ſtyptica.

Agaricus eſt, medicina ſecuritatis, atque ut *Democritus* dixit, familiæ, vel quia toti membrorum familiæ opem ferat, vel quia ita innoxius eſt, ut cuicunque ex familiâ nullo prorſus ætatis ſervato diſcrimine poſſit commodè offerri, vel quia familiaris eſt, & noſtri corporis partibus conformis. Humores craſſos & viſcidos in capite, pectore & utero reſtagnantes valenter educit, unde ſpecificum purgans eſt in Cephalalgiâ, vertigine, inſultibus Epilepticis & Apoplecticis, Soporoſis affectibus, Aſthmate, dyſpnœâ & omnibus affectibus à dictis humoribus ortis. Ad febres etiam efficacem deprædicat *Adrianus Spigelius lib. 3. de Semitertianâ cap. 7. Ruſticos*, inquiens, *qui altos Moraviæ montes, in quibus copioſè creſcit, incolunt, in hæmitritæo*, quotidianâ & tertianâ duplici non alio ſibi mederi remedio, quàm Agarico. Mandunt illum, & unius, aut alterius drachmæ pondere devorant.

Cum autem ſtomacho adverſetur, ejus ſubverſionem inducat, nauſeam & vomitum ingrato ſuo amarore facillimè creet, corrigendus eſt Zinzibere, Spicâ Celticâ, Cinamomo. Et cum tarda etiam ejus ſit operatio, additur ſtimulus ex Sale gemmæ, cryſtallis Tartari.

Ejus doſis eſt in Subſtantiâ à ℈j. ad ʒjß. in infuſ. à ʒij. ad ℥ß. in pet. ligatus.

In Officinis proſtant 1. Agaricus trochiſcatus, beneficio infuſi Zinziberis cum vino factus. 2. Ejus Extractum. 3. trochiſci de Agarico. 4. Pilulæ de Agarico. 5. Hiera cum Agarico.

Rec. Agaric. trochiſc. ℥vj. cryſtall. Tartar. ℥ß. inciſ. coq. cum ſ. q. aq. ſimplicis repetitis vicibus affuſæ & expreſſæ, quousq; tota virtus cathartica extracta ſit; Expresſiones omnes albumine ovorum clarificentur, & additis Sacchari albi ℔ij. denuò coq. ad conſiſtentiam Sirupi Eleoſaccharo citri, Cinamomi, vel Macis aromatiſandi. Hic Sirupus d. agarico inſervit capiti & pulmoni expurgandis.

Vel:

Rec. Agaric. trochiſcat. cum vino Zinzib. in ligatura facta ſupra decoctionem fol. Senn. Al ℈ij. infuſ. per noctem, mane colentur; Colatur. ℥jß. adde Sirup. d. Senn. A. ℥j. Eleoſaccharo citri aromatiſ. M. f. Potus.

MECHOACANNA Orientalis Indiæ ſoboles à MECHOACA dicta, ubi copioſè naſcitur, eſt radix alba, ponderoſa, ſimilitudinem habens cum noſtrâ bryoniâ, odore tamen deſtituta & inſipida, reſinoſa, præſtantisſimum purgans.

In Novâ Hiſpaniâ, quæ India Orientalis Maris Oceani nuncupatur, eſt provincia Mechoaca, quæ metropolin habet civitatem Chincicilam proprio nomine appellatam, communi verò idē obtinet nomen, nempè Mechoaca, argenti feracisſima, abundat quoque auro, cujus mineræ chacateæ vocantur. Habitatores illius provinciæ ſunt elegantiores, ac pulchriores, quàm in aliis Indiæ regionibus, aſpectumq; amabiliorem præ ſe ferunt. Magis etiam ſani ſunt, & præter aurum & argentum tritico abundant, venationibus, fructibus, piſcibus, fontanis aquis & quocunq; deliciarum genere. Plurima præterea habet ſimplicia, quæ ad vitæ cuſtodiam, & ad Morbos propellendos ſunt valdè ſalutaria. Hæc Mechoaca civitas ſita eſt prope quendam locū, qui formam dimidiæ Lunæ referre videtur, quique inſigni piſcium copiâ abundat. In hâc ergo provinciâ inter cætera ſimplicia præſtantisſima naſcitur hæc radix Mechoacanna appellata.

Hæc ſimilis quidem eſt viti albæ ſeu bryoniæ noſtræ, bryoniam tamē non eſſe manifeſtum eſt; nam ſcribunt folia diverſa habere inſtar mirabilis Peruvianæ, & radicem bryoniæ viridem & ſiccam admodum acrem eſſe & mordacem, & quo magis exſiccetur acriorem & mordentiorem evadere. Mechoacannæ autem radicem nullum guſtui ſenſum præbere. Nec deſunt, qui Radicem Mechoacannæ pro mirabilis dictæ Peruvianæ radice habeant, eò quod externâ ipſi figurâ admodum ſimilis etiam ſit. Verùm effectus medicamentoſus non reſpondet.

Hæc Mechocanna Orientalis eſt partium ſubtilium & reſinoſa cum aliquâ adſtrictione, quâ poſt expurgationem membra corroborat; quò recentior eò etiam potentior eſt; nullam venenoſam ſapit qualitatē, ſine guſtûs & olfactûs moleſtia ſumi poteſt, corpora non alterat & agitat vehementer. In Indiâ usq; in Peru, in novâ Hiſpaniâ ac in veteri, in Flandriâ, Angliâ, Italiâ, & in noſtrâ hâc Germaniâ utuntur hâc Radice, tanquam electisſimo Rhabarbaro; quia Medicina polychreſta eſt, ſeroſos & aquoſos non ſolùm, ſed & craſſos & aduſtos educens humores, unde multi propter amarorem deſerunt uſum Rhabarbari, cujus vice

ſumunt radicem hanc Mechoacannā, quam Rheum Indum appellant. Qui purgantur hac Radice, non ſolùm non ſentiunt debilitatem, ſed & fortiores evadunt poſt Purgationem; ejus excellens prærogativa eſt ad hepar, illud mundificando, obſtructiones ejus demendo, ac validisſimè corroborando. Unde & icterum & Hydropem curat, membraque omnia Naturalia ita roborat, ut facillimè malas qualitates temporis lōgitudine contractas emendet. Febres chronicas & erraticas & ſimiles rebelles exſtirpat, dummodò ſæpè repetatur ejus uſus per Epicraſin evacuando, partim ſcilicet præparando, partim evacuando. Renum pasſionibus, ortis ab humoribus craſſis confert, evacuando, mundificando, & corroborando. Inflationibus uterinis mirificè auxiliatur, humores craſſos evacuando, ac flatus & rugitus disſipando. Ad quamcunq; dyſpnœam valdè efficax eſt; doloribus colicis adjumentum eſt validisſimū; Dolores ſtomachi potenter ſedat. Ad ardorem & difficultatem urinæ ex Tartareis ortam humoribus ſalutare eſt remedium. Hemicraniam ſanat, & quoscunque antiquos capitis morbos, ut eſt cephalea vertigo, Epilepſia, & prohibet quamcunque deſtillationem etiam antiquam. Ad Luem Veneream, teſte *Monarde*, Podagram cæterosque articulorum dolores ſanandos (dummodo articuli debilitatem non contraxerint irreparabilem) ſummum eſt adjumentum. In hâc Radice omnia ferè effulgent Pharmaci laudabilis requiſita, quæ *CL. HELMONTIUS* ſuprà in veris requirit purgantibus. Vid. *Horat. Guarguantus in Opuſcul.*

Ejus Doſis eſt infantibus ℈j. prætèrpropter. adultis ab ʒj. ad ʒij. in infuſione ad ℥ß. Datur vel per ſe, vel in vino infuſa cum cinamomo aut ſemine aniſi, ut facilius in actum deducatur, vel fit inde Extractum aut Reſina, & ſic variis propinatur cum formulis.

Rec. Roob Ribium cum ſ. q. Sacchari parati ℔ß. cui adde calenti Extract. Mechoacannæ ʒvj. ſoluti in Spiritus Vini rectific. ℥ij. & factâ adhuc unicâ ebullitione fiat Roob.

Si vel pueris, vel nauſeabundis aliis exhibenda eſt Medicina purgans, in juſculo vel cereviſiâ, vel vino coquatur radix Mechoacannæ cū gratis aromatibus, deinde propinetur. Vel Panis Marſip. ex pulver. Mechoacann. unciâ unâ, amygdal. unciis tribus, & Sacchari unciis totidem pro pueris conficiatur.

JALAPPA vel GIALAPPA ſeu MECHOACANNA NIGRA Indiæ Occidentalis progenies, eſt Radix exterius nigricans, interius ruffeſcens radici Mechoacannæ ſimilis. Antiquis incognita fuit, & paucos ante annos ex Indiâ Occidentali ad nos tranſportari cœpit.

Hæc

Hæc in eoſdem cum ſuperius di-ctâ Mechoacannâ albâ uſus admini-ſtratur, omnes humores noxios vali-dius citra ullam moleſtiā expurgās, & in iisdem Morbis eodem modo oblata maximam prærogativā ſor-titur.

Doſis in Subſtantiâ à ℈ß. ad ʒß. in infuſ. à ʒiß. ad ʒij.

Hujus vis Purgatrix in reſina aut Magiſterio conſiſtit. Si igitur adhi-bere volueris, vel in Subſtantiâ, vel in Reſinâ aut Magiſterio utere, vino enim infuſa tantum non edit effectū.

In Diſpenſatorio Hafnienſi ſe-quens pulvis ex Jalappa com-poſitus commendatur.

Rec. Pulv. radic. jalapp. reſinoſ. ʒx. cryſtall. Tartar. Tartar. Vitriol. lat. a. ʒiij. reſ. jalapp. ſcammon. a. ʒi. ol. aniſ. ℈i. M. f. Pulvis.

Ejus Doſis eſt à ℈ß. ad ʒß. vel ℈ij.

Ex Jalappâ paratam Reſinam, de quâ vid. *CL. ROLFINCK. in Chimiâ in Artis form redact lib. 5 ſ. 2. c. 12, & Excell. Zwölfferus. in Pharmacop. Auguſt. reformat.* ſi quis in mixturis Purgantibus liquidis eſt præſcriptu-rus, eam prius amygdalis dulcibus nonnihil ſubigere præcipiat, ſecus enim vel parum aut nihil operabun-tur, & ventriculo potius & inteſti-nis tenacitate ſuâ reſinosâ adhære-bunt, tormina & paſſiones colicas concitatura. *Thom. Bartholin. Cent. 5. hiſt. 69. Alias crebro experimento compertum*, inquit *CL. ROLFINCK. Diſſ. 1. c. 2. De Tartaro Jalappæ ſele-ctæ optimæ reſinoſæ* ℈i. *colicos dolores jam icterum minantes alvo ſolutâ fe-licio expediiſſe, etiam clyſtere non præ-miſſo, qvi etiam non ſemper facit offi-cium, cum fæces copioſæ cæci & coli principium dextrum prope renem oc-cupant.* In Hydrope etiam ejus re-ſinæ ℈i. exhibitus miras facit aquarū evacuationes *P. Borellus c. 2. obſ. 23.*

Rec. Roob Ceraſorum cum ſ. q. ſacchari parati ℔j. cui adde dum ad-huc calet Magiſterii Jalappæ ſoluti in Spirit. Vini rectificat. ℥ii. & factâ unicâ ebullitione fiat Roob.

Rec. Radic. Jalapp. optimæ reſi-noſ. & pulveriſ. ℥i. Elect. diacario-coſtin. ℔ß. apponantur in vaſe ſuper lentum ignem, & dum incorporan-tur cum ſpatulâ ſumatur Sirup. de Polypodio ℥ii. in formâ opiatâ re-move ab igne, irrorentur cum ali-quot guttis aq. cinamomi deſtill. & conſerventur ad uſum.

Hoc Electuarium in Arthritide & Hydrope maximè utile eſt, cujus doſis eſt à ʒii. ad ʒiii.

GUMMI GOTTE PERU-ANUM à BONTIO Medico Hollando Gutta COMBODIÆ appellata teſte *Roſenb. in Rhodolog. p. 2. c. 21.* eſt ſuccus Ricini Indici, vel potius ſuccus Eſulæ Indiacæ, teſte *citato BONTIO lib. de Medic. Indo-rum.*

Ex Chinarum regione primùm adferri cæpit ante annos quinqua-

ginta. *Cluſius lib. 4. exotic. cap. 8. ſucc. 11.*

Potenter per ſuperiora & inferiora humores ſeroſos & aqvoſos ex toto corpore educit. Unde in hydrope, Anaſarcâ, & omnib' ex ſeroſis humoribus ortis affectib' ſumos edit effectus; Nonnulli etiam in Arthritide commendant, eò quod *Nicolaus Monardes Hiſpalenſis Medicus lib. Exoticor. à Cluſio edito cap. 39.* hoc Gummi ad Podagram nominet.

Ejus Doſis eſt à gr. iij. ad r. vel ℈ß. Cum crudum non ſine moleſtiâ adſumatur, dum antimoniales incorrectum edat operationes corrigitur fumo ♀ris vel Spiritu Vitrioli?

Gumi de Peru Roſatum Mynſichtii notum eſt. Compendium ut fiat laboris, ſuccus pulveriſatus miſcetur roſis & ſantalo rubris, affunditur Spiritus Vini, tinctus colligitur, & exhalet ad ſiccitatem. Magni fit ob coloris ſuavitatem & inſignes dotes in hydrope, cachexiâ, teſte *Rolfinck. l. c. lib. 5. ſect. 2. cap. 15.*

Vel:

Rec. Gummi de Peru pulveriſ. ℥ij. Sp. Vini modo Sp. Vitrioli irrorati & tincturâ ſantal. rubr. imprægnat. q. ſ. ſtent in digeſtione per dies aliquot. Filtratio per ſubtile linteum inſtituatur. Novus tinctus Spiritus affundatur. Tandem exhalatione factâ Maſſa pulveriſata ſervetur ad uſum. Idem CL. VIR. *l. c.*

Excell. D. D. Joh. Michaëlis in affectibus ſeroſis & Hydrope pro evacuatione adhibet ſeq.

Rec. Pulv. radic. Jalapp. ℈i. Magiſt. gummi de Peru gr. vj. croci Martis Sacchari gr. viij. ol. d. Cinamom. gutt. i. M. f. Pulvis.

Vel:

Rec. Magiſt. gummi de Peru gr. viij. pulv. Epatic. rubr. ℈ß. cryſtall. Tartar. ℈i. Sal. geniſt. gr. vi. ol. d. aniſi gutt. ij. M. f. pulvis.

Vel:

Rec. Roob Ebuli ʒi. Magiſt. gummi de Peru gr. vi. reſin. gialapp. gr. viij. ol. d. aniſi gutt. iij. c. ſ. q. Sacchar. f. Bolus.

De Gummi Gotte ſeu Gamandræ Vitriolati Mindereri præparatione vid. *Animadverſ. Johann. Zwölferi in Pharmacop. Auguſtan. p. m. 460.*

ELLEBORUS albus & niger; Quis albus ſit, nullus dubitat. Quis niger, adhuc ſub judice lis eſt. Illum non eſſe in uſum trahendũ ob ſummam vehementiam & malitiam cum aliis ſtatuit Doctiſſimus *Zacutus in Pharmacop. diſt. 3. cap. 1.* Verùm contrarius eſt *Oribaſius lib. 7. collectan. in fin. & libr. 5.* dum in Epilepſiâ, Vertigine Melancholiâ commendat, & cum eo *Matthiolus lib. 4. cap. 146.* item *Dioſcorides* laudat in rabie ſeu morſu canis rabidi Elleborum albũ. *Si benè præparetur,* inquit *CL. Rolfinck. in diſcurſ. de Melanchol. audacter exhiberi poteſt, hâc tamen cautelâ & animadverſione, ut ab eo abſtineant,*

neant, qui thoracem habent anguſtum, & difficilis ſunt vomitus. Nonnulli colligunt radices Ellebori albi noſtratis, purgant à ſuperfluitatibus, aſſumũt acetum optimum album, in qvo radices coqvunt, qvod ubi parum ebullierit, rejiciunt, novumq; reaffundunt, iterũque decoqvunt, qvæ ſi coctione molles factæ fuerint, decantant, ſuper pannum in tabulâ extendunt, atq; in umbrâ ſiccant; ſiccatas in pulverem craſſiuſculum comminuunt; cujus drachmam unam aut aliqvid minus exhibent, interpoſitisq; paucis diebus repetunt. Hæc *Rolſinckius. Hadrianus à Mynſicht* etiam correctionem hujus inſtituit aceto; ſed in quo corallia ſoluta Sp. Vitrioli fuere præcipitata, imbuto granis chermes & floribus cordialibus. Modi alii Elleborum corrigendi ſunt varii. Vid. *Aëtium l. 3. cap. 124. & Paulum lib. 7. c. 10.*

Radix Ellebori nigri veri corpulenta eſt, plena, tenui medullâ conſtans, guſtu acris, in lingvâ fervens.

Colligitur Lunâ in aſpectu felici cum Jove aut Venere exiſtente ſub ortu Solis, Lunâ creſcente ac peragrante ſignum Leonis aut Sagittarii.

Utilisſimum eſt pharmacum ad humores aduſtos purgandos; unde in omnibus affectibus ab ejusmodi ortis humoribꝰ commendatur, quales ſunt Melancholia & Mania, adeò, ut communi proverbio, quos inſanire viderent, illis Elleboro aut Anticyrâ, ubi copiosè creſcebat, opus eſſe dicerent. In malo Hypochondriaco, cancro, Quartanâ, Epilepſiâ, Vertigine, arthritide exqviſitisſimũ etiam eſt remedium. Sed maximâ cautelâ in ejus exhibitione opus eſt, & non niſi correctus ac bene præparatus offerri debet. Sunt autem diverſi eum præparandi modi.

Primus in pomo, in quod inſigimus radices Ellebori nigri ad ʒß. poſtea chartâ madidâ pomũ involvitur, &, coqvitur ſub cineribus, deinde extractis radicibus datur pomũ mundum, cum Sacchara edendum. Poteſt augeri quantitas Radicum pro diverſis Naturis & ætatibus.

Secundus in infuſo;

Rec. rad. Ellebor. nigr. ℥j. cremor. Tartar. ℥ß. ſem. coriandr. Nuc. Moſchat. ana ʒi. contuſa parum infunde in vini optimi ferventis ℔i. Reliqvãtur in calore leni per diem integrum, factâ colaturâ fiat edulcoratio cum Sirupo Ellebori ex foliis parato.

Tertius in Sirupo, de quo vid. *Joh. Zwölfferi Pharmacop. Regiam p. m. 22.* Et notum eſt oxymel Elleboratum Majus Juliani, cujus animadverſ. vid. in dicto Authore *Pharmacop. p. m. 73.* Quartus Modus eſt in extracto; de quo vid. *Joh. Schræder. in Pharmacop. Medic. Chymic. lib. 4. p. m. 236. & D. Rolfinck. lib. cap. p. m. 252.*

SCAMMONIUM ἀπὸ τοῦ σκάπτειν à fodiendâ radice, &, dum colligitur, excavandâ nomen adeptum; eſt

eſt ſuccus ex radice Scammoneæ, plantæ lacteô ſuccô plenæ extractus.

Eſt autem Scammonea planta lacteſcens, volvuloſa, ſcanſoria, lævis, Smilacis modo, cui foliis, flore, facie valde ſimilis, ſed radice diſſimilis eſt, quæ in Smilace tenuis eſt, in Scãmoneâ craſſa, prælonga, intus candida, odore gravis & multo ſucco prægnans. Naſcitur copioſius in Antiochia & Syriâ.

Ex hujus plantæ radice hoc Scammonium pluribus colligitur modis, de quibus vid. *Johann. Schrœderum in Pharmacop. Medic. Chymic. lib. 4. cap. 448.*

Præſtantisſimum tamen eſt, quod ex incisâ radice ſupernâ exudat, & maximè quod ex Antiochia defertur nitidum eſt, ſplendidum, clarum, leve, reſinoſum, ſubalbum, rarum, fungoſum, fiſtulis tenuibus ſpongioſum, citò liqueſcẽs, pulveriſatu facillimũ, colore taurini glutinis, odore bono, ſed proprio, licet non ſvavi. Ab his requiſitis quod recedit, peſſimum eſt.

Calidum & ſiccum Medicamentum eſt, expurgat cum labore & moleſtiâ humores acres & ſeroſos, & ſi paulò in majori doſi exhibeatur, turbat corpus, viſcera lancinat, tormina excitat, venarum ora aperit, erodit, dyſenteriam excitat, & varia producit mala. Hæc tamen effera vis facile infringitur, ſi Scammonium juſtâ præparatione caſtigetur & corrigatur; Et tunc omnes noxias amittit qualitates, quod approbat & laudat *Guainerius tr. 15. cap. 6.*

Corrigitur autem variis modis; Primò, in malo cotoneo, & ſic Diacrydium appellatur, quod duplex eſt, nonnunquam pulpa rejicitur & ſolum Scammonium retinetur, nonnunquam Scammonium rejicitur, & pulpa retinetur, cummuniter utraq; maſſa retinetur. Verùm hæc præpa-paratio vera & exquiſita Scammonii correctio dici nequit, cum pulpa cotonei mali addita ſtomachũ duntaxat roboret, non vero Scammonii vim & violentiam directè infringat. Ideoque genuina Scammonii præparatio in hoc conſiſtit, ut ſcil. Scammonium ſubtiliſſime tritum expandatur tenuiter & æqualiter ſuprà chartam bibulam acubus pertuſam, & detineatur charta ſuper ſuffumigium Sulphuris pulveriſati, carbonibus in arulâ igniariâ injecti, non ut Scammonium liqueſcere incipiat; alias enim fumus Sulphuris ipſum penetrare nequit, ſed potius ut abs-que liquefactione lentisſimo igne cũ illo ſuffumigetur, quo diutius, eò melius iſtud præparabis & corriges. *Zwölfferus in animadverſ. Pharmacop. Auguſtan. p. m. 165.*

Deinde Reſina Scammonii ſeu Magiſterium ſcãmonii ſimplex cum Spiritu Vini celebratiſſima ſunt, eleganter ſplendentia flavo colore aureo. Quorum compoſitionem vid. in *Joh.*

in *Joh. Schrœder Pharmacop. Medic. Chymic. Lib. 4. & Johann. Zwölffer. Pharmacop. reformat. p. m. 448. & D. Rolfinck. Chymic. in Art. form. redact. Lib. 5. ſ. 2. cap. 16.*

Tertiò, ex Scammonio paratur etiam Pulvis Polychreſtus *CL. Rolfinckii*, ſeu ejus Magiſterium Scammonii compoſitum ſantalinum.

Rec. Scammonii el. ℥ß. ſantal. rubr. ʒi. Spiritus Vini q. ſ.
Stent in digeſtione in cucurbitâ vitreâ. Quod ſolutum effundatur, iteratâ affuſione. Ad ſiccitatem exhalent, ut ruber ſuccedat Pulvis Polychreſtus. Nauſeabundis & delicatulis commodum eſt Medicamentū. Doſis ejus ʒi. in conſervâ aliquâ. Purgat ſeroſos humores & ichores in corpore redundantes.

Rec. Dyacydonii pellucidi ſimplicis adhuc calentis & ad conſiſtentiam cocti ℔iß.

Magiſter. Scammon. in Sp. Vini rectific. ſolut. ℥iß. M. fiat adhuc unâ vel alterâ leni ebullitione Diacydonium purgans, adinſtar Electuarii ſolidioris addendo ſub finem, ubi refrixit, Elæoſacchar. Macis. Cinamom. a. ℥j.

Vel:

Rec. Gelatinæ cydonior ℔iß. reſin. Scammon. in Sp. Vini ſolut. ℥ii. Miſce probè invicem ſuper carbones ignitos, ut Sp. Vini exhalet; deinde effunde in exſculptas figuras plumbeas prius madefactas, & ex his demum immitte in ſcatulas oleo citri vel cinamomi inunctas.

Vel:

Rec. Sacchar. albisſimi pulveriſ. ℥iiſ. ſolve ſ. a. in ſ. q. ſucci citri rec. & jam expreſſi ſine ebullitione, in patellâ ferreâ, cui adde ab igne remoto Pulveris polychreſti Rolfinck. amygdalis ſubacti ʒiii. prius autem permixtis corticum citri recentium extimorum & in mortario lapideo ſubtiliter contuſorum ad formam pultis, drachmis tribus: item, Pulv. Sacchari albisſ. oleo vero corticum citri eſſentificati ʒii. fiat l. a. Confectio ſolida, ſive in formâ Rotularum, ſive Morſellorum delicatisſima, Doſis ʒiii. ad ℥ß. & ʒvi.

TURBITH ſeu TURPETHUM non à turbando ventre, ſed Arabico idiomate, quod ad latinum originem referri non poteſt, ita indigitatum; eſt autem ſecundum *Garciam ab Horto* planta, radice neque magnâ, nec longâ, caule hederæ modo per ſolum extenſo, digiti craſſitie, interdum craſſiore, duas palmas lõgo, interdum vero multo longiore. Folia althææ profert, flores etiam ſimiles, è cãdido rubentes, nonnunquã omninò candidos; Eſt verò duntaxat utilis gummoſa caulis pars inferior juxta radicem, reliqua pars gracilior eſt, quàm ut utilis eſſe posſit. Verum *Carolus Cluſius in notis ad Garſiam* hoc Turbith longè aliud esſe ſcribit ab eò, quò vulgò in Officinis utun-

nis utuntur. De quo vid. *Matthiol. commentar. in capit. 30. 51. & 78. lib. 4. Dioſcorid.* Ideoque *Zacutus Luſitanus in ſuâ Pharmacop. diſtinct. 2. c. 1.* cum *Meſue* ſtatuit eſſe radicem herbæ lactariæ folia ferulæ ſimilia habentis. *Actuarius* Pityuſæ radicem eſſe dicit. Nec eſt *Dioſcoridis* tripolium, quia Turbith nullo præditum eſt odore, nec guſtui acre agnoſcitur; tripolium autem odoratum eſt & admodum acre. Neque eſt Thapſiæ radix, hæc enim lacteo non turget ſucco, quemadmodum illa planta, è quâ Turbith eximitur. Interdum Scammoneæ radix loco veri Turbith venundatur.

Eligitur autem gummoſum, album, recens mediocriter, vacuum, arundinoſum, cortice cineritio, & fractu facile.

Eſt Medicamentum craſsis ac viſcoſis humoribus educendis dicatum, qua de causâ ſpecificũ in Morbis chronicis purgans eſt, ut Arthritide, Elephantiaſi, Lue Venereâ &c. Cum autem ſummâ cum violentiâ operationem ſuam perficiat, ſtomachum ad nauſeam ſubvertendo, viſcera labefactando, & corpus abſumendo; corrigitur Maſtiche, galliâ Moſchatâ, coſto Arabico, Cinamomo vel ſimplici, vel caryophyllato.

Ejus Doſis eſt a. ℈j. ad ℈ij. ʒj. in infuſ. à ʒj. ad ʒiij.

Infantibus ac gravidis cave ut propines. Notæ ſunt in Officinis 1. Species Diaturbith, cum rhabarb. 2. Pulvis ſolutivus de tribus. Et 3. ejus Extractum.

HERMODACTYLI à Deorum nuncio nomen ſortiti, ſunt radices peregrinæ ad nos ex Syriâ allatæ, duræ, compactæ, foris & intus albæ, & levi contuſione in pulverem abeuntes farinaceum.

Cum Ephemeris Colchicis affinitatem quandam habere videntur, ſed viribus non conveniunt. Hæc enim non purgant, ſed ſtrangulatoria ſunt unâ nocte interficientia; Hermodactyli autem nullum adſumentibus adferunt periculum, ſed potius corpus ab humoribus liberant noxiis.

Sunt Medicamentum ad humores craſſos, lentos, tartareos ac viſcidos juncturis & articulis inhærentes educendos accommodatiſſimum, unde in Arthritide & Morbo Gallico ejus vis eſt ſpecifica. Cum autem Hermodactyli excrementitiâ conſtent humiditate flatulentâ, quâ Ventriculum ſubvertunt, & cogunt ad vomitum, quare illis non eſt utendum ſolis, neque aliis medicamentis permixtis, niſi prius fuerint correctæ aliis, quæ illarum malitiam refrænare poſſint, qualia Cinamom. caryophyll. coſtus Arabicus; Ex hiſce parantur Pilulæ Artheticæ Auguſtanorum; Hermodactylata Patavinorum, & Species Caryocoſti Mindere. notæ à ſingulari ſunt efficaciâ.

Doſis

Doſis eſt à ℈j. ad ℈iß. in infuſ. à ʒij. ad ʒiij. ℥ß.

CAPUT IX.

De Vomitoriis.

QVamvis nunqvàm de VOMITORIIS ulla exſtitiſſent monumenta medica, nihilominus tamen rationis judicium Luminis naturalis face præeunte ipſius *εὐφορίας* ſvadelâ, & emunctoriorum Naturalium Vomitui deſtinatorum argumento illorum utilitatem & inevitabilem neceſſitatem cuivis indigenti manifeſtaſſe nullum eſt dubium. Satis igitur mirari non poſſum, qvî fiat, quod à modernis nonnullis illorum uſus habeatur adeò ſuſpectus, ut vel ob leviſſimum prohibens potius vetent, quàm quod vel tantillum commendent, curationis hujus virium ignari, ejus ope ſcilicet, ſi facili moderamine perficiatur, humores vitioſos nedum in primâ regione ſitos, cavâ jecoris parte, lienis regione, pancreate, omento ſupervacuos elici promptisſimè, quos plerunq; nec hiera, nec aliud vehementisſimum ullum, etiam freqvens pharmacum per alvum exturbare potuiſſet, teſte *Fernelio lib. 3. Meth. Med. c. 2.* ſed & à longisſimis maximeq; remotis partibus exhauriri. Nec obſtat, plus æquo, uti opinantur, à Vomitoriis comoveri & moleſtisſimis inductis Symptomatibus turbari, dum nervoſarũ partium quædam qvaſi Ventriculi convulſio inducitur. Ex duobus enim malis ſæpè unum mitius eſt eligendum, dum ex ſaburrâ humorum excrementitiorum in primis viis reſtagnantium & temporis progreſſu in fermentum febrile degenerantium plus, quàm ex corporis cõmotione metuendum ſit nocumenti. Quid? quod moderno tempore ejusmodi dentur Vomitoria, qvæ ſine ullâ moleſtiâ ſuam abſolvant operationem? cur igitur *Hippocratis* Medicorum Coryphæi effatum potius non obſervemus? *ſ. 1. aph. 21.* Quo Natura ducit, monentis, eò etiam Medicus ducat per loca conferentia, quaſi diceret, omnes evacuationes non habito circumſtantiarum ad partes emunctorias, materiam morbificam, & ægroti Naturam reſpectu eſſe inutiles, fruſtraneas & ſupervacaneas. Et Medicum Naturæ Miniſtrum nunquam Naturæ aliquid contrarium moliri, ſed ejus inclinationem, per quas vias exitum molitura ſit, obſervare debere: Sic ſi per alvum Natura humorum excretionem tentet, ſi per vomitum, vel ſudorem, aut urinam, ſupervacanea purgare ſibi præſumat, illius ductum etiam ſeqvatur Medicus neceſſe eſt. In Medicationibus enim talia convenit educere è corpore, qualia ſpõtè proditura ſint, quæ verò contrario modo prodeant, cohibere oportet. *Hippocr. lib. 4. aph. 3.* In perturbationibus alvi & vomitibus ſpon-

taneis, ſi talia purgentur, qualia purgari oportet, conferunt, ſin minus, contrà. In quibus omnibus tamen & ſumma Medici prudentia requiritur, ut inclinationes Naturæ veras à falſis, naturales & utiles à non naturalibus & in utilibus diſcernat, ne cœcâ mentis ignorantiâ evacuationem tentet, cui frenum potius injeciſſe Naturæ ſatius fuiſſet. Ne igitur Medicus errorem committat, humoris inclinationem ad emunctoria naturalia ante omnia obſervet neceſſe eſt, ut ſuprà *Cap.7.* de Purgatione jamdum monuimus, ſi cuipiam febris experti eveniat nauſea, cibi faſtidium, & ſtomachi morſus, & tenebricoſa vertigo, & oris amaritudo huic purgatione per ſuperiora opus eſt. *Hippocr. ſ.4. aph. 17. & aph. 18.* Dolores, ſeu affectiones, quæ partibus ſupra Diaphragma oboriuntur, quæcunque purgationis ſunt indigentes ſuperiore pharmaciâ opus eſſe ſignificant, quæ verò infrà, Purgationem infernam requirunt.

Hiſce igitur in anteceſſum de VOMITORIORUM utilitate & neceſſitate in genere prælibatis, reſtat jam ut videamus, quid ſint VOMITORIA.

Sunt autem remedia, humores, qui in Ventriculo gignuntur aut reſident, ut & eos, qui in liene, cavis jecoris meſenterio, & pancreate continentur, per gulam & os evacuantia, nonnihil etiam ſi ſint fortiora à remotioribꝰ revellentia, in variis Morbis ac Symptomatibꝰ mirè proficua.

Omnes humores tam tenues bilioſos, quàm craſſos pituitoſos communiter dictos Vomitoriis evacuari quidem poſſe inquit *CL. Wallæus*, ſed cum tenues & bilioſi aliis cedant levioribus, tantum craſſis infert lentis, ac viſcidis humoribus illa ipſa dicata eſſe. Verumenimverò Vomitoria, dictitante ipsâ ratione & experientiâ humores non ſolum craſſos pituitoſos, è quibus morbi chronici promanant, ſed & tenues, bilioſos, ex quibus oriuntur Morbi acuti, per ſuperiora excernunt; licet ratione materiæ noxiæ, humoris ſcilicet peccantis in morbis acutis maximè conveniant, & ratione affectus, & noxæ, quæ poteſt inferri, maximè ſuſpecta ſint, tamen indifferenter rejicienda non ſunt, & conſiderandum prius, an ægri naturâ ad vomendum ſint proclives; deindè an conſveta ſit aliquando talis evacuatio, tunc per hæc, non quidem fortiora, ſed lenia Natura adjuvanda, monente *Caprilio lib. de Febribus*, ne major vis ac dolor Ventriculo inferatur; Sic ſi cruditas Ventriculi nidoroſa talem produxerit affectum cholericum, ſtatim dictis Vomitoriis eſt ſuccurrendum. Sic etiam, ſi bilioſi humores ab epate aut univerſo corpore fuerint transfuſi, quia bilioſa per ſuperiora facilè excernuntur. *Ludovicus Septalius lib. 7. animadverſ. 20.*

Quâ autem facultate aut vi Vomito-

mitoria illud ipſum efficiant, ſuprà *Cap. 8.* jamdum facta fuit mentio.

Vomitoria primariò & per ſe, ſi mitiora fuerint, Ventriculi ſaltem affectus à cruditate dependentes, ſeu intemperies fuerint, ſive ciborum corruptiones, à quibus appetitus oritur ablatus, diminutus & depravatus, amovent; Secundariò autem, & per accidens, ſi ſint fortiora, loca vicina lienis, & reliqua viſcera ab omni, quæ in illis continetur, illuvie expurgant, & exonerant, quæ aliàs Purgantibus per alvum evacuari non potuisſet.

Lienoſos autem juvari Vomitoriis res ipſa loquitur; De viâ, quâ ferantur, ad Ventriculum humores vitioſi à liene controverſia Doctorū magna eſt. De vaſe brevi venoſo Antiqui & Galenici multa. Spigelius unus fuit, qui arterias accuſavit à liene tendentes. Confirmat motus ſanguinis hoc itineris genus.

Cœliacam cum *Galeno*, *Veſalio*, & aliis, utpotè quæ Ventriculum, Lienem, pancreas & epar ſurculis ſuis adit & nutrit. *Amantias* cum qvo *Riolanus*, *Rolfinckius*, & *Schenckius* facit, peculiarem lienis ſplenicam ad cœliacam exortam attribuit, à quâ ramuli perfecti videntur ipſum Ventriculum accedere. Ludit in vaſorum exortu & diſtributione admodum variè Natura, adeo ut cœliaca ſæpè ſplenicam producat, aut eidem conjungatur, *CL. D. Schenckius, Amicus meus ſingularis in notis mſſ. ad diſqviſit. Therapevt. Bernhardi Schwalbii.*

Quod autem reliqua viſcera, & totum deniq; corpus Vomitoriis leventur; ratio eſt, quod non ſolum humores vitioſi, *qvi* ex illis ad Ventriculum feruntur, evacuentur, ſed & cauſæ adjuvantes tollantur, antecedentes removeantur, humorum affluxus revellatur, diſcutiatur per hunc motum, qui toti corpori moleſtus eſt.

Non tamen omnia corpora admittunt Vomitoria, ſed ſolum fortiora, & quæ ad vomitiones ſunt proclivia, qualia ſunt, quibus latius pectus eſt, & Ventriculus ſatis fortis, & ubi humorum impetus fertur ſurſum, ut jamdum ſuprà fuit dictum: ideoq; magnâ in generoſo hujus auxilii uſu Medici prudentiâ & circumſpectione opus eſt: cum aliàs vomitus ſit talis Naturæ motus, qui ſymptomaticus dicendus, in quo majores oriuntur turbæ, ac ſymptomata apparent, atque in Purgatione per alvum, unde creber, immoderatus ac illegitimus illius uſus Ventriculi tonum laxare, viſcera debilitare, caput replere, ſurditatem inducere, & alia graviora ſymptomata accerſere poteſt. Videndum igitur, qvinam ſint illi, *qvibus Vomitoria non conveniant*, aut *qvinam ad Vomitum inepti ſint?* Primò ratione conſtitutionis, non conveniunt *Obeſis*, quia exilia & an-

& anguſta habent vaſa, quæ facile ob motos humores abrumpi poſsūt; nec iis, quibus *pectus ſtrictum* eſt, *longum collum*, & *organa reſpirationis* debilia ſunt, *cervix gracilis* adeſt, hi enim facilè incurrunt in Pulmonum & pectoris vaſorum ruptionem; nec denique *Senes* fortioribus ſunt macerandi vomitoriis. Deindè, ratione affectuum, à Vomitoriis abſtineant, *ægrè ſpirantes* proni ad *hæmoptoën*, *Pulmonum læſione* & *gutturis inflammationem*, nam ii ſunt paratisſimi ad phthiſin. *Hippocr. 1. Epid. ſect. 1. text. 18.* Cum enim Vomitus ſit actio Naturæ Ventriculi contraria *ex Meſue in canonib. univerſal. intent. 1. cap. 2.* & contrà illius inſtitutum celebrata, & fortior alvi dejectione, & in quâ ipſe Ventriculus ſimul cum muſculis intercoſtalibꝰ vehementi moveatur motu, diaphragma opprimat gravisſimè, quo dilatato, ruptionis vaſorum periculum imminet. Gutturis verò inflammationibus expoſitis Vomitoria ſunt prohibenda, quia ob vomitum diſtenditur Pulmo, qui venam cavam & arteriam aortam comprimit, è quibus quaſi expreſſus ſanguis in partes ſuperas, ut debiles promptè excurrit, & Angina ſupervenire ſolet; Quibus denique *ſtomachus* eſt *exulceratus*, vomitoria etiam non conveniunt; nam ex hoc vehementi motu Ventriculus magis oblæditur. *Tertiò* à Vomitoriis excludendi, qui *hernia*, vel *ani*, vel *uteri procidentiâ* moleſtantur. *Quartò*, qui *Oculorum Morbis* obnoxii ſunt. *Quintò*, nocent Mulieribus, quæ ad *ſuffocationes uterinas* ſunt propenſæ. *Sextò*, nec proſunt in *Cephalalgiâ*, niſi ea ab humore melācholico proveniat. In omnibus denique cavere debemus, ne nimis acres aut corruptos humores, per gulam & os expurgemus, nam *εὐαισθησία* oris ſuperioris Ventriculi ægrè fert acris materiæ contactum, niſi prius digeſtivis accommodatis probè fuerint præparata.

VOMITORIORUM methodicè adhibitorum uſus in omnium ferè Morborum curatione quantum edat effectum, non ſatis poteſt deprædicari.

In *Febribus Intermittentibus*, quādo vel à corrupto in ventriculo chylo incipiunt, vel ventriculi foventur vitio, aut in his vitioſi humores tanquam producta febrilia à ſanguine per fermentationē ſeparati ad Ventriculum relegantur, non ſine ſummâ adhibentur dexteritate, non quidem per ſe, quaſi ab his fermentum febrile imediatè extirpetur, id quod aliis peragendum Medicamentis, ſed per accidens quatenus partim cauſa febris occaſionalis quodammodo ſubducitur, partim productum febrile tollitur, partim hâc evacuatione & motu alius motui febrili contrarius excitatur, & proinde ſanguinis febrilis effervefcentia ſpontanea præca-

præcavetur, unde *CL. HELMONTIUS de Febrib. cap. 14. §. 3. infert*, Vomitiva, ſi quid proficui unquam præſtiterint, id totum per accidens eſt, quatenus ſcilicet ad ſtimulationem unius, alterum pronum ac vicinum unà exturbatur; Cui adſtipulatur *Thom. Willis de Febribus cap. 3.* ſtatuens, à Vomitoriis paulò antè paroxyſmum adhibitis febres ſæpe tertianas intermittentes tolli, eò quod ſi fortiter operentur, non tantum Ventriculi fundo ſpaſmum inducant, ſed & duodenum motu inverſo verſus pylorum contrahant, atque bilem è meatu cholidocho proritatione continuâ expreſſam in Ventriculum ſuffundant, quæ ſtatim evomitur, quod ſi nimium fiat, bilis è fellis veſiculâ ferè inanitur & deinceps receptaculum evadit, quod humorem bilioſum, ſive Salis & Sulphuris aduſti particulas, maſſæ ſanguineæ ubertim ſuffuſas emulgeat & excernat, unde paroxyſmus mox ſequuturus nonnunquam vel præcavetur, vel febris in totum tollitur, eò quod hâc ratione ſanguis à bilioſo ac ſulphureo humore penitus emulgeatur. Eſt tamen obſervatione dignũ, quod Vomitoria in febre quartanâ nihil proſint.

In Febribus ardentibus, aut Ungarica, & aliis peſtilentialibus ab ebullitione humorum malignorum in ſtomacho pronatis ſtatim ab initio adhibita, antequam totam maſſam ſanguineam venenato inficiant fermento ſummè proficua ſunt.

In *Capitis Affectibus* virtute etiam ſuâ non carent; In *Cephalalgiâ Jaſon Ziricaus* iis commendat, qui ad eam proclives ſunt, & ubi materia confluit ad Ventriculum, ut fit, cum per conſenſum Ventriculi caput debilitatur. Verùm nec *Gatenaria*, nec *alii Practici* de iis mentionem faciunt. *Arculanus* omninò ea averſatur, quem etiam ſequitur *Foreſtus lib. 9. obſ. 15. Si qvis difficulter vomat, inquit, licet ad Ventrem materia conflueret, tunc omninò prohibemus Vomitum, qvia caput repletur & magis offenditur: Qvamvis facilè vomentes Vomitus quoque juvare creditur, tamen ex Ventre materia ad Caput tendit.*

In *APOPLEXIA* utrùm Vomitoria in ipſo ſtatim paroxyſmo tutò exhiberi poſſint, an ſecus? major eſt dubitatio; *Foreſtus, Platerus, Sennertus, Septalius* negant: *Qvomodo enim, inqviunt, obſtructio Nervorum principii in cerebro, à pituitâ frigidâ & viſcidâ facta Apoplexiæ juxta Galenicorum effatum cauſa à Vomitoriis poſſit averti? cum potius tunc temporis illa inſtituta magis nocerent, eò quod æger in hoc motu ſe ipſum adjuvare neſciret nec ſe erigere poſſet, ſed potius ſuffocaretur! quid? quod alias hujus evacuationis vi humores à toto ad ſuperas convolent partes, caput repleant, & affectum condu-*

conduplicent, quibus adſenſum tribuit *Zacutus Luſitanus in Praxi hiſtor. cap. 7.*

Verumenimverò, cum totius cerebri ſubſtantia, non autem principium tantum Nervorum in Apoplexiâ patiatur, eò quod ſenſus non ſolum externi ceſſent cum motu, ſed & internorum ſenſuum & facultatũ Principum læſio adſit, cujus cauſa proxima quidem ſit obſtructio, à viſcidisſimo, & quaſi glaciali adeòque contumacisſimo excremento, hoc ſane non niſi vehementisſimâ commotione reſolvi & protrudi poteſt, id quod nullâ melius ratione, quàm generoſo remedio vomitum ocysſimè provocando impetrabitur, per hunc enim vehementisſimæ cõmotionis impetum ſeditio quædam ac quaſi tumultus in toto corpore & omnibus ejus partibus effectisſimè excitatur, inquit *CL. D. Langius in Animadverſ. mſſ. in Joh. P. Fabrum.* Natura alto ac funeſto quaſi ſopore ſepulta ſuſcitatur, eaque ad arma ſic cogitur, & hoſtile hoc excrementum valdè commotis & concusſis partibus viſceribusque pariliter commovetur, atque ex voto tandem exturbatur, ut ſic Natura ſeu Archéus ab infeſtisſimâ vel glaciali hâc humorum viſciditate hactenus gravisſimè oppreſſa unà cum viſcerum meatib9 pertinaciter obſtructis rurſum ſui juris fieri queat. Quod verò vehemẽter commoto Ventriculo confeſtim quoq; in conſenſum trahatur & conſimili vehementiâ vellicetur aut concutiatur cerebrum, non tantum ex communitate nervorum recurrentium, qui à cerebro oriundi orificio ventriculi inſeruntur, Anatomicis tàm famigeratâ, verum etiam ex interiore ventriculi tunicâ faucibus quoque communi & à cerebri membranis ſeu meningibus producta ſatis conſpicuum eſſe poteſt. Dum enim per impetuoſam hanc ex vomitu commotionem nervi recurrentes quoque & interior Ventriculi tunica fortiter convelluntur, neceſſariò quoque tota cerebri & ejus membranarum nervorumque inibi exorientium Oeconomia contremiſcit quaſi, & lancinatur, adeoque factâ hâc irritatione, vel ſi ſic loqui liceat, partium trepidatione Spiritus ad redintegrationem motus & actionis ſuæ exſtimulantur. Hinc & *ipſe Avicenna* commendat in cauſâ pituitoſâ, & approbant *Aëtius, Ægineta, Euſtachius Rudius Lib. 1. Prax. c. 10. Dominicus Leo* multis modis juvare exiſtimat; *Lazarus Riverius* ait, ſe noſſe Nobilem, qui intra biennium ſe ter liberavit ab Apoplexiâ infuſo croci metallorum. *Petrus à Caſtro Practicus Veronenſis celeberrimus in Meth. Med.* his ultrà ſpem plurimos ægrotantes deploratos ſe refeciſſe ſanctè affirmat, & mirum in modum pulverem Algeroth commendat. Singularia quoque proponit *Jul. Cæſar. Clau-*

Claudius Empir. Ration. p. 349. Et hæc tanqvàm ſummum arcanū Practicum ſupra laudatus *D. Langius in Miſcell. curioſis th. 5.* commendat, quemadmodum & eadem elogia *CL. Helmontii* dicteria confirmant; *Ens apoplecticum*, dicentis, *in ſtomacho præſens animam quatit:* item; *Apoplexiæ ſcenâ circa ſtomachum ſeu orificium ventriculi præcedit, atque peragitur. Et in tr. Confirm. Morborum ſedes in animâ ſenſitivâ, Apoplexiam recentem multoties procurato vomitu ſuperari.* Certum enim eſt, inquit *CL. Johannes Langius, ſuſceptū in ſtomacho excrementitiæ mucilaginis vitium ac rudimentum latè & ad remota in corpore noſtro potenter diſpergi, unde remediis quoqve ſtomachicis in tempore oblatis beneficium reſtitutionis in hoc caſu, ut in quo mali origo & nidus, ut plurimum reſidet in ventriculo infirmo aut cruditatibus præpedito, facilè præſtari poteſt. Imò nobiliora ſtomachica cerebro ſemper ſunt accepta, & ex adverſo cephalica ſpecifica ventriculum præſtantisſimè ſolari ſolent, atque id qvidem ſub fide rationis & teſtimonio Experientiæ indubitatisſimæ. Qvapropter ſtatim vel poſt propinatum Spirituoſum Medicamen, quale eſſentia rorismarini, Sp. ceraſ. nigr. lavendul. lil. convall. fl. tiliæ cum Elixir vitæ Matthiol. omnis moveatur lapis, quo Emeticum apoplectico pariter ſine morâ inſinuari posſit, vel, quod conſultius, hoc cum eſſentiâ rorismarini tanquàm vehiculo porrigatur, quale Sal Vitrioli ad* ℥ß. *vel Mercurius vitæ ad grana 5. 6. 7. vel tale infuſum ex croco metallorū in aquâ apoplecticâ, vel alia Eſſentia Spirituoſâ diſſolvatur & exhibeatur; ſic enim geminæ ſtatim ſatisfiet Indicationi, dum & calor nativus hinc potenter excitabitur, & ratione energiæ emeticæ partes membranoſæ nervoſæq; faucium & ſtomachi vellicabuntur, atq; ſic citiori negotio vomitus provocabitur, ſummus, glutinoſa excrementorum viſciditas propulſabitur. Et quamvis primâ vice hujusmodi remedium in ventriculi fundum non pervenerit, tamen fauces ad minimum eâ, quâ pollet, lancinandi poteſtate ita irritare valebit, ut deglutiendi facultas exinde pariter exſtimuletur, & iterata doſis poſteà minus impeditum per orificium ventriculi conſequi tranſitum posſit, quo magis itaque accelerata ope vomitus concitari poterunt, eò certior etiam ſpes reſtituendi apoplecticum affulgebit, modo tunc ulterius præſtanda perperam non negligantur.*

Notandum tamen *primò*; ſi omnes thoracis & abdominis muſculi vel affecti, vel reſoluti ſint ſuſpectū eſſe Vomitoriorum uſum; *deindè* antè illorum uſum, ſi validus ſit pulſus, æger non admodum ſenex, & ſanguineæ apoplexiæ ſigna adſint, poſt redditos clyſteres ex utrâque cephalicâ ſecandam eſſe venam. Et

tertiò, ſi æger jam à Vomitoriorum uſu paululum ad ſe redierit, ut aliquid iterum deglutire poſſit, purgantia ei eſſe propinanda, ut vitioſi humores in cerebro collecti deorſũ rapiantur & evacuentur, aut ſi à reliquis partibus transmiſſi, itidem revellantur & educantur. Vid. *Joſ. Quercet. in tetrad. graviſſim capit. affect. Hartm. in Praxi Chymiatric. Freitag. in Auror. Med. lib. 1. c. 17. p. 90.*

In *MELANCHOLIA* per eſſentiam Vomitoria per ſe non convenire videntur, ſed per accidens ad tollendum impedimentum curationis. In hypochondriacâ etiam videntur ab *Hippocr. ſ. 4. aph. 9.* excludenda. Melancholicos infrà vehementius purgabis. *Galenus in commentar.* rationem adſignat, eò, quod cum humor hic ſuâ gravitate inferiora petat, non videatur per alia loca, quàm inferiora duci poſſe. Verum Vomitoriorum uſum approbarunt non infimi ſubſellii Medici, qui meminerunt Melancholias ſolis vomitoriis fuiſſe curatas. Sic *Aben-Sena* meminit Ellebori; viſæ etiam fuêre Melancholiæ terminari ſpontaneo vomitu bilioſæ nigræ materiæ ſuperveniente; hunc ergò Naturæ conatum Arti licet imitari. Et dubium nullum eſt mitiora vomitoria ſummè eſſe ex uſu tum ad evacuandos Melancholicos, tum pituitoſos, cōmuniter dictos humores, qui ferè ſemper in ventriculis Melancholicorum reperiuntur, & multiplicantur, inque Melancholiam, ſi relinquuntur, facilè converti poſſunt. Mediocria etiam conveniunt in hypochōdriacâ & ſympathicâ à toto, niſi os ventriculi ſit adeò ſenſile, ut ægri ex ἐυαιϑησία facile incidant in animi deliquium vel cordis palpitationem. *Adhibentur tamen commodius*, inquit *Excell. D. Rolfinckius in diſcurſ. de Melanchol; in hypochondriacâ, quàm ſymphaticâ; à toto nõ enim facilè humor peccans ex corpore trahitur ad ventriculum, ſed rectius per alvum dejectoriis expurgatur.* Neque *Hippocrates* videtur hunc uſum explodere *in aph. allegato*; *vehementius Melancholicos infrà purgabis*, id eſt, crebrius eos purgabis, tempeſtivis Vomitoriis locum tacitè relinquens id quod ipſe in curationibus obſervavit, quando Veratro uſus eſt.

In *LETHARGO* Vomitoria *Mercurialis* damnat, & *Foreſtus lib. 10. obſerv. 9.* magis clyſteres commendat, quia juxta *Oribaſium* revulſio facienda eſt deorſum, ubi ſucci ad ſuperiora, ſurſum ubi ad inferiora vergunt. Verum Vomitoria revellunt non ſolum à partibus inferioribus, ſed & ſimul à ſuperioribus. Notum enim eſt, quod revellantur humores, non qui jam ſunt in parte affectâ, ſed ii, qui ad partem aliquã fluunt, aut fluxuri ſunt, quâ ratione cavetur & prohibetur, ne pars affecta humoribus affluentibus repleatur.

tur. *Senn. inInſtit. p. m. 1058.* proinde vomitiora, quæ evacuãt ventriculum,ramos venæ portæ,epar & lienẽ revulſione præcavent, ne humores in dictis partibus reſtagnantes vel ad ſuperiores vel inferiores devehantur partes. *Alex. Benedictus in Oper. de re Medicâ ad Maximil. Cæſar. f. 243.*

In *EPILEPTICO* paroxyſmo dubius eſt Vomitoriorum ſucceſſus. *Cave*, inquit *Ludovicus Septalius lib. 6. animadverſ. num. 50. ne in paroxyſmo Epilepſiæ vomitum provoces, vidi enim aliqvos in invaſione hoc tentantes, Doctorum quorundam autoritate ductos, præcipitem in mortem ægros duxiſſe: ex violento enim illo motu, magis repleto capite ac concitatâ materiâ in cerebro exiſtente ad perfectã obſtructionem faciendam deducunt, unde apoplexia ſequi ſolet.* Nec valet, ſi per conſenſum ventriculi fiat, aliud enim eſt curare Epilepſiam ante acceſſionem, aliud in ipsâ acceſſione, in hâc negamus & non admittimus ob allatas *Septalii* rationes, de illâ autem nihil eſt, quod moveamus, ſed cum *Zacuto Luſitano* potius recommendamus, qui *in Praxi Medic. admir. Lib. 1. obſerv. 24.* Epilepticum vomitus ope præſervavit; Nam in Morbis ſupra jugulum vomitus fit ex uſu, licet humores ad Caput deferri videantur, affirmativè inter omnes reſpondet doctiſſimus *Santorellus, lib. 22. antepraxis. cap. 4.* pluribus rationibus munitus ex *Oribaſio lib. 1. Synopſ. 18. Mercato 1. Indicat. 9. & Fernel. lib. 3. Meth. Med. cap. 2.*

In *CATARRHIS, CORYZA, CONVULSIONE, & PARALYSI*, ſi ventriculus & primæ viæ ſint repletæ parili ratione conducunt. Lingvæ *PARALYSIN Rondeletius & Mercatus* excipiunt. *Foreſtus* tamen etiam nihil mali metuit, ſi ab adſumpto cibo malum ingruat.

In *OCULORUM* affectibus vomitoria ſunt ſuſpecta. *Foreſtus lib. 11. obſervat.* item. *AURIUM* Morbis *Hippocr. lib. de loc. in homine & Trincavellius lib. 1. Conſil. fol. 211. Bathaſar Timæus à Güldenklee in Epiſtol. 20. Libr. 1.*

Medii Ventris affectus quosdam mirè etiam juvant *Vomitoria*, *Vomitoriis* gravem *pleuræ* calamitatem tentare multis Practicis eſt religio.

Rulandus tamen & *Hartmannus* Aquam Benedictam ſæpius cum fructu exhibuêre. *Riverius in obſervat. communicat. 29.* hoc remedii genus quoque commendat. *Omnes Pleuritici* ait, *qui vomunt ſtatim in principio morbi, evadunt, ut in infinitis obſervavi, levatâ pleurâ ab humorum ſarcinâ Vomitus beneficio.*

In *ANGINA* etiam malignâ *Bartholetus in tr. de Anginâ Puerorum* uſum *Vomitoriorum* inſigni nobilitat præconio; Verùm præter rationem indictis hiſce duobus affectibus

bus Vomitoria uſurpantur, nam ob maximum in Pulmonibus & faucibus conatum non ſolùm phlegmonem augent, verum etiam decumbentes præſentaneò inflammationis inde auctæ & ſuffocationis periculo ſubjiciunt, exemplo illius apud *Trincavellum lib. 5. de ratione cum part. Corpor. human. affect. cap. 7.* fœminæ, quæ unà cum materiâ morboſâ animam evomuit; Et inſtituuntur ſanè contra *Galeni* noſtri monita, qui nunquam in inflammatione partium humores vitioſos per locum affectũ deducendos eſſe docuit. *13. Meth. Med. c. 6. & 11.* nec obſtat, quod rũpant & aperiant apoſtemata, in quæ plerunq; degenerant inflammationes; temeraria enim cura eſt, in hominis tendens perniciem.

In *ASTHMATE* etiam *Septalius lib. 6. animadverſ. 136.* Vomitoriorum uſum excludit, ob ſuffocationis periculum. Cum metuendum ſit, ne ſi Medicamenta purgantia exhibeantur, materia à Medicamento agitata magis ad locum affectum cõfluat. Verum humoris morbifici natura conſideranda eſt, ſi enim humor ſit craſſus & viſcidus, ſine fructu initio ſtatim inſtituuntur Vomitoria, niſi ſint ejusmodi, quæ juxta vomitoriam facultatem reſolventem & abſtergentem inſuper habent, aliàs agitabitur potius, quàm educetur humor. Si verò humor ſit tenuis, atque è venis in Pulmones effuſus, adeoque jamdum à ſanguine ſeparatus commodiſſimè mox initio inſtituitur vomitus, ut frequens docuit Experientia, & non rarò hoc ſolo remedio paroxyſmus ſolutus eſt. Ratio eſt, quia dum materia tenuior à capite defluens in aſperam arteriam & Pulmonis bronchia ſeſe inſinuat, craſſior illius portio in ventriculum delabitur, illiusque parietibus ita affigitur, ut ægerrimè avelli poſſit. Interim verò dum calor illius debilis materiam illam fermentat, flatus craſſiores producuntur, qui ventriculum inflantes diaphragma comprimunt, & difficilem reſpirationem efficiunt. Unde fit, ut vacuato ventriculo ceſſet paroxyſmus, aut mirũ in modum remittatur. Adde, quod Aſthma interdum imò frequentiſſimè, ab humoribus crudis generetur, circà hepar & in venis collectis, qui per arteriam venoſam ad Pulmones feruntur & bronchia comprimentes Aſthmatis cauſa ſunt; Hiſce jam conferunt vomitoria. Vid. *Lazar. River. in Praxi Medic.*

In *CATARRHO SUFFOCATIVO* vomitoria multorum inſtar æſtimãtur remediorum, quod iis opportunè mixtis cauſa tum antecedens educatur, tum ipſa continens Pulmonũ intruſa bronchiis extrudatur. Vid. *Horſtius libr. 10. de pharmaceuticis obſerv. 3. p. m. 483.*

Notandum tamen, ſi vitium in totâ maſſâ ſanguineâ hæreat, ut per arte-

arterias cum ſanguine humores vitioſi mixti magno cum impetu ad Pulmones ruant, fermento quodam exotico concitati, ut ſuffocationis periculum impendeat, quemadmodum ſæpe in Scorbuto & malo hypochondriaco uſu venire ſolet, tunc Vomitoria non juvare, ſed Venæſectionem.

In *Affectus Hypochondriaci, Scorbuti Icteri, cachexiæ & febris albæ* principio leniora commendamus Vomitoria. Proſunt etiam in *COLICA Paſſione*, ſi ventriculus vitioſis ſit repletus humoribus, ita enim tranſitus futuris paratur dejectoriis. In *Colicâ* autem cum alvi ſuppresſione Vomitoria juxta *Avicennã* minimè tuta.

VOMITUS vomitoriis curatur, ſi vires valeant, id quod etiam *Hipp. lib. de loc. in homine* confirmat, quia eluuntur ea, quæ vomitus cauſa ſunt; Sic miles quidam corripiebatur febre ardente, & omnia adſumpta per vomitum rejiciebat, cui quinto die, in quo à me conſilium petiit, exhibui Salis Martis ʒß. in cereviſiâ moderatè frigidâ, à quo vitioſorum humorum ſaburram rejecit, & alia adſumpta benè retinuit, ut confirmaretur hoc vulgatum Medicorũ Vomitũ Vomitu curari. Ejusmodi itaq; Vomitus Symptomatici ſæpius ab humoribus ventriculum laceſſentibus proveniunt. Sint tamen vomitoria ejusmodi, quæ ſimul adſtringunt, & ventriculum roborant, *ad Horatii Augenii lib. 6. Epiſtol. p. 219.* imitationem.

Quàm prava Symptomata ex lacte coagulato accidere poſſint, *Dodonæus in annotationibus ad Cap. 17. Benivenii. Foreſt. lib. 18. obſ. 13.* annotârunt; De curatione autem dubium occurrit, an Vomitoria ad lac coagulatum è ventriculo ejiciendum conveniant? Negat id *Matthiolus*, & repudiat Vomitum, eâ de causâ, quod lac coagulatum, ſi quis illud vomitu ejicere conaretur, in gulâ facilè hærere, & hominem ſuffocare poſſet. Verúm, *CL. Sennertus lib. 6. Practic. p. 8. c. 34. & in paralip. p. m. 17*, vomitoria præcipit, præmiſſis tamen lac coagulatum diſſolventib9 ex oxymel. mumiâ, ſpermate cœti &c.

Revellunt porro VOMITORIA ab inteſtinis, renibus, partibus genitalibus, utero, Lumbis, & pedib9. Hinc etiam in *Dyſenteriâ* conveniũt, ſed mitiora, & quidem corpore prius evacuato. *Hippocr. ſ. 6. aph. 15. & lib. 2. de Diætâ.*

In *NEPHRITIDE* etiam Vomitoria ingens afferunt emolumentum ejectâ cauſæ occaſionalis malitiâ, & ſaburræ tartareæ nequitiâ; Imò & ipſa Natura hunc ſe exonerandi modum non rarò eligit, modo conſtitutio & ſtatus ægri hoc ipſum ſemper ferat. In quo ipſius etiam *Galeni* habemus calculum *7. claſſ. de*

calculo Renum fol. 387. quem imitati ſunt *Alex. Benedictus & Paraus.*

In *Teſticulorum Inflammatione* Vomitoria etiam commendantur à *Rhaſe 24. continent. tract. 3. cap. 1.* quâ ipſe laboravit. vid. *Zacut. Luſitan. Paraphraſ. in Medic. Princip. hiſtor. Lib. 3. hiſtor. 26.*

In *GONORRHÆA* ad revulſionem *Rodericus à Fonſecâ Conſult. 26.* approbat.

In *PRIAPISMO* inquit *Galenꝰ Vomitoriis potius Medicamentis, quã alvum ſubducentibus eſt utendum.* Vomitu enim fit revulſio.

In *Urinæ difficultate* vomitoria ſummo cum effectu adhibentur. *Rulandus c. 4. conſil. 31. & 33.* propter revulſionem humorum acrium & bilioſorum ab epate & Meſenterio.

In *HÆMORRAGIA uteri* Vomitoriorum uſum, quamvis *Heinricꝰ Petraus in diſſert. 47. & Riverius lib. 9. Prax. c. 3.* ceu remedium maximè revellens utilisſimum fore ſuadeat, nos tamen in ipſâ accesſione eadem plane rejicimus. Extra acceſſionem verò, ſi humoris conditio & motus id exigant, eorundẽ uſum cum maximâ cauteiâ admittimus, ſuadente *Galeno in comment. Epidem.*

In *Partus difficultate Angelus Sala* Mercurium Vitæ vomitorium fortisſimum exhibet gravidis: Et nos idẽ in ſimilibus caſibꝰ ſemper cum ſummo emolumento imitati fuimus. No..ndum tamen monente *Mynſichto* tam gravidis, qvàm aliis etiam Mulieribus & Virginibus Menſtrui retentione laborantibus, quæ non ex viſcerum imparitate, ſed ex ſolâ Venarum matricem ingredientium obſtructione oritur, Vomitoria eſſe vitanda.

In *PODAGRA & ARTHRITIDE*, ſi materia adhuc in motu ſit, vomitoria ſtatim inſtituta mirificè prodeſſe Experientia docet, tum enim materia ad ventriculum adducitur, & ab articulis revellitur, id quod etiam *Mercatus* obſervavit, dum *lib. 4. cap. ult.* dicit, *nullo auxilio alio commodius & fluentem humorem revelli & fluxurum evacuari poſſe.* Verum ego cum *CL. Helmontio* potius dixerim, ſi vomitoria hîc juvant, per accidens fieri, dum Archéus pertimeſcens hanc vomitoriam evacuationem ab ulteriori furore aliquantiſper deſiſtit.

VENENA ſi fuerint adſumpta, in Vomitoriis tota Curationis vis conſiſtit, alexipharmacis poſt ſubſequentibus. *Fabricius Hildanus in obſ. f. 426. & Valeſe. de Tarantâ* ait: *Si contingat, aliquem hauſiſſe venenum, detur aqua cum oleo communi vel Seſamino, vel nucum, vel rutæ, in tantâ doſi, ut venter repleatur, deinde fortis provocetur vomitus digito ori impoſito, donec totum rejiciatur. Poſteà hauriantur alexipharmaca.* Vomitoria igitur non ſint fortiora ac maligna, ſed leniora, & parata ex iis, quæ

quæ ſimul lenitorem obtinent, ut ſi quæ Veneni ſit acrimonia & vis corrodendi, illa obtundatur, & partes internæ contra eam quaſi muniantur, qualia dicta olea cum aquâ communi, vel pinguia juſcula cum decocto fl. geniſtæ, lacte, butyro, raphano & ſimilibus. Non autem ſatis eſt, ſemel vomitum provocaſſe, ſed tamdiu is continuandus, donec nulla amplius Veneni in ventriculo indicia ex ſapore, odore, nauſeâ, dolore & morſu deprehendantur. *Sennertus lib. 6. Practic. Medic. p. 5. c. 7.*

Hactenus de Vomitoriorum in plurimis Morbis uſu; reſtat jam ut *de Vomitoriis ipſis* agamus. Sunt autem non uniusmodi. *Alia enim ſunt mitia, alia vehementia; Alia interna, Alia externa; Quædam ſunt in formâ liquidâ, quædam ſolidâ; Alia ſimplicia, alia compoſita. Quædam occultis, quædã manifeſtis operantur qualitatibus.*

Nos inpræſentiarum de iis ſaltem, quæ maximè ſunt in uſu, acturi ſumus.

Sunt autem ex *lenibus & benignis internis oleum amygdal. dulc.* ℥j. vel ℥ij. cum cerevifiâ noſtrate calidâ nõ ſalitâ nec butyrata. *Oxymel ſq.* â ℥ß. ad ℥jß. vel ℥ij. ficubus recentioribus comeſtis, ſuperbibitâ aquâ tepidâ. Notandum tamen *Oleum* ſimplex ut & alia pinguia in febribus eſſe vitanda, præterquam enim quod ventriculi fermentum magis magisque obtundant, laxent etiam, hinc appetitum proſternat, qui potius tunc temporis eſſet ſervandus. Denique etiam in *Diarrhœa* & in omni pravâ Chylificatione à nimiâ ventriculi laxitate proveniente oleoſa eſſe rejicienda.

Mediocria ſunt *Diaſarum Fernelii* cum jure pulli, aut vino, placidum hoc eſt vomitorium, ſine ullo labore per ſuperiora educit humores craſſos & viſcidos. *Rodericus à Fonſecâ Tom. 1. Conſult. Medic. 21. & Tom. 2. conſult. 90.*

Rec. radic. aſari. ʒij. pepon. ſiccat. ʒj. fl. geniſtæ p. ij. coq. in ſ. q. aq. fontan. ad 3. part. conſumpt. Rec. Col. ℥iij. Oxymel. ſ. ℥j. M. f. hauſt9.

Vel:

Rec. Succi radic. raphan. ℥ij. Oxymel. ſq. ℥j. adde radic. aſari præparat ʒj. Stent per noctem in loco calido, manè filtrentur & dentur.

Vel:

Rec. radic. aſari. ℥iij fl. geniſtæ ʒj. coq. in ſ. q. aq. raphani. Rec. Col. ℥iiß. in quibus infunde cortic. Ellebor. alb. ℈ß. cinamom. gr. vj. Col. expreſſæ adde Sirup. acetoſ. ſ. ʒij. f. hauſtus.

Summitates recentes Sambuci, Juli quoq; juglandis, dum floret, mox collecti & in pulverem redacti à ℈ij. ad ʒj. vomitum absque moleſtiâ cient. *Succus Corticis Sambuci* à ʒij. ad ʒiij. ejusdem eſt efficaciæ.

Rec. Julorum jugland. ℥jß. rad. aſari

aſari ʒj. ſemin. atriplic. raphani ana ʒß. fl. anethi p. iij. coq. in ſ. q. aqua comm. Rec. col. ℥iij. Sirup. acetoſ. ſ. ℥ß. M. f. hauſtus.

Et *Fortioribus*, quæ moderno uſurpantur tempore, ſunt *SAL VITRIOLI* ritè præparatum è Vitriolo rectè calcinato. Si enim Vitriolum calcinatum colorem obſcurè purpureum non adipiſcatur, nihil aliud extrahes, quàm Vitriolú ejusdem coloris, non vero Sal album habebis. Sin excedas, adeò ut Vitriolum nimis calcinando omnibus acidis ſpolies ſpiritibus, non multum ſalis, quod purget per vomitũ, inde conficies. *Sal Martis* ex Vitriolo Martis rectè paratum meliorem obtinet vim. *Ut Manna cœleſtis*, inquit *Quercetanus in tetrad. affect. capit. inter lenientia benigniſſima eſt Naturæ, & nulli non perſonæ absque ullius periculi ſuſpicione exhibetur, ita & Sal hoc ſuo ſcopo benignè evacuat peccantes humores. Teſtor DEUM,* inquit *Angelus Sala in ternario Vomitor. c. 4. & certò promitto cuivis lectori, quod inter Medicamenta Vomitoria tam ſimplicia, quam compoſita, & quomodocunque præparata, ſive mineralia, ſive vegetabilia, quæ vel ab aliis adhiberi vidi, vel ipſe exhibui, nullum obſervaverim magis univerſale, magis interim præ cæteris ad purgandum ſuperfluitates in ſtomacho, corruptosque humores in ipſius tunicis impactos, benignum, quàm hoc ipſum Vitrioli Sal.* Doſis ejus eſt ℈j. ad ℈ij. in vino, vel brodio carnis calido.

De quo Sale tamen ex *Zwelfero in appendice ad animadverſ. p. m. 70.* notandum, hoc impropriè à dictis Authoribus Salis nomine inſigniri, dum nihil aliud eſt, quàm ipſa vitrioli Subſtantia ab omnibus impuritatibus & metallicâ ſeparatum Subſtantiâ, adeoque rectius Vitriolum Vomitivum nuncupandum, quippe quod communiter in officinis pharmacevticis ex vitriolo jamdum albo, quod de Naturâ Lunari eſt, parari conſuevit, nullâ prægreſsâ calcinatione, ſed repetitis ſolutionibus, filtrationibus, & coagulationibus, diciturque Vitriolum album vomitivum, non Sal Vitrioli. Ex quibus denuò patet, quod ſicuti metalla, ita etiã Vitriola, quæ reverâ nihil aliud ſunt, quàm ſoluta metalla, calcinari nequeant, ut verè Sal ex iis eliciendum, ſed vel in priſtina metalla, vel in Scorias abeant, quæ Scoriæ quandoque particulam humiditatis vel Subſtantiæ metallicæ retinent, è quibus denuò aquis fortibus vel Spiritibus acidis Vitriolum, non Sal propriè elici poteſt, in parvâ licet quantitate pro particulâ metallicæ humiditatis in ſcoriis reſiduâ.

In *Vitriolo, Lunæ, Veneris, imo & in ipſo Saturni Sacchar*o, quod etiam nihil aliud quàm verum Vitriolum plumbi, imo ipſum plumbum ſolutum, vim ἄνω purgantem curioſus inda-

indagator invenire poterit, *CL. noſtro Mœbio.*

In præparatione *Spiritus trium mineralium flores* elevantur, qui præter alias egregias dotes vomitum quoque excitant.

Sal Cornu cervi volatile ritè exhibitum præter ſudorem Salis Vitrioli vices explere non ſemel obſervavit modo laudatus *D. Mœbius.*

Non minori dexteritate alia ex *Antimonio* parata Vomitoria exhibentur & ſatisfaciunt deſiderio; in hoc enim verum conſiſtit Auri balſamum, & hoc verè una & principalis eſt columna univerſæ Medicinæ eò quod in hujus radice veluti in chao quodã in exhauſto contineãtur omnium pene mineralium & metallorum virtutes & cardinalium Morborum ſanationes, ut loquitur *Petræus in Noſolog. Harmonic. p. m. 86.* totaq; proſthaſis & aphæreſis, unde ex eo tanquam Protheo, diverſis duntaxat præparationibus, diverſarum operationum Medicamenta, ut Vomitoria, Purgantia, Diaphoretica, Antipyreta, Antivenerea, Vulneraria & alia erui poſſunt; quæ impuritates Naturæ noſtræ adhærentes per vomitum, ſeceſſum, ſudores & urinas expellunt, & inſtar ignis conſumunt; Ex Vomitoriorum autem cenſu *primò* proſtat *VITRUM ejus hyacinthinum,* quod quomodo præparetur, modum oſtendere hujus non eſt loci, vid. *Schrœderus in Pharmacop. Med. Chymic. lib. 3. c. 17. 10 j. & CL. Rolfinck. in Chym. ſuâ in artis form. redact. lib. 5. ſ. 12. c. 1.* Nonnulla tamen circa ejus legitimam præparationem animadvertẽda huc ex *CL. Zwelfferi Pharmacop.* transferemus. *Primò enim Antimonium poſt perfectam calcinationem aliquã diu aſſervatum ægrè poſteà perſpicuitatem acquirit, eò quod ab aëre attracto immutetur; ideoq; quamprimum illud ſufficienter calcinatum ſit, diutius non aſſervandum, ſed illicò crucibulo immiſſum igni fuſorio tradendum eſt; Sic quadrantis horæ ſpatio perſpicuitatem nanciſcetur, quâ apparente ſtatim eſt effundendum. Deinde Antimonium avide devorat Martem, dum igitur liquatum eſt antimonium in igne quantum poſſibile breviſſimâ morâ ferreis tractetur inſtrumentis. Tertiò nihil eſt, quod Antimonium egregius purificet, atq; Sulphur crudum, ſi igitur ejus vitrum ad perſpicuitatẽ reduci non poſſit, injiciatur illi in crucibulo, dum fluit aut liquatum eſt, fruſtulatim aliquid Sulphuris citrini crudi, quod Antimonium illicò depurabit & perſpicuum reddet.*

Ex *hoc* varia iterum præparãtur, *Nummi ſcilicet Annuli*, & notus eſt *Calix Vomitorius* cum calce plumbi & Silicibus fuſus.

Verum *Libavius in apocalypſi hermetica part. 1. c. 13. quis*, inquit, *ejus vim ſuſtineret? ſed fundum ſaltem pro gemma obduceremus, fieretque, id quod*

quod alias per annulos purgantes. Commodè calix parari poteſt ex ligno juniperinò eâ amplitudine ut capiat ℔j. obducatur intus pice liquidâ, cui immiſta Vitri Antimonii ℥ß groſſo modo pulveriſati. In hoc infundatur vini tepidi ℥ij. per noctē. Mane adſumatur vinum.

Vitrum Antimonii non exhibetur tutò in Subſtantia, ſed ſecurior eſt ejus uſus vel in infuſo, vel per ſolius nitri correctionem, quæ emendet ejus noxiam indolem, nam, quia nihil aliud eſt, quàm mera Saturni Marchaſita in ſe Mercurium arſenicalem & Sulphur externum auripigmentale habens, omnis venenatæ qualitatis certè non eſt expers.

Variis autem Modis inſtituitur infuſio. Illa mihi maximè commendatur, quæ fit cum arcano Tartari ſoluti; & plus κάτω quam ἄνω evacuantem expertus fui; Quæ cum Spiritu Vitrioli nondum dephlegmato fit, admodum fallax eſt. Communiter peragitur vino; verùm non omne vinum ad ejus infuſionem eſt aptum. Hiſpanicum parum educit, optimè Rhenanū & Gallicum, quia ad acredinem & Tartaream magis vergunt naturam, rubrum vinum etiam melius extrahit, quàm album. Sunt qui cum aceto infundant. Verùm hæc cum aceto infuſio hoc incommodi habet, quod ipſa vitri Antimonii Subſtantia ab acredine aceti abradatur, quæ abraſa fundum petit, quia gravior eſt, jam ſi ejusmodi infuſam pro aliquot vicibus præparetur, priores portiones parum operabuntur; at cum ad fundum perventum fuerit, & ſi reſpectu priorū potionum hanc eâdem doſi propinare velis, ægro vel intolerabiles cruciatus, vel ipſam etiam mortem cauſares. *Deinde* notandum male in infuſo vitri Antimonii addi aromata correctionis gratiâ, dum hâc ratione & Naturæ & medicaminis operantis conatus invertitur. Si enim ob hanc cauſam infuſum vitri Antimonii propinetur, ut per vomitum vitioſos tum ex ventriculo tum etiā partibus vicinis evacuet humores, operationes ſuas etiam ἄνω exſerere debet; cur autem aromatibus Ventriculum roborando, virtutem emeticam volum9 infringere? dum ab unâ parte ſtimulus additur Naturæ ad expulſionem noxæ, ab altera verò compedibus quaſi ligata tenetur, & remora injicitur, quo minus id, quod intendit, efficere queat. Sicque Natura in ſuis operibus interturbatur & fit ambigua. Si volumus ventriculū corroborare, faciamus illud ipſum ſubductâ per vomitum vitioſorum humorum ſaburrâ; Ideoque ſolius nitri correctione vitri Antimonii vis venenata melius infringitur, monente *Cl. Zwelfero l. a.*

Rec. Vitri Antimonii ſine additione legitimè parati ℥xij. Nitri puriſſimi ℥iijß.

Singula

redacta miſceantur exactè, poſt collocetur crucibulum intra carbones accenſos, cui, ſi candet, de ſuperiore pulvere cochlear unum poſt aliud pedetentim injiciatur, donec omnia paulatim immiſſa & candefacta ſint; remoto deinde crucibulo ab igne & refrigeratâ materiâ, quæ flava veluti, vel albicans apparebit, pulveriſetur, & cũ aquâ tepidiſſimâ edulcoretur, & quidem confeſtim, ne diu aquæ immerſa hæreat, ſed quamprimùm fundum petierit pulvis, aqua ab eo decantanda ac pulvis impalpabilis ſiccandus eſt. Obſervandum etiam, quod ponderoſior ejusdem pulveris particula, quæ illico in edulcoratione, dum aquæ cum leviori pulvere decantatur, fundum petit, ſeparanda ſit, ne pulveri impalpabili maneat permixta.

Hoc Antimoniũ juxta *CL. Zwelferi* præſcriptum *in Appendice ad animadverſ.* ita præparatum nobile & ſecuriſſimum Vomitorium eſt, ita ut infantulis competenti in doſi per infuſionem, vel in Sirupum redactum tutò exhiberi poſſit. Doſis à gr. xv. ad ℈j. pro adultis, cum unciis tribus vini ferventis infuſum per noctem, quod vinum mane à reſidente pulvere clarum decantari aut filtrari poterit, pulvere in fundo relicto. Junioribus vero decem vel duodecim annos natis ſcrupulus ſemis pulveris & vini ferventis uncia una ſemis, infantibus autẽ duorũ circiter vel triũ annorum grana quatuor, quinque vel ſex cum unciâ unâ vini calidi infuſa ſufficient. Vel fiat exinde Sirupus emeticus modo ſequenti.

Rec. prædicti Antimonii correcti ℥iij. Vini albi ferventis ℔vj.

Stent in loco calido per 24. hor. poſtmodũ decantetur vinum à pulvere relicto, & adde

Sacchari albi ℥xx.

Coque in Sirupum liquidioris conſiſtentiæ, cui adde

Eleoſacchari cinamomi ℥ij. f. Sirupus.

Doſis ℥j. vel ℥jſs. adultis; junioribus, pueris, & infantibus ʒſs ad ʒiij. Eleoſaccharum etiam poteſt omitti.

ESSENTIA EMETICA.

Rec. prædicti Antimonii correcti ℥ijſs.

ex quo cum vini albi ℔vj. repetitis vicibus affuſi extrahatur in calore, ut vinum veluti ferveat, Eſſentia, & vis emetica; hoc vinum ſuperfundatur Arcani Tartari ſoluti unciis ſex, & denuò nudum vini phlegma relictâ vi emeticâ, abſtrahatur; Hujus eſſentiæ doſis eſt ʒj. ad ʒij. vel iij. cum vino vel brodio aliquo carnis calido. Infantibus ſcrupulus dimidius ad ℈j. felici cum ſucceſſu propinari poteſt, ſi debito tempore, viribusq; nondum proſtratis exhibeatur.

TARTARUS EMETICUS. purgans.

Rec. Vitri Antimonii ritè præparati ℥jv. Nitri puriſſimi ℥j.

Singula prius ſeorſim in pulverem

Mixta & in pulverem redacta detonētur, materia calcinata flava pulveriſetur, cui adde

Salis Tartari puri ℥jv.

Aqua ſimplic. ℔iij.

Et in vaſe vitreo coquātur, ſpatulâ continuò illa agitando ad totalē ſiccitatem Salis, & pulveris, hinc ſolvatur maſſa hæc ſalina cum aquæ ſimpl. ſ. q.; ſolutum filtretur clarumque reddatur, & à pulvere ſeparetur, quod denuo ad ſiccitatem priſtinam Salis Tartari evapora. Huic Sali inſtilla guttatim Spiritus Vitrioli ſ. q. quousque nulla amplius percipiatur effervescentia, quo ſigno apparente exſiccetur maſſa Salina, & in pulverem redacta uſui aſſervetur. Doſis eſt ℈j. ad ʒß.

CREMOR TARTARI purgans.

Rec. Vitri Antimonii ritè præparati ℥iv. Nitri purisſimi ℥j.

Mixta inque pulverem redacta detonentur ad modum ſupra dictū, materia reſidua flava in pulverem ſubtilem redigatur, & in menſuris duabus vini albi & clari parum coquantur, colato poſt & à pulvere ſeparato vino immerge

Cremoris Tartari ℥iv.

Et alembico vitreo immiſſa in arenâ vel veſicâ cupreâ ſtanno obducta coquantur ad diſſolutionem dicti Cremoris Tartari, ac in illo ipſo vaſe ſenſim refrigeſcere permitte, ut nonnihil cryſtalliſetur Tartarus, qui refrigeratis omnibus eximendus, à liquore ſeparandus, ſiccandus & in pulverem redigendus eſt.

Deindè ex Antimonii proſapiâ ortus inter Vomitoria miræ etiam efficaciæ notus eſt CROCUS dictus *Metallorum*. Hic multis paratur modis *P. Joh. Faber* Antimonii & nitri anaticas partes; *Crollius* unam nitri & duas Antimonii partes accipit, quâ ratione illius magis eſt correctus & propterea vomitus leniori ratione provocat. *Crollii* verò minus correctus ob minorem nitri quantitatē, atque hinc majori cum vehementiâ operationē præſtat ſuam. *CL. Schrœderus lib. 3. c. 17. f. 425.* dictum imitatur *P. Johann. Fabrum* anaticas etiam Antimonii & Nitri accipiens portiones; Hic modus maximè quidem probatur, ſed detonatio ſive calcinatio non in crucibulo clauſo, ſed aperto eſt perficienda, & quidē paulatim ac per vices, calcinatum poſteà in aquâ coquendum ſæpius, quousque Tinctura extrahatur, quæ decantata deindè per inclinationem aceto inſperſo præcipitanda, & Crocus per filtrum ſeparatus uſui aſſervandus. *Zwelffer. in Animadverſ. ad Pharmacop. Auguſtan.*

Hìc obiter cum *CL. D. Langio in animadverſ. mſſ. ſupra P. Johann. Fabrum* diſtinguimus inter *Crocum Metallorum vomitorium Rulandi, Quercetani, & inter illum, qvem poſſedit Th. Paracelſus & ex eo CL. Helmontius*

montius, Poterius & alii; Ille etenim ſeu prior convenit cum Crollii & Fabri croco emeticam vim obtinens, hic verò roborat, & inſignes dotes à Datore obtinet, atteſtante Helmontii & Poterii ſolertiâ, ut plenùſſimè & pertinaciter omni reſiſtat digeſtivæ, & ſervet geniales ſui poteſtates liberas & infractas, quo maneat ſcilicet ejus craſis integra, & aptior ad diſpergendum radium ſuum in ſpiritum vitalem & animæ facultates. Unde modo laudatus Helmontius tr. in V. H. L. magna virtus inquit; *Addiſcant Tirones ſpoliare Sulphura vi peregrinâ ac virulētâ, (qualis etiam eſt in Antimonio crudo:) ſub cujus cuſtodiâ abditur ignis vitalis, Archéum in ſcopos deſideratos placidiſſimè deducens. Quomodò autem Paracelſi Crocus Metallorum conficiatur, ex ipſo hariolari rectius, quàm perſpicere licebit, dum formulam præparandi ænigmaticam planè ac proinde numeris Platonicis obſcuriorem tradidit, quamvis hoc tandē exinde poſſimus excerpere, quod hic metallorum crocus ex primo metallorū ente ſeu ſemine parandus veniat, partim ex Helmontio & Poterio factâ conjecturâ animadvertimus, quod cum remediis illis nobilioribus ac pretioſis, quorum ipſe ſe inventorem deprædicat, nempe cum Saccharo metallino ac metallorum Sulphure (ſemen enim metallorum eſt dulciſſimum) Paracelſi Crocum, ſi virtutis excellentiam reſpiciamus, eandem fermè efficaciam ſuſtinere is adſeruerit; Hæc CL. Langius.*

Ex ſupra dicto *Croco metallorum* cenſent *Doctores* fieri *Aquam benedictam vomitivam Rulandi*, quam ita deſcribit. *Crocus noſter metallorum* maceratur per diem, vel urgente neceſſitate ebulliat ad piſi quantitatem in aquâ vel vino, de quo capitur poſt infuſionem ab ℥ß. ad ℥iß. colatum; deinceps bibitur frigidè vel calidè! Verùm quis ille *Crocus metallorum Rulandinus* ſit, ambigitur; vid. *Schrœderum in Pharmacop. Medic. Chymic. Lib. 3. c. 17. p. m. 426.*

In Subſtantiâ interius rariſſimè uſurpatur crocus metallorum; in infuſo autem ſæpiſſimè; Fruſtrà præſcribitur doſis infuſi croci metallorum, in liquoris enim quantitate cardo vertitur. Nullum recipiens recipit per modum imprimentis, ſed per modum receptivitatis ſuæ. Liquoris ſint ℥ij. vel ℥ijß.

Tertiò, nec *MERCURIUS VITÆ* eſt omittendus, ſeu *Pulvis Algorothi*, qui nihil aliud eſt, quàm integri ſtibii delicatiſſima vel tenerrima proles, aut flores Antimonii in butyroſum liquamen aut gummoſam glaciem reſoluti; adeoque ortum ſuum non *Mercurio*, ſed *Antimonio* debet, præterquam enim quod in crucibulo calcinatus in vitrum abeat, non in fumium Mercurialem, aut Mercurium currentem, ſine additione etiam Mecurii ſubli-

mati parari poteſt, quicquid contra dixerit *Anton. Günterus Billichius in obſ. & paradox. Chimiatr. l. 1. c. 14.*

Præparationem ejus quod concernit, de hâc omnes Medicorum pleni ſunt libri Sciendũ tamen eſt, *primò* Solertiores chymicos loco Antimonii uſitati fuſi accipere ejus minerã, quæ violentiam Vulcani nondum eſt experta, adeoq; tenuisſimas partes cum radicali ſuâ humiditate adhuc integras habeat. *Deinde* rectius illos facere, qui non anaticas, ſed Antimonialis mineræ partem unam, Mercurii verò ſublimati partes duas adſumunt, & in pulverem minutum ambo redacta, probèque commiſta vitreæ retortæ concredunt, imò & peractâ deſtillatiõe primâ magmati ſeu reſiduo recentẽ Mercurium ſublimatum addunt, atque ſic deſtillandi negotium iterant. *Tertiò*, butyrum hoc ſæpius ex arenâ eſſe rectificandum, ut craſſities in fundo remaneat, ac venenata qualitas evaneſcat, illud verò quod limpidiſſimum colligendum. *Quartò* Aquam illam ſimplicem ab acido Antimonii butyro eſſe ſeparandam, & per deſtillationem detrahendam, donec guttas acidas tranſire perſentiſcamus, tunc enim illud, quod reſtat, egregium Menſtruum ad extrahendas tincturas & eſſentias nobis præbebit.

Uſus hujus inſignis eſt in principio febrium Peſtilentialium cum Magiſteriis cordialibus mixtus; item in Lue Venereâ, ulceribus malignis, Scorbuto, hydrope; Sed mirantur quidam, quod violentisſimum hoc Medicamentum nunquam, vel ſaltem rarisſimè per ſuperiora, ut plurimum verò per inferiora hydropicorum aquas educat; Verùm qui novit beneficio Salis vel Vitrioli volatilitatem (in quâ vis vomendi reſidet) gummi Gottæ figere, ita ut ſaltim per inferiora dejiciat, qui Antimonium Vomitorium illud ſine pari crebriori detonatione cum Nitro etiam Sudoriferum reddere, is procul dubio etiam rationem hujus rei reddere valebit, ſiquidem ſalſæ aquoſitates in patiente redundantes hanc vim pariter exercere poterunt.

Non deſunt, qui ob ſummam operandi vehementiam, dum nonnũquam gravisſima induxit ſymptomata, illum Mercurium mortis & vitæ æternæ vocant Cui ſententiæ favere videtur *Fabric. Hildanus Centur. 6. obſ. 22.* de infauſtis ſucceſſib9 hujus Mercurii vitæ hiſtorias quaſdã allegans. *CL. Helmontius* hunc cum aliis hujus farinæ purgantibus planè damnat, & ex Medicâ familiâ exulare jubet. *Sennert. de Conſenſ. & Diſſenſ. c. 15.*

Doſis in Subſtantiâ ſumi ſolet à gr. iij. ad iv. vel v. in infuſo à gr. v. ad ℈ſs.

In Subſtantiâ commodius cum bolo vel cum pilulis in cereviſiâ calidâ probè butyratâ offertur.

Rec.

Rec. Conſerv. fl. Perſicor. ʒi. Mercurii vitæ gr. v. reſin. gialapp. gr. vi. Miſ. Bolus in hydrope Aſcite.

Rec. MP. de fumar. Extr. Ellebor. n. a. ℈ß. Mercurii vitæ gr. iv. c. Eſſ. fumar. f. Pilul. in Cancro, aut Scorbuto.

Rec. Conſerv. fumar. ℥iß. pulv. catholic. purg ℈i. Mercur. vitæ gr. v. c. Sir. de fumar. f. Bolus in Morbo Gallico.

Secretioris Chimiæ nonnulli conantur Mercurium vitæ per inferiora tantùm purgantem conficere, hoc modo; Rec. Mecurium vitæ, qui paratus fuit ex Regulo Martis & Mercurio ſublimato, & ab omni acrimonia elotum; Hunc injiciunt in ſalem nitri ad ignem liquefactum, optimeque depuratum, ſinuntque ita invicem ſtare in fluxu per quadrantem circiter horæ. Poſtea effundunt materiam ex crucibulo in vas aliquod terreum vitreatum, eique affundunt aquam calidam, ut Sal nitri liqueſcat. Hanc aquam nitratam totam effundunt, & pulvis Mercurii vitæ candidus in imo ſubſidet, quem bene aquâ roſarum edulcorant. Verum expectationi non ſatisfacere ipſe ſæpius fui expertus. Et quod prætereà alii de Antimonio inferius ſaltem operante proferunt, utrum ita ſe ſe habeat, an ſecus, cum nondum ejus viderim effectum, ego nihil certi de hoc proferre poſſum.

Præter dicta *Vomitoria* ſunt etiam adhuc alia uſu recepta, qualia *Sirupus de Peto ſimplex & Compoſ. Quercetan.* præterquam enim quod pectus mirificè expurgent per ἀνακάθαρσιν per inferiora quoque potenter educunt. *Aqva formicarum ejusdem* cū aliquot granis gummi de Peru etiam ſuperius & inferius evacuat.

Vomitivum Conradini ex rad. bryoniæ. cyclamin. & hellebor. alb. paratum, nonnullis etiam in uſu eſt.

ELIXIR EMETICUM.

Rec. Cortic. radic. Eſul. rec. ℥i.
quibus ſuperaffunde
Aceti deſtill. ℥ii.

Et in vitreo vaſe aceto leniter deſtillato, denuò exſiccetur; His ſuperadde

Radic; Aſari ℥iß.

Contundantur ambæ radices in pulverem groſſum, & cum ſ. q. Spiritus Vini repetitis vicibus affuſi extrahatur earum tota eſſentia, quousque nimirum Spiritus tingatur: Extractiones omnes in alembico vitreo ad conſiſtentiam Extracti abſtrahātur quod Extractum de novo ſolvatur cum

Aq. Cinamam. opt. ex vino deſtill. ℥iß. ac per chartam bibulam filtretur.

Doſis eſt à ℥ß. ad ℥i. Zvvelffer.

ELIXIR HELLEBORINUM.

Rec. rad. hellebor. nigr. ℥ij.
albi ʒvj.
quibus

quibus parum contuſis ſuperaffunde
acet. deſtill. ℥iv.

Acetum exhalare finito, ut radices exſiccentur; extrahe eſſentiam cum Sp. Vini repetitis vicibus affuſo fiat inde Extractum, quod denuo ſolvendum cum Aq. Cinamom. ℥iij. filtretur, & uſui reponatur.

Hæc de *Vomitoriis* ipſis dicta ſufficiant; Reſtat jam, ut de *illorum verâ ac genuinâ adminiſtratione* diſcurſum noſtrum continuamus.

Doſis illorum ſit juſta & exacta; variet tamen pro vomentis, & ipſorum vomitoriorum naturâ. Quædã enim parciori exhibita manu vim ſuam amittunt, & per alvum purgãt, ut *Oxymell. Scill. Sirup. de Peto* &c.

Juſtæ doſeos indicium eſt, ſi flava & viridia evomantur, imperfectæ, ſi tantum aquea & alba. Verùm ſciendum eſt, colores illos non ſemper in humoribus fuiſſe, ſed & ſæpe à Medicamentis fuiſſe inductos.

Quoad utendi modum, qui quidem non vomendi formam ſed facilitatem monſtrat, circa aſſumenda, & tempus obſervandum ſciendum eſt, quædam obſervanda ante vomitum, in ipsâ Vomitorii aſſumptione, in ipſo vomitu, & poſt Vomitum.

Antequam Vomitorium præſcribas, benè perpendas *primò*, qualis ægroti corporis diſpoſitio, & an humores adſint in ventriculo craſſi & viſcidi, qui, ſi fuerint tales, primum ſunt attenuandi & abſtergendi, viæ mollíendæ & laxandæ ſunt. *Deindè* videndum, an circumſtantia quædam adſit, quæ ab uſu vomitorii te revocare poſſit, ſic in hæmoptoicis, tabidis, & uterinis affectibus, ut jamdum ſupra monuimus, Vomitoria valde noxia ſunt. Conſiderandum inſuper, an ventriculus ſit robuſtus & anarhope humorum adſit.

Qui lenem expoſcit Vomitionem ad evacuandum ſolum Ventriculum, adſumat Vomitorium pleno ventriculo, qui graviorem, ad totum corpus evacuandum, vacuo. Sic etiam, ſi quis ad vomendum non ita facilis ſit, præſtat à cibo vomitum proritare, potiſſimum ſi craſſi fuerint humores: ſi verò ad vomendum fuerit facilis, nec humores multùm ſint rebelles, præſtabit illud jejuno tentare ventriculo. Sic in Ventriculi imbecillitate ex intemperie frigidâ & humidâ, quæ multas parit cruditates phlegmaticas, antequam Vomitoria propines, prius repleas ventrem variis cibariis, ſalſis, unctuoſis, vino dulci; poſt ad dimidium horæ capias Vomitorium. Paulo poſt cieatur Vomitus digito aut pennâ oleo intinctâ inque gulam inſertâ. *Joh. Fernel. Lib. 3. Meth. Med. c. 3. Ludovic. Septa. in animadverſ.*

Adſumpto Vomitorio non ſtatim ſuperbibat æger cereviſiam aut aliud juſculum, ſed demum, ubi demum bis terve vomuerit, aliàs vim vomitorii obtuncit, non promovet.

Qui

Qui quieſcit, & in lecto jacet, vix dimidiam partem ejus vomit, quod ille, qui ſe commovet.

Poſt vomitum lac dulce cum pane candido exhibeatur, hoc enim œſophagum & ventriculum iterum demulcet.

Si dolor capitis à vomitu oriatur, bibas juſculum acidum, acida enim omnes reliquias ad inferiora præcipitant, & deturbant.

Si Vomitoria nimis operentur, compeſcenda ſunt vel acidis, quæ adſtringunt, contraria laxatione; vel Laudano Opiato, ut ſopiatur facultas Expultrix.

Quibus *Antimonialia* ſunt oblata, iis nec ante eorum adſumptionē, nec poſt, niſi diebus tribus elapſis vena ſecanda eſt. *Grülingius.*

Vomitoria æſtate magis conveniunt, quàm hyeme. *Hippocr. ſ. 4. a. 4.* Æſtatis enim tempore coacervantur humores Sulphurei calidi, qui leves, volatiles ſunt, & ob ſui indolem igneam ſurſum vergunt. Ergò per ſuperiora, nempe per vomitum ſunt ducendi. Hyemis verò tēpore materia craſſa & viſcida, quæ gravis, ob ſui gravitatem deorſum facilè deturbatur: ideoque per alvū evacuanda. Proſunt tamen & excitari etiam poſſunt vomitoria hyeme, ſi ægroti conſtitutio & morbi Natura illa requirat.

Tempus Matutinum quidem, ſi jejuno ſis ventriculo, eſt optimum, ſi tamen corpus ad vomendum non ita facile, vel Venena ſint adſumpta, etiam à cibo circa meridiem vel noctem vomitus poteſt provocari.

In *Chronicis affectibus*, ubi ventriculus ſæpè vitioſis ſcatet humoribus, non rarò neceſſarium eſt initiū curationis facere à vomitu. Et in plurimis affectibus, ut *Catarrho ſuffocativo, Peſte, Morbis venenatis, & febribus* in principio ſtatim, materiâ febrili adhuc in ventriculo viciniſque partibus fluctuante, vomitus eſt imperandus. In *Febribus intermittentibus* interdum horâ unâ & circiter ante paroxyſmum, quando ventriculus in hiſce mali cauſam auget, aut ad ipſum ex partibus viciniis in acceſſionum initio humores vitioſi fermenti febrilis producta delabuntur, Vomitoria non ſine ingenti adhibentur fructu.

CAPUT X.

De Clyſteribus.

CLYSTERES ἀπὸ τοῦ κλύζειν, quod eluere ſignificat, derivati, appellantur etiā *enemata* ab ἐνίημι, quod eſt immitto, quia per inſtrumentum ſiphonem dictum immittuntur; Et licet *Enema* propriè denotet liquorem, qui injicitur, & *CLYSTER* inſtrumentum, per quod liquor immittendus. *Galen. 4. Meth. Med. cap. ult.* tamen hæc duo vocabula communiter ſumuntur indifferenter.

Hujus Medicamenti inventioni

primùm anſam dediſſe *Ibin* Ægypti avem, ciconiæ non abſimilem, author eſt *Galenus lib. de Venæſect. adverſ. Eraſiſtrat. cap. 6. & Plinius lib. 8. Natural. hiſtor. c. 27*, quæ aquâ marinâ aduncum collo procero roſtrũ podici adaptando excrementa expurgat, & ſic viſcera eluit.

Horum ſignificatio homonyma eſt; vel enim eſt lata, pro omni injectione, & ſic pro ratione partium, quibus applicantur, *alii ſunt Auriculares*, qui Auribus infunduntur. *Alii Uterini* ab utero; *Veſicales* ſunt alii, & *inteſtinales, qui inteſtinis infunduntur*, de quibus in præſentiarum noſter ſermo erit.

Sunt autem *Clyſteres* ſtrictè ita dicti liquores modo ſimplices modo cõpoſiti, ob varios uſus per ſiphonẽ in inteſtinum rectum tepentes infuſi.

CLYSTERUM materia ratione *uſus* eſt varia; interdum ſimplex ſumitur liquor, interdum compoſitus adhibetur. Simplicem liquorem conſtituunt Oleum, mulſum, vinum, Urina pueri, Muria, Lac tepidum, ſanguis calens, decoctum avenæ excorticatæ &c. *Galenus* acerbiſſimo aliquando coli dolore vexatus ex Oleo rutaceo clyſterem infundendum curavit ad pituitæ viſcidæ excretionẽ, & convaluit. *Rondeletius* vinum Hippocraticum ad colicos dolores Mulieri commendavit. Urinam pueri, vinum bibentis quidam in hydrope infundunt. *Galenus* clyſteres commendat ex muriâ in doloribus Iſchiaticis & cœliacis veteribus 1. *Simplic. c. 4.* illa enim validam habet attrahendi vim, abſtergit, incidit, attenuat. Idem *libr. de attenuant. victus rat. cap. 11. Rhaſis lib. de mirabilibus curis*. Sanguinem calentem ex quovis animali extractum in fluxu hæmorrhoidali immodico *Felix Platerus* & *Riverius* præſcribunt. Lac tepidum ad vermes alliciendos utile eſt. *Rulandus Cent. 7. Curation. Empiric. Lac* in quo ſilices igniti fuerunt extincti aliquot vicibus in *Dyſenteriâ* proficuum dicit. Decoctum avenæ excorticatæ alvum ſiſtit, acrimoniam humorum corrigendo.

Compoſiti CLYSTERES conſtituuntur ex certo liquore, & in liquore iſto quædam coquuntur, vel infunduntur, & poſt coctionem demum aliquid certi additur.

Tot *Clyſterum* ſunt genera, quot inteſtinorum ſunt vitia. *Alii enim alterant, alii fæces emolliũt, alii fluxiones cohibent, alii morſus & humorum acrimoniam compeſcunt, alii dolores leniunt, ulcera detergunt, aut ſiccant; Horum rurſus alii purgant, flatus diſcutiunt, alii vermes enecant, alii nutriunt.* De illorũ vario parandi modo agit *Mercatus lib. 1. Indicat. c. 3.* quo loco plures alias invenies differentias Nam alii carnem generant, conſolidant, vel cicatrice obducunt, ſomnum conciliant, inteſtina roborant, venenis reſiſtunt; & ad infe-

inferas partes humores revellunt.

Horum materiæ, ex quibus componuntur, præterquam quod aliàs notæ, etiam ex Authoribus Practicis ſunt deſumendæ. Nos in præſentiarum quid penes ſingulos tantum ſit obſervandum *in Methodo Medendi* notatu dignum, enucleabimus.

Alterantes Clyſteres vel calefaciunt, vel refrigerant; illi conveniunt partim cum detergentibus, partim cum carminativis. Iſtis utimur in Inteſtinorum æſtu febrili aut inflammatione, vel ad totius corporis refrigerium, in febribus ardentibus, Hecticis &c. Potiſſimus tamen eſt illorum uſus in febribus, ad temperandos humores, eosque emolliendos & expurgandos inteſtinis adhæreſcentes; ne retenti majore concepto calore magis corrumpantur, febrem augeant, ſuo tetro vapore caput feriant, & alia inducant ſymptomata.

Circa Emollientes notandum, hiſce purgantia vel alia irritantia non facile ac temere eſſe addenda, ne mali cauſa augeatur. Hinc *Hippocr. lib. 2. de Morb. Mulier. Si ſtercus educere voles, nullum pharmacum bibito, ſed aliis utere, nam præter hoc, quod nihil magis efficient, plus ad inteſtina trahent.*

Qui fluxiones cohibent variis modis ſuam exſerunt virtutem; Quidã enim tenues incraſſant humores, quidam acres imbibunt. Nonnulli inducunt inteſtinis cooperimentum, ne vel humoris ſævitiem, vel acrimoniam perſentiſcant. In horum uſu obſervandum; *primò*, ſi humores ſalſi, & craſſi adſint, acrimoniam illorum prius eſſe retundendam, & temperandam, quàm condenſemus ſtatim, majores aliàs dolores & fluxum diuturniorem concitaturi: ideoque humorum acrimoniam mitigantia ante adſtringentium uſum ſunt adhibenda, ne acrior humiditas condenſata fortius erodat, & majores dolores inferat. *Deindè*, ſi volumus valdè adſtringere, oleum eſſe omittendum, in primis in Dyſenteriâ; quo enim plus Ulcera inteſtinorum putreſcunt, adſtringentia augere, & oleoſa detrahere convenit; Ulcerum enim curatio hiſce potius impeditur, quàm promovetur. Si tamen ſymptomata urgeant, oleoſa etiam, quæ ſuâ lubricitate conſolidationem quidem impediunt, immiſceantur, ut rectè *Gal. lib. 12. Meth. Med. & lib. 1. de Simpl. facult. c. 36.* inquit; *In Dyſentericis dejectionibus, ubi vehementer rodunt, vel tragi ſuccum, vel ſevum hircinum per inferiora indimus, quibꝰ exulceratio non quidem ſanatur, vires autem quieſcunt. Cum Sevum probè diſſolvi nequeat, & facilè in inteſtinis concreſcat & congeletur, prius cum modico olei roſati eſt temperandum, & probè calefaciendum.*

Anodynos clyſteres *Sennertus lib. 1. Medic.*

1. Medic. Practic. cap. de Phrenitid. in ſummo virium lapſu, ubi opiata non commodè interius aſſumuntur, clyſteribus admiſcendos eſſe monet. Verum corrigentia non omittenda, qualia ol. anethi, roſac. chamæmel. Nonnulli in Dyſenteriâ quoque hujusmodi opiatis utuntur, ſed malè faciunt. *Minadous* enim Patavinus Doctor obſervavit omnes illos Dyſentericos, qui de Conſilio Medicorum opiatis uſi fuere clyſteribus, mortuos eſſe, ratio eſt, quod ulcera inteſtinorum ab Opiatis putridiora & ſordidiora reddantur.

Purgantes Clyſteres ut plurimum in Epilepſiâ, Melancholiâ, Apoplexiâ & ſoporoſis commendantur affectibus, ut non ſolum ex inteſtinis, ſed & univerſo corpore evacuent, & à ſuperioribus revellant partibus. *In Apoplexiâ* inquit *CL. WALLÆUS*, *tam acres interdum clyſteres è colocynthide præſcribere neceſſum eſt, ut ipſum ſanguinem eliciant.*

Nihil obeſt, vita enim ſervanda erat, & damnum hoc facilè reparari poteſt; idque eò tutius peragitur, ſi Apoplexia ex copiâ ſanguinis retenti fuerit ſuborta. Nec enim novum eſt in doctrinâ *Galeni*, Morbos Morbis curari, qui vel illis ſuperveniunt, cum commoditate ſummâ à Naturâ excitati, vel ab Arte inducti: quâ etiam ratione juvit Clyſter ex muriâ paratus in dolore Anchæ, licet ſanguis per inteſtina fuerit ſubſequutus. *Rhaſis lib. de Mirabilibus curis.* Vide *Zacut. Luſitan. Lib. 3. de Medic. Princip. hiſtor. 31.*

Si *Caput* vel *Pectus*, vel *hypochondria* purgare velis, ſpecificas adde plantas, ſi facultas videatur ſopita, acria eligenda. Nos Vitrum Antimonii, Crocum Metallorum, Mercurium Vitæ & alia tutò in Clyſteribus urgente neceſſitate adhibemus, non neglectis corrigentibus. Quod ſi virtus Expultrix cum fecum duritie eſt torpida, aut in inteſtinis crudorum humorum adſit copia, emollientia irritantibus & evacuantibus ſunt miſcenda.

Flatus diſcutientibus Clyſteribus emollientia & leniter evacuantia admiſcere conſultum eſt, alias majores ſolent excitare cruciatus. *Nam ſi flatuoſus Spiritus*, inquit *CL. Mœbius de uſu Clyſterum*, *craſſus denſusque fuerit, aut materia multa & denſior, quam quæ carminantibus Medicamentis evinci posſit, iisdem potiꝰ flatus multò plures generantur, & qui antea erant crasſiores, tenuiores evadunt: fit itaque ut diſtenta & dolens pars flatus novâ propagatione & attenuatione amplius diſtendatur, Oleumq; camino addatur.*

In Renum doloribus etiam quæ flatus generant, ſunt omittenda, & ob hanc cauſam neque *Casſia*, nec *diacatholicum* admittendum. *Solenander in Conſil. fol. 300.*

Vermes

Vermes enecantibus Clyſteribus ſi mel vel ſaccharum cum Mercurio prius benè agitatum addas, exitium animalculis iſtis parabis.

Nutrientes Clyſteres in anginoſis famelicis, exhauſtis debilibus, gravidis, utero ſuffocatis, vomitabundis, & faſtidio oppreſſis miro ſunt ex uſu. Partes enim tenuiores infuſorum per Clyſteres trahuntur à ventriculo tempore neceſſitatis, nam ventriculus famelicus crudos, & planè incoctos ſuccos, & quoslibet injectos liquores imò fæces ipſas ſæpè prolectat, quo loco portio infuſorum ad ventriculi fundum attracta in chylũ vertitur; & quod venæ lacteæ ramificentur ad inteſtina, quæ ex ipſis infuſorũ tenuiores alliciunt portiones. Denique inteſtina non ſolum alimẽtum à ventriculo demandatum concoquunt, ſed etiam inde chylum cõficere poſſunt, inteſtinorum enim & ventriculi eadem eſt Subſtantia, ſive temperiem, ſive colorem, ſive tunicarum contextum ſpectemus. *Galen. 4. de uſu part. 17.* Cur ergò, ſi coctio, quæ fit in ventriculo, peragi poteſt in inteſtinis, infuſa per clyſteres concoquere & in verum chylum transmutare non poterunt inteſtina? Et cum chylificent, cur ſuccum infuſum tenuisſimum, tum ſuo, tum viſcerum circumſtantium calore non coquent & concoctum per vaſa diſtribuent; & maximè ſi is ſit concoctu facillimus, ut Vinum, Ovorum vitelli, contuſum carniũ electuarum &c. Vid. *Oribaſ. lib. 8. cap. 24. Cardanus lib. 2. contrad. tractat. 6. Contr. 6. Lud. Mercatus 1. Indicat. 3. Zacut. Luſitan. in Prax. hiſtor. lib. 4. c. 14.* Sed, ſi Clyſteres ex mente Galeni & aliorum Medicorum Clariſſimorum non tranſcendunt cœcum inteſtinum ob valvulã in Colo extenſam (*lib. 5. Meth. Med. 11. & lib. 13. cap. 17.*) quomodo primò, à Capite & partibus diſtantibus revellere poſſunt? & quomodo deindè nutrire poſſunt totum corporis habitum? Verùm ſciendũ eſt Clyſteres infuſos quoad corpulentiam & Subſtantiam ſuam cœcum inteſtinum naturaliter non tranſcendere, ſed communicatione effluviorum, quæ ad longinquum permeant, ex toto evacuare poſſunt, ſimiliter ſucceſſione ad id, quod vacuatur, quâ de causâ revellunt à capite potentisſimè; *Vnde CL. Mœbius l. c.* inquit, *Clyſterum virtus apta nata eſt educere omnes excrementitios humores, non ſolum ex inteſtinis & hypochondriis, verum etiam ex toto corporis habitu, dubio procul ob effluvia Purgantium per Clyſteres in Colon deductorum fermentantia per arterias & venulas Meſentericas, tum etiam per poros inſenſiles, maſſæ ſanguineæ communicata, quæ inſtitutâ ſeparatione vitioſi à bono, irritant expultricem in quovis membro corporis ad ejiciendum, & ita non ſolum craſſa tartarea recrementa, verum etiam ſeroſa, aquo-*

ſa & tenuia per meſentericos ramos ſæpè exterminantur. Et inde humorum à partibus remotis revulſio fit, in Catarrho ſuffocativo, Apoplexiâ, Pleuritide, Anginâ, Epatis inflammatione & aliis diſtantium ab inteſtinis Partium Affectibus. Quæ cauſa eſt, quod *Galenus ſec. loc. c. 1.* Clyſteres non ſolum alvi excrementa deponere, dicat, ſed etiam quæ circa hepar ſunt, & adhuc longius ex toto evacuare, manifeſtè aſſerat. *Si Clyſteres*, inquit *CL. Sennertus lib. 3. part. 2. ſ. 1. c. 1. à fortioribus Medicamentis componantur, etiam è venis Meſamicis, imo univerſo corpore evacuare poſſunt*, & teſtatur id experientia, quâ conſtat ſuppoſitoriis ex Ellebo ro albo factis applicatis eadem ſymptomata excitata fuiſſe, quæ iis, qui Elleborum ſumſerunt, evenire ſolent, & *vitri Antimonii* granis tribus glandi inditis non ſolum alvum copioſe motam, ſed & vomitus excitatos fuiſſe, Nec ratio deeſt, cum enim inteſtinum Colon vim Medicamenti ſuſcipit, per venas, humores in trunco aörtæ movet, unde etiam accidit, ut poſt Medicamenta purgantia umbilico applicata purgatio ſequatur, quia à venis vis Medicamenti purgantis excipitur. Si igitur Purgantia ex inteſtinis ad totum corporis habitum penetrare poſſunt, cur alimentis idem erit denegandũ? vid. *CL. Mœbius l. c.*

Hûc ob analogiam CLYSTERUM nova etiam ſpectat CLYSMATICA hocce ſeculo inventa INFUSIVA & TRANSFUSIVA, ſive CHIRURGIA INFUSORIA ET TRANSFUSORIA. In ILLA in venâ ægroti ſubductâ prius aliquâ ſanguinis portione liquorem aliquem Medicamentoſum vel purgantem, aut Alterantem aut Confortantem ſummæ activitatis & ſubtilitatis per peculiarem tubulum ad hanc rem fabrefactum infundunt, ut ægrotantes hoc modo non ſolùm purgentur, ſed & agonizantes quidam reficiantur, ad ſudorem iterum ſuſcitatâ novâ penes illos ſanguinis fermentatione diſponantur, & aliæ etiam alterationum Ideæ Maſſæ ſanguineæ pro diverſo Morborum reſpectu imprimantur, & ita curatio magis reddatur expedita, dum Medicamentum ſanguini contribuendum immediatè ſine ullis ambagibus Venam penetrans ſanguini amicabili maritatur connubio, nec opus habet in ventriculo & inteſtinis longis digeſtionum momentis ſubjici, & de viribus ſuis aliquid deperdere, & modo hanc, modo illam ſuſcipere Alterationem.

In HAC, ſcilicet TRANSFUSORIA ſanguinem alium ſive hominis, ſive alterius animalis ſani, Agni in primis immittunt, ubi affecti prius ſanguinis copiam inſignem Venæ-ſectione exhauſerint.

Verùm plus habet novi hujus inventi ratio momenti in theoriâ, quam

quã ipſâ Praxi, plus in invẽtione, & imaginatione quã ipſâ operatione & effectione fundamenti. Plauſibilis admodum eſt & primô percepiu jucunda, aliquam præ ſe ferens veri ſpeciem, ad ipſam autem Experientiæ & Rationis incudem revocata, cadit & nullius eſt pretii.

Et verò CHIRURGIAM INFUSORIAM, quâ liquores purgantes, vel alterantes & confortantes in Venarum receptacula infunduntur, quod attinet, certè hæc admôdum operoſa, impoſſibilis, periculoſa partim, imò minus neceſſaria eſt; Nam Medicus hanc operationem imperans nondum uſu probatam ac à ſanioribus Medicinæ cultoribus receptam, tum ipſum ægrotantem, tum ipſos etiam ægrotantis agnatos & adſtantes poteſt habere refractarios, & diſſentientes, & ſi demum annuerint, ſalutaris autem eventus Medici intentioni eiusq; promiſſis non reſpondeat, futurum, ut ipſius fama maximè ſit periclitatura Chirurgo autem adminiſtranti facilè metũ incutiet, ut vel in ipſâ operatione errorem committere queat. Et ſi demum liquor aliquis infuſus Maſſæ ſanguineæ communicetur, certè aut ille ſtatim immutabitur, antequam cordis attingat veſtibulum, aut ſalvis viribus mediante circulari ſangvinis Motu per reliqua viſcera epar, lienem, pulmones &c. eò feretur; ſi prius eveniat, quemnã fructum ægrotantes ab ejus immiſſione expectabunt? Sin poſterius; quas quæſo turbas ob hoſpitem exoticum, cor ac reliqua viſcera excitabunt? Quod ſi etiam in agonizantibus liquor in venam immiſſus aliquod afferre debet auxilium, vectore quopiam indiget, quid autem illo abſente æger ſolaminis hauriet, in quo motus ſanguinis partim torpidus, partim tardus, modo planè interruptus, ut infuſam liquoris vim cordi ac reliquis corporis partibus communicare vix poſſit, ſummâ roboris vitalis jacturâ laborantibus. Et poſito circulationem ſanguinis, ut in Anginâ, Epilepſiâ, apoplexiâ, febribus ardentibus &c. fit, partim eſſe auctam, partim imminutam partim depravatam, quomodo de liquore conveniemus imittendo? In CLYSMATICA NOVA deprehendi Aquas deſtillatas ex Card. 6. cochlear. &c. in venas fuiſſe infuſas contra febres & Scorbutum; vah! quæ dementia? Taliſne eſt horum Laticũ effœtorum virtus, ut miaſmata morbifica vi ſuâ abſterſivâ eluere poſſint? Et in eâdem CLYSMATICA refertur, Spiritum Vitrioli acidum ac corroſivum illud ſtagma, item Aquã fortem, quales in officinis venales, cani infuſos, eum interfeciſſe, Sulphuris verò Spiritum alteri inſtillatum novis imprægnaſſe viribus ac robore. Sed, unde tanta promanavit virtus? præterquam enim, quod Sul-

Sulphur cum Vitriolo ejuſdem ſint progeniei, uterque etiam acidus & corroſivus eſt, adeoque eoſdem etiam præſtant effectus, quemadmodum & Aqua fortis, figendo ac coagulando volatilia ſanguinis Salia. Et quamvis purum putum etiam Sal Tartari fixum, vel etiam aliud alkali volatile ſanguini infundas, tamen & hoc Nectar illud purpureum coagulabit, præcipitabit, & immutabit. Si igitur acidum pariter & alkali deſtruunt ſanguinis compaginem & in neutra cum eo abeunt ſalia, qualia ex acido & alkali etiam volatili conflata, ecqui quæſo deſideratos vel promiſſos dabunt effectus? Maſſam autem ſanguineam alkali conſtare volatili Vulcani adminiculo conſtat. Si igitur fluctuanti ei intra ejus receptacula inſtilletur acidum, vel alkali dejicietur illa protinus & cum inſtillato Sale in coagulum abibit. Ecquem in finem nova hæc CLYSMATICA INFUSORIA eſt inventa? Non ob intemperiem ſanguinis corrigendam, dum hæc non ſimpliciter à ſanguine, nec in ſanguine ſolùm, nec ex ſanguine, ſed ab intemperie principaliorum viſcerum ſuam habet originem; quo liquor immiſſus absque turbis gravioribus vel vitæ periculo non perveniet; nec ob Subſtantiam ſanguinis corruptam, quæ cacochymia eſt, emendandam, hæc enim purgantia indicat & malè affectorum viſcerum confortantia. Non dicam de difficultate in juſtâ ac legitimâ doſi hujus liquoris infundendi determinandâ, nec aliis circumſtantiis.

Circa TRANSFUSORIAM infinita etiam exſurgunt dubia. Difficilè admodum erit ſanguinem alterius animalis aut hominis calentem absque Spirituum jacturâ inprimis arterialem non per ordinaria ſanguiduca, ſed alienum Inſtrumentum vel Metallinum, vel ligneum aut alterius Subſtantiæ in hominem transferre. Et licet fieret, hoc tamen dubium manſurum, annon illi, quibus adminiſtratur, huicce periculo ſint expoſiti, ne cũ ſanguine humano, vel alio brutali inclinationes, mores, ac aliæ infinitæ impresſiones ſeu Ideæ traducantur? quæ cauſa etiam eſt, quod calidus ab Epilepticis exhauſtus ſanguis diſſuadeatur. Deinde dubium eſt, annon transfuſus hâc ratione ſanguis etiam interiret, ubi animal, cujus eſt ſanguis, Morti traditur, quomodo adſcititius alius naſus emortuo illo, ex cujus brachio exciſus fuit, putreſcit ac decidit, monente Excell. D. D. Sulzbergero, Academiæ Lipſienſiis Profeſſore, in programate de Novis hiſce inventis.

Hæc de *CLYSTERUM Differentiis*, & quæ in *illorum adminiſtratione* & *uſu* ſint obſervanda; Sequitur jam de *Materia quantitate* in componendo Clyſtere obſervandâ; *de Modo parandi & applicandi Clyſteres*, & quo

quo tempore illud ipſum fieri debeat.

Liqvor coctioni deſtinatus duplo vel triplo ſit major, quàm in *Clyſtere* parato, ſiquidem ut plurimum vel ad dimidiam, aut tertiam coquitur partem.

Purgantia in duplo, vel triplo pro ratione potionum ex infuſione paratarum, & per os dandarum, ſumenda; *Fortiora* ut troch. d. agaric. Scammon. colocynth. in petiâ ligata coquenda ſunt, ne inteſtinis craſſior earundem materia adhæreat tormina excitatura. *Mercurialia & Antimonialia* cum facilè ſubſideant, nec coctione craſſiores emittant partes, ſine petiâ elixationi ſunt cōmittenda.

Circa *Compoſitionis Modum* notandum eſt, curioſâ compoſitione non opus eſſe. Cum nimia radicum, foliorum, ſeminum, florum, fructuumque varietas, quibus poſteà Oleum & alia accedunt, *Clyſteres* malè olentes pariat, qui nidore ſuo fœminis uterum commovent, & viris etiam caput, osq; ventriculi tentant, atque afficiunt. Unde & hodiè celeberrimos Medicos ſæpè ex unâ plantâ vel paucis ſeminibus Clyſteres utiliter parare videmus. *Sennertus Inſtitut. lib. 5. p. 3. ſ. 3. cap. 24.*

In *Qvantitate CLYSTERIS* applicandi *infantib9* ſufficiunt ad ſummum ℥ij. vel ℥iij. *Pueris* à ℥v. ad ℥vij. Adultis communiter ℔j. Proceris & robuſtioribus ℔iſs.

Notandum tamen *primò*, corporibus ſenilibus, debilibus & gravidis leviores & minores eſſe concedendos. *Deindè*, in affectibus, in quib9 diu detinendi Clyſteres minorem debere eſſe eorum quantitatem. Sic in Nephritide ad ℔ſs vel ad unicas paucas ſaltem doſin menſuramus, ne injecti liquoris quantitas inteſtina gravet, diſtendendo dolorem exaſperet. Idem obſervandum in Colicâ, Iliacâ, ulceribus, & gravioribus inteſtinorum fluxionibus, in Enterocele, Dyſpnœâ, Hydrope, &c.

Modum applicandi Clyſteres quod concernit, eſt iſte notisſimus; Et in ipſo applicandi actu reſpectu applicantis & recipientis quædam ſunt obſervanda.

Is, qui *Clyſteres*, applicat, Inſtrumentum oleo quodam oblitum ad inteſtini recti ductum obliquum inſerat, & circumligato bombyce ad cohibendum ſubitaneum refluxum ſenſim liquorem injiciat. Cavendū etiam, ne unâ cum clyſmatis materiâ multus intrudatur Spiritus, ne flatus ſurſū pellantur, & tormina excitentur.

Æger, qui *Clyſma* recipit, utrum debeat eſſe ſupinus, an ad latus decumbens? non conveniunt Doctores. *Avicenna* ſitum commendat ſupinum, & quandò aliqua pars dolet, in latus dolens debet æger revolvi. *Aliqui addunt*, ut crura eleventur, ſic enim liquor meliùs aſcendit. *Alii*

imperant, ut ægrotus jaceat ſuper latus ſiniſtrum, ſic enim facilius cõmunicatur liquor, quàm ſi decumbat ſuper latus dextrum, pulvinari ſub coxâ repoſito, ut hæc altior ſit ventre, & crure ſiniſtro diſtante, & crus dextrum eſt elevandum, & flectendum verſus ventrem, hoc enim modo citius aſcendit in inteſtina & verſus omnem partem accedit. Verùm nihil refert, ſive æger ſupinus, ſive pronus, ſive in latus ſiniſtrum aut dextrum revolvatur, modo placidè fiat, nec ante tempus enema ejiciatur.

Poſt *Injectionem æger* ab omni motu quieſcat, ne diaphragma & muſculi abdominis attollantur & comprimātur. Retineatur per horā integram, ſi fieri poteſt, minus temporis ſpatiū inſufficiens, majus excedens.

Quidam ex conſilio *Rondeletii 7. Meth. Cur. Morb. c. 24.* remanentiam, è quâ Clyſter coctus, ventri ſimul imponunt, ad modum cataplaſmatis. *Melancholicus humor*, ait, *ille, non ſolum in venis, ſed & in Muſculis ſparſus hæret.*

Qvantitas humores educendi; in primo ordine eſt unica excretio, in ſecundo tertia, quarta, & in tertio quinta aut ſexta. Nunquam ad duodenarium numerū aſcendere licet.

Qvoad tempus Morbi, ſi Morbus eſt ſaluber, nec periculoſus, *Clyſter* præcedat omnium aliorum Medicamentorum, ſive Venæ-ſectio, ſive ſudorum provocatio ſit, adminiſtrationem, ſi neceſſitas poſtulet; Sic in *Dyſenteriâ*, ubi adeſt humorum acrimonia à principio ſtatim, antequam inteſtina ulcerentur, abluentes & acrimoniam illam temperantes Clyſteres ſunt applicandi. *Revellentes* etiam in principio Morbi fecibus alvinis durioribus prius per emollientes ſecluſis conveniunt. Anodyni etiam omni conveniunt tempore; Si verò Morbus ſæviat, ſuique vehementiâ periculum minetur, ut *Pleuritis, Angina, cæteraque internæ inflammationes*, prius Venæ-ſectio eſt adhibenda, ſubſequente poſtmodum Clyſtere.

Clyſteres Adſtrictorii in Morbi progreſſu conveniunt, poſt deterſorios adhibitos & conſolidantes.

Vermes necantes ſunt jejuno applicandi ſtomacho. Prout & in omnibus reliquis opera danda, ut ventriculo à cibis vacuo exhibeantur, aliàs cibꝰ ſtatim unà educeretur, & concoctio ita læderetur. Accidit interdum, ut in Febribus ex nimio potu purgantia retineri nequeāt, ſed ſtatim evomantur; ſi tunc præmittatur Clyſter, purgans retinebitur. Idem ſæpè accidit etiam in Febribus Peſtilentialibus.

Interdum *CLYSTERES* infuſi Medicorum eludunt ſpem, & in inteſtinis ſubſiſtunt, id quod ut plurimū in atrociſsimis accidit doloribus *vel Nephriticis, vel Colicis*, ubi dolor expul-

pultricem ab officio revocans, vacuationem impedit, quæ cauſa eſt, quod dictis doloribus alvi ſæpè conjungatur obſtructio.

Quanquam *CLYSTERES* omnibus non ſolùm conveniant corporibus, Infantibus ſcilicet, Pueris, adultis, viris & Fœminis, verum etiam quibusvis ferè corporis affectibus ſint levamento, notandum tamen *primò* in Variolarum, Morbillorum & aliorum exanthematum eruptionibus, licet ſaltem ex lenientibus & eluentibus conſtent ingredientibus, omnimodè eſſe abſtinendum à Clyſteribus, ne Naturæ motus vel conatus à centro ad circumferentiam turbetur, eademque tunc anxiè occupata evidenter diſtrahatur, ejusq; præcipuum robur perperam divertatur. *Deindè* Gravidis purgantes Clyſteres non facilè eſſe exhibendos, quia vis eorum irritans inteſtinum Rectum & uterum illi incumbentem ſtimulat ad fœtus expulſionem. *Tertiò*, illis etiam, qui hæmorrhoidali obnoxii ſunt fluori, obeſſe, imò frequentem ac nimium illorum uſum fluxum hunc cauſare poſſe, & fieri nonnunquam ex regurgitante ſanguine horum vaſorum in inteſtinis Ulcera.

HELMONTIUS lib. de Febribus cap. 7. §. 8. Clyſteres frequens ac pudendum Medentum ſubſidium vocat. Ego olim, inquiens, *Enemata nunquam niſi cum pudore, ſuaſi, & deſcripſi. Poſtquam autem fida remedia nactus ſum, Clyſteres prorſus abhorrui, veluti beluinũ remedium ab Ave edoctũ. Etenim quod Clyſter quilibet, naturaliter ſit intentionis hoſtilis, exinde liqvet quod ſingula recipiantur per modũ & reſpectũ recipientis. Quod ſic latius explico. Oculi lacryma etſi ſalſa, tamen indolens eſt, quia oculo familiaris & cognata. Aqua verò ſimplex in oculo dolet, & aliud quidlibet. Urina quoq; etſi ſalſa non mordicat Veſicam. Decoctum autẽ qualecunque per cathætera intromiſſum, etiam ſvaviſſimum, dolet intus. Si verò lotium, vel tantillum aciditatis hauſerit, è novellis cereviſiis, aut aliundè, ingens mox ſtranguria, & lotii eſt ſtillicidium. Stercus ergò cum cognatum ſit inteſtinorum contentum, & domeſticum non mordicat, nec ſentitur, donec ad carnoſas recti inteſtini partes devenerit, tanquam Janitoris munere fungentes, ideoq; ſentiunt & urgent. Unde concludo, quod quilibet Clyſter, cum ſit peregrinus inteſtino, non poſſit non illi eſſe moleſtus & ingratus. Deniq; Clyſter nunquam adſcendit ad inteſtinum Ileon; Nam ſi 18. uncias injicias, jam magna ejus pars in tubo ſupereſt, vel foras elabitur injiciendo, adeòque tantum ad principia coli inteſtini pertingit. Deniq; reſolvunt Enemata purgantia cruorem in Meſenterio. Saltemq; interminis febrium loquendo. Nemo unquàm per Clyſteres eduxit febres:*

qvia loca materiâ febrili obſeſſa non adiverunt, neq; illa ſolantur unquam. Nec interim deſinunt contaminare, & emungere cruorem è venis, contermi-nis inteſtino. Clyſter hodiè laſciviori-bus populis tam familiaris eſt, quod elotio & adjumentum vocetur. Quaſi excrementum naturale velint eluere. Piis auribus pudorem ſuſcitant. Sunt etiam, qui Ignaviam inteſtino per Clyſterem introduxere, vel alio vitio contraxere, ideoque ſibi deinceps Clyſteribus aſſueſcendum perſuadent. Sanè vitium ſtipticitatis, ut aliâ radice ſcaturit ac pendet, facilè proprio ſanationis termino ſuccurritur. Etenim, ut qui minus laxam alvum habet, ægrotat; ita & qui pigram patitur, laborat. Sanandum eſt malum, non autem palliando per Clyſterem alvus quotidiè proritanda & laxanda eſt. Facilis nempe eſt prognoſis, quod ſic pergendo noviſſima ſemper fuerint deteriora, vitaque concredita ejusmodi auxiliatoribus neceſſariò accurſetur. Subſcribent his Nationes, quotquot laxantia in horrore habent. Ut Campinienſes, Arduennenſes, itemq; Aſcurani &c. quibus ut Clyſter eſt inſolitus & inauditus; ita Senium robuſtum & frequentiſſimum. Eſt tandem Clyſterium ultimus ſcopus, quod juſcula carnium liquatarum, ſpe alendi injiciant, quod profectò intolerandæ ſtupiditatis eſt argumentum. Nam injecti liquores primùm ſe miſcet ſtercori ibidem reperto, deinde infunduntur partibus, quibus proprium eſt cuncta in ſtercus mutare; ac tertiò conſtat per Experientiam, quod ejusmodi juſcula, ſi binis horis abinde rejiciantur, oleant non ſolùm ſtercus; ſed quodammodo Cadaver. Etenim cum non eatur ad ſecundum aut tertium, niſi per primum; non poſſit autem è cibis in ſtomacho indigeſtis, & in verum ac laudabilem chylum non commutatis, fieri cruor ullatenus: ſequitur etiam quod injecta juſcula cadaverentur; nunquam autem poſſint in alimentum tranſire. Nec arguit quicquam, quod ejusmodi juſcula carnem liquatam gerant per modum chyli; Nam actum eſt nihil, niſi prius ſuſceperint fermentales proprietates primæ digeſtionis, præparatorias ad vitam, alibi extra ſtomachum non reparabiles. Quicquid enim indigeſtum è ſtomacho labitur, moleſtum eſt, diarrhœas, tormina, itemque ructus nidoroſos movet, & Aſcarides gignit. Quæ autem infernè injiciuntur, quia nequidquam beneficii primæ digeſtionis habent, neceſſariò cadaverantur. Quia calorem loci quidem experiuntur, ſed orbantur verò fermentô vitalis digeſtionis. Hæc Helmontius.

Verùm illa admodum ſpecioſè quidem ita propoſita fuere à dicto *HELMONTIO*, ſed pace tanti Viri & ſalvâ ejusdem exiſtimatione regero, hæc omnia allata non omne ferre punctum.

Nam *primò* Ratio à Pudore petita inepta

inepta eſt, hoc enim modo nec gravidarũ, partus difficultate laborantiũ manus auxiliatrices utero deberent inferri; & glandes etiam, peſſaria, Syringæ & alia remedia aut inſtrumenta locis pudendis deſtinata eſſent poſthabenda. Verecundiam omnes quidem veneremur, ſed in loco ac tempore certô, ſi modo non præbeamus ſcandalum. Qui enim inepte verecundus eſt, ſpecie quâdã turpitudinis erroneâ oblatâ, ei in immanem dolorem prolabi proclive eſt. *Deindè*, quid refert, beluinum eſſe Remedium Clyſterem? tota remedia ob Authoris ignobilitatem non ſunt rejicienda, in primis ſi illorum effectus ſit laudabilis. *Tertiò* licet etiam Clyſter inteſtinis ſit hoſtilis, tamen ſalutaris eſt, & humores ex illis rejicit vitioſos. Vomitoria etiam ſunt ventriculo hoſtilia, & tamen eorum uſus nec ab ipſo *Helmontio* contemnitur. *Qvartò* quãvis Clyſteres non ad Ileum adſcendant, tamen illorum virtus altiùs penetrat, ut ſupra monuimus. *Quintò*, à veritate alienum eſt Enematũ ingredientia eſſe venenata; Diſſimilia ſunt Naturæ, non ſimilia; in eam operantur per irritationem, & alterationem. Correcta teſte Experientiâ nullã inferunt noxam. *Sextò*, licet ipſam non rejiciant febrim, tamen cauſam ejus occaſionalem diminuere poſſunt, unde *Argenterius in Galen. art. Medic. comm. 3.* febrium materiam ſæpe per Clyſteres expurgatam fuiſſe teſtatur. *Septimò* probandum eſt illos contaminare & emungere cruorem è venis vicinis. *Octavò*, nemo veterum notus eſt, qui Clyſteres damnaverit aut proſcripſerit. *Nonò*, inteſtinis per Clyſteres ignaviam induci, ut tandem officii ſui obliviſcantur, nec poſtmodum niſi iis laceſſita deponant excremẽta, hic metus nullus eſt, ſi intra recti ac veri uſus terminos maneamus. *Decimò*, Nationes quaſdam, ut Campinenſes, Arduennenſes & Aſcuranos &c. non habere Clyſteres in uſu, & tamen eſſe longævos, nihil obſtat. Dantur enim & hodiè, qui hoc remedii genere nunquàm fuere uſi, & tamen ſunt longævi, inde tamen nulla eſt ſequela, quod eorum apud alios nullus ſit relinquendus locus. *Undecimò* Clyſteres Nutrientes cum fecibus miſceri alvinis verum quidem eſt, negamus tamen in illas mutari. Et licet odore excrementorum imbuantur, non intermittunt tamen nutritium Naturæ deſideranti & anhelanti communicare ſuccũ. Alimenta ſolida quidem exactiorem ventriculi requirunt fermentationem aut fermentales proprietates, in ipſis inteſtinis perficiendas, ſi chylum pro ſanguine conficiendo ſuppeditare debent. Tenuia verò ac ſpirituoſa vel leviora in inteſtinis alteratione præviâ ipſius cordis ac maſſæ ſanguineæ virtute in ſuccum alendo

alendo corpori utilem mutari poſſunt. Vid. *CL. Rolfinck. in Meth. Curand. febr. general. cap. 28. & D. Mœbius in tr. de Uſu Clyſterum.*

FORMULÆ CLYSTERUM IN CAPITIS VULNERIBUS AD alvum aperiendam.

Rec. radic. ariſtoloch. rot. Valerian. ana ℥j. herb. verben, betonic. ana M. ij. fl. ſtoechad. A. hyperic. a. p. iii. coq. in ſ. q. aq. comm. Rec. Col. ℥viij. in quibus diſſolve elect. hieræ cum agarico ℥iſs. Vitell. ovi vj. M. f. Clyſter.

Si opus eſt revulſione, conveniunt Ruta, centaurium minus, fel tauri inſpiſſ. diſſolvi quoque poteſt in Clyſteribus, cum caſtoreo & ſalibus Cephalicis. His addi poſſunt, quæ convulſionibus Epilepticis & Apoplecticis reſiſtunt, cum iſti Affectus ſæpius ſupervenire ſoleant, ut Iva arthetica, lil. convall. radic pœon. & alia Epileptica & Apoplectica.

In Capitis Dolore ab humoribus aduſtis Scorbuticis orto.

Hîc Medici Practici fortisſimos ſolent præſcribere Clyſteres, eum in finem, ut Natura quaſi concuſſa exoſos vitioſos humores expellat. Hi enim Archéum movet, ut is ſe liberet ab irritantibus dictis humoribus per vim purgativam commotus; ex mente Helmontianâ.

Rec. Radic. polypod. hellebor. nigri ana ℥ij. fol. Malv. alth. Mercurial. Majoran. Centaur. min. betonic. ana. M. ſs. fl. borragin. bugloſſ. a. p. iij. Senn. A. ſ. ſ. ℥i.

Inciſ. & contuſ. coq. ſimul in ſ. q. juris carnis bovillæ non ſalitæ ad tertias, Rec. hujus Col. ℔j. adde Caſſiæ noviter extract. ℥i. diacatholic. ℥ſs. Mell. roſat. ℥i. ol. chamæm. ℥iſs. Sal commun. ʒſs. M. f. Clyſter.

IN LETHARGO; EPILEPSIÆ aut APOPLEXIÆ paroxyſmo.

Rec. radic. pyrethr. (valde ſtimulat & pituitam educit.) ℥j. agaric. ℥iij. pul. colocynth. in pet. ligat. ʒiſs. ſem. rutæ ʒi. fol. Rutæ. fl. Centaur. min. lil. convall. Stœchad. A. a. M. j. inciſ. & contuſ. coq. in ſ. q. aq. commun. Rec. Col. ℥viij. in quibus diſſolve elect. hier. Picr. cum agaric. ℥vj. fell. tauri inſpiſſ. ʒii. Mell. anthoſat. ʒvj. Sal rutæ ʒi. vitell. ovi j. f. Clyſter detur cum inſtrumento ſtatim applic.

IN PARALYSI.

Rec. radic. Angelic. Imperator. Irid. Fl. a. ʒiſs. alth. ℥i. Semin. carthami ʒiij. aniſ. ʒj. troch. de agaric. in pet. ligat. ℥ſs. hermodactyl. ʒi. Cardamom. cubebar. ana ℈ii. fl. Primul. veris. p. iii. anthoſ. Salviæ a. p. ij. herb. chamædr. chamæpyt. ana M. i. inciſ. & contuſ. coq. in ſ. q. aq. comm.

comm. Rec. colatur. ℔i. adde fell. tauri inſpiſſ. ʒiſs. Mell. anthoſat. ℥i. Hier. Picr. f. ℥j. Extract. Caſtor. ℈ſs. ol. d. rutæ. gutt. vi. Vitell. or. j. M. f. Clyſter.

IN MOTIBUS CONVULSIVIS.

Rec. Radic. pœon. ℥iſs. alth. ℥ſs. Stercor. pavon. ℥i. herb. galeg. rutæ. ana M. j. fl. tiliæ. primul. ver. lil. quall. ana. p. ii. coq. in ſ. q. aq. comm. Rec. Col. ℥vii. fell. tauri inſpiſſat. ʒiſs. el. hier. c. agaric. ℥j. Vitell. or. j. fiat Clyſter.

IN CATARRHO SUFFOCATIVO.

Rec. radic. Alth. ℥ſs. ariſtoloch. rot. ℥i. ſemin. fœnicul. ℥i. Carthami in pet. ligat. ℥vi. agaric. alb. in pet. ligat. ʒii. h. centaur. min. rutæ. betonic. Marrub. a. M. j. inciſ. & contuſ. coq. in ſ. q. aq. comm. Rec. Col. ℥viii. in quibus diſſolve Elect. hier. c. agaric. ℥iſs. fell. tauri inſpiſſ. ʒj. Vitell. ov. j. f. Clyſter.

Vel:

Rec. Spec. decoct. Pectoral. h. centaur. min. rutæ ana M. j. radic. ariſtoloch. rot. ℥iſs. coq. in ſ. q. aq. comm.

Rec. Col. ℥ix. in quibus diſſolve El. hier. c. agaric. ℥i. Sir. Nicotian. ℥iſs. Vitell. ov. j. Sal. gemma. ʒi. f. Clyſter; ſi catarrhus nimis contumax fuerit, poteſt Colocynthis in pet. ligat. addi, â ʒſs. ad ʒi.

IN ASTHMATE.

Rec. Herb. Marrub. hyſſop. Capill. veneris ana M. j. radic. Ireos fl. ℥i. Sem. carthami in pet. ligat ʒvi. agaric. alb. ʒii. coq. in ſ. q. aq. comm. Rec. Col. ℥viii. in quibus diſſolve Hier. c. agaric. ʒvi. Vitell. ov. j. M. f. Clyſter.

IN VOMITU.

Rec. Summit. abſynth. Centaur. min. h. Menth. ana M. j. radic. Aron. ℥i. coq. in ſ. q. aq. comm. Rec. Col. ℥ix. Hier. c. agaric. ℥iſs. Vitell. ovi j. fl. Clyſter.

IN CHOLERA.

Rec. Herb. mercurial. Malv. parietar. Scordii ana M. j. fl. malvæ p. iii. radic. alth. ℥i. coq. in ſ. q. aq. comm. Rec. Col. ℥vii. Tripher. Perſic. ℥i. M. f. Clyſter.

Vel:

Rec. Fl. chamæmel. verbaſc. malvæ. ana M. ſs. coq. in ſ. q. lactis Rec. Col. ℥viij. M. f. Clyſter anodynus.

IN PASSIONE COLICA.

Rec. Herb. calaminth. rutæ fl. chamæmel. ana M. j. fol. lauri. p. iij. radic. angelic. ℥iſs. baccar. lauri ℥i. ſeminis. cumini. carui. fœniculi ana ʒii. coq. in ſ. q. aq. comm. Rec. Col. ℔i. in quibus diſſolve El. de baccis lauri ℥iſs. ol. deſtill. lauri. cumini. carui ana gutt. ii. Vitell. ovi j. M. f. Clyſter pro duabus doſibus.

Nota, in affectibus flatulentis omnibus Clyſteres non toti unâ vice primùm

primùm ſunt applicandi, ſed primò tertia præterpropter pars; Secundâ vice reliquum eſt adjiciendum, ita enim melius retinetur.

Vel:

Rec. fl. chamæmel. Rom. ſumm. aneth. herb. Mercurial. ana M. i. baccar. laur. ℥i. ʒii. radic. Zedoar. ℥i. cortic. aurant. ℥ß. ſemin. cumini. carui. aneth. ana ʒiß. coq. in ſ. q. Vini Rec. Col. ℔i. in quâ diſſolve El. de bacc. lauri ℥iß. caſtorei. ʒß. ol. deſtill. rut. chamæmel. aneth. a. gutt. iv. f. Clyſter.

Vel:

Rec. Vini Malvatici ℔i. El. de bacc. lauri ℥ii. Vitell ovi j. ol. deſtill. Lauri gutt. iii. f. Clyſter.

Hæc omnia ſunt uſurpanda, ſi à flatibus oriatur colica; Quod ſi autem Obſtructio alvi cauſetur Colicam, ſeq. conveniunt Emollientia.

Rec. herb 4. emoll. ana. M. j. Mercurial. m. j. fl. Sambuci M. ß. radic. alth. ℥iß. coq. in ſ. q. aq. comm. Rec. Col. ℥viii. Elect. Lenitiv. ℥iß. Sal. gemmæ ℈ii. Vitell. ovi j. f. Clyſter.

Rec. Herb. Mercurial. M. ii. fl. malv. Sambuc. a. M. i. rad. alth. ℥iß. ſem. lini. fœnugræc. a. ʒii. coq. in ſ. q. ſeri lactis Rec. Col. ℥vi. Elect. Lenitiv. ℥i. Vitell. ovi j. f. Clyſter.

SI à VISCIDA MATERIA.

Rec. herb. calaminth. Menth. rut. Centaur. minor. a. M. j. radic. helen. angelic. a. ℥i. imperator. ℥ß. ſem. Cartham. in pet. ligat. ʒvi. coq. in ſ. q. aq. comm. Rec. Col. ℔i. El. hier. picr. ℥i. Vitell.. ovi 1. f. Clyſter.

CLYSMA ANODYNUM.

Rec. fl. Malvæ. Sambuci. chamæmel. verbaſc. Linar. ana. M. i. radic. lil. alb. alth. a. ℥i. coq. in ſ. q. lactis. Rec. Col. ℔i. Vitell. ovi j. M. f. Clyſter.

IN DYSENTERIA CLYSTERES ABSTERGENTES.

Rec. Hordei. furfur. a. M. i. coq. in ſ. q. aq. comm. R. Col. ℥x. Mell. roſar. ℥ii. f. Clyſter.

Vel:

Rec. herb. parietariæ m. ii. fl. verbaſci M. i. furfur. M. j. coq in ſ. q. aq. comm. Rec. Col. ℔i. Sacchar. Thom. ℥ii. f. Clyſter. Poteſt etiam loco aquæ ſumi ſerum lactis.

CLYSTERES ANODYNI.

Rec. fl. verbaſci chamæmel. rom. Malv. arbor. Papav. rh. a. M. j. radic. alth. ℥i. ſem. fœnugræc. lini a. ℥i. coq. in ſ. q. lactis Rec. Col. ℔i. f. Clyſter.

Rec. fl. chamæmel. m. ii. verbaſc. Linar. a. m. i. ſem. alth. ℥iii. coq. in ſ. q. lactis Rec. Col. ℔i. adde. Sevi cervini. ℥i.

Ubi dolor ingens eſt, fieri poteſt Clyſter ex oleo hyperici & ſevo hircino vel cervino. Utrumque enim lenit dolores, & conſolidationem promovet.

CLYSTERES CONSOLIDANTES.

Rec.

Rec. herb. Plantaginis. Sanguiſorb. Equiſet. virg. aur. a.M.j. radic. biſtort. tormentill. ſymphyt. a. ℥j. Sem. Plantagin. Sanguiſorb. a. ʒiß. coq. in ſ.q. lactis. Rec. Col. ℔j.adde Vitell. ovi. f.Clyſter.

Vel:

Rec.h. Equiſet.Millefol.Polygon. Sanguiſorb. a. M. j. radic. biſtort. ſymphyt. tormentill. filipendul. ana ℥i. coq. in ſ. q. juris vervecini Rec. Col. ℔i. f. Clyſter.

IN HYDROPE ASCITE.

Rec. herb. gratiol.fl.ſambuc.acaciæ a. M.j. radic. irid.noſtrat. bryon. ana ℥j. baccar. lauri ʒvj. coq. in ſ. q. urinæ puerorum, vel ſeri lactis. Rec. Col. ℥viij. El. Hier. picr. de bacc. lauri. a. ℥j. Nitri Antimoniat. ʒi. Vitell.ovi. n.i. f. Clyſter.

Vel:

Rec. Cortic. inter. ſambuc. frangul. radic. bryon. cyclamin.irid. noſtrat. ana ℥i. ſem. cumini. carui. ana ʒii. coq. in ſ.q. urinæ pueror. vel ſeri lactis. Rec. Col. ℥viij. El. hier. Picr. c. agaric. ℥i. ol. diacolocynth. ℥ß. Vitell. ovi.n.i. f. Clyſter.

IN NEPHRITIDE.

Rec. herb. violar. Malv. parietar. a. M. j radic. alth. ℥ii. fl. malv. chamæmel. a. p. iij. coq. in ſ. q. aq.fontan.Rec. Col. ℥viij. in quibus diſſolve Caſſiæ pro Clyſterib. ℥iß. ol. lil. albor. ℥i. Scorpion. ſ. ʒij.f.Clyſter.

Vel:

Rec. herb.ononid.heder. terr parietar. virg. aur. ana M.j. radic. ononid. bardan. a. ℥i. ſem. alth. ʒiij. fl. ſambuc. geniſtæ. ana M. ß. coq. in ſ. q. aq. comm. Rec. Col. ℥vj. caſſiæ pro Clyſter unguenti clyſmatici ana ℥j. Sal geniſtæ ℈i. vitell.ov.n.j.f.Clyſter.

Vel:

Rec. Ol. lini ℔j. nitri cum 🜍 fix. ʒi.M.pro Clyſter. pro ditioribus ſubſtituetur ol. amygdal. dulc. expreſſ.

IN INFLATIONE UTERI.

Rec. herb. Menth. Pulegii. Meliſſ. rutæ ana. M. ß. fl. chamæmel. aneth. Centaur. min. ana p. iij. ſemin. cumini. carui. apii a. ʒi. bacc. lauri ℥j. inciſ.& contuſ. coq. in ſ. q. juris bovin. Rec. Col. ℔i. adde El. de bacc. lauri benedict. laxativ. ana ℥ß. ol. laurini. ʒvi. Sal. arthemiſ. ʒi. f. Clyſter.

IN SUFFOCATIONE UTERINA.

Rec. galbani. Opoponac. ana ℥i. ol. amygd. dulc. violar. ana. ℥ß. vini albi dulcis. ℥iß. Macerentur per noctem, liqueſcant, colentur: rurſus liqueſcant in oleis & injiciantur.

IN LOCHIORUM RETENTIONE.

Rec. herb. meliſſ. pulegii. arthemiſ. rutæ. majoran. ana M. ß. fl. chamæmel. p. ii. Lavendul. centaur. min. a. p. j. radic. ariſtoloch. rotun. lil. alb. pœon. a. ℥ß. ſem. Dauc. rut. ſeſel. a. ʒi. bacc.

ʒi. bacc. laur. ℥ß. coq. in ſ.q. aq. Rec. Col. ℥x. Elect. Diacathol. Benedict. laxativ. ana ℥ß. ſpec. Hier. ℈iv. ol. chamæmel. ℥i. rutæ. aneth. ana ℥ß. Sal gemmæ ʒi. M. f. enema.

LUMBRICOS ALLICIENS.

Rec. hordei integri. furfur. roſ. r. ana p. ii. radic. liquiriz. raſ. paſſul. mundat. a. ℥ß. coq. ad ℔ß. adde Sacchari rubri ℥i. Vitell. ov. j. f. Clyſter.

LUMBRICOS IN CRASSIS INTESTINIS INTERFICIENS.

Rec. radic. gentian. ℥i. abſynth. vulg. abrotani a. M. j. centaur. min. M. ß. ſemin. ſantonic. ʒii. coq. ſ. q. aq. Colatur. ℥viij. adde olei coct. abſynth. ℥i. Salis ʒi. f. Clyſter. Addi etiam poteſt Benedict. laxativ. & hieræ Picræ ana ʒiij.; vel ℥ß.

CAPUT XI.

De Sudoriferis.

Vidimus, quomodò *HUMORES totâ Subſtantiâ peccantes*, partim *Purgantibus*, partim *Vomitoriis & Clyſteribus* evacuari poſſint. Supereſt, ut de duobus reliquis Evacuantibus *SUDORIFERIS & DIURETICIS* tractemus.

Sunt autem *SUDORIFERA* Medicamenta, quæ humores tenues vitioſos ac corruptos non ſolùm è corporis habitu, verùm etiam reliquâ parte corporis mediantibus venis, arteriis & vaſis lymphaticis, vel ſenſibiliter per ſudorem, vel inſenſibiliter per effluvia expellunt, in plurimis affectibus ad illorum cauſas exterminandas ſummè utilia.

HUMORES, qui per *SUDORIFERA* expelluntur, ſunt vel *tenues excrementitii Nitro-Sulphurei, vel ſeroſi, lixivioſi, acidi, fœtidi, tingentes, copioſi, pauci, particulares, univerſales.* Saporis præſentia dictorum humorum ſæpe dat indicia. Sudores Scorbuticorum febricitantium proprii hos ipſos probant. Sic ſæpè obſervatum in Arthritide vagâ Scorbuticâ decumbentibus; quibus poſt ſudorem ſalſi humores copioſiſſimè erumpentes dolores non minimos inſignemque pruritum excitabant, cutique tàm evidentiſſimè adhærebant, ut oculis diſcerni & manu abſtergi poſſent. Sudores acidi ac fœtidi ex cruditate elevati acidâ in ſenibus & hypochondriacis ſpleneticis frequentiſſimi. Serum enim copioſum facilè ſale ſylveſtri volatili coriis tincto ſulphureis contaminatur, hæc aliena qualitas à ſero combibita multorum Morborum fit occaſio, dum fermentales viſcerũ proprietates corrumpit, partium inde irritat Archeum, qui thymoſin adſumens varias excludit affectiones.

Si *modum* illum, quo Medicamẽta hæc ſuam perficiunt operationem, inveſtigamus, neceſſe eſt, ut vel ad quorundam vim præcipitativam, vel attenuativam, & reſolutivam, confu-

confugiamus. Nunquam enim morbifica μιάσματα motu cordis mediante ſero à centro ad circumferentiam cum ſanitatis commodo per arterias & poros expelluntur, niſi ſpõte vel à Natura, vel à Sudorificis aut aliis Medicamentis digeſtivis ad egrediendum apta facta fuerint; hoc eſt, niſi diaphoretica quædam ſint æmula Naturæ, quæ vim Archéi tumultuantem ſedent, & unâ cauſam morbificam ſeu exoticas aporrhæas in ſanguine everrant, nemo ab illis bonum ſibi pollicebitur ſucceſſum.

Sunt autem *SUDORIFERA vel interna, vel externa.*

Internorum quædam conveniunt effluviis ſalinis volatilibus ſulphureis, quæ, antequam ad habitum expellant corporis, prius figant & præcipitent neceſſe eſt. Sic in febribus illud febrile fermentum, quod ſæpe inviſibiliter, odoretenus vel auræ inſtar ne grani pondere aut mole, ſed exceptum omni lege & dimenſione methematicâ nos ingreditur, ut totã Spirituum vitalium Subſtantiam ſibi aſſimilando penetret, non ſtercoreã & corporalem purgationem poſtulat, ſed præcipitationẽ, & fixationẽ ſeu poteſtativam in herbâ eliberationem, niſi ægrotum in præſentiſſimum velis deducere periculum.

Quædam craſſis conferunt Humoribus, ex quorum cenſu ſunt, quæ vim posſident attenuativam & reſolutivam. Sciendum tamen in horum legitimo uſu juxtà eſſe adhibenda, quæ vim aperiendi, humores craſſos incidendi, abſtergendi & corruptos ſeparandi vim habent, aliàs timendum, ne, dum Sudoriferis utimur aliis, materia morbifica attenuata magis moveatur, obſtructiones augeantur, vires corporis diminuantur, & pejora ſuperveniant ſymptomata. Sic in febribus cum affectione hypochondriacâ conjunctis tartareis unà peccantibus humoribus felicisſimo cum ſucceſſu utimur iis, quæ juxta vim ſuam antipyreticam attenuativam maximâ ex parte ſunt etiam incidentia & aperientia, quæ humores aptos reddunt excretioni, & ad reſolutionem & fermenti febrilis per ſudorem expulſionẽ faciunt, & prætereaNaturam & meatuũ ac viarum organa ad excretionem exſtimulant & extergunt.

Quædam indifferenter omnes *humores, tam tenues, quam craſſos, illos* quidem expellendo; *hos* verò ſaltem movendo & agitando aggrediuntur.

Quoad Locum, ex quo Sudorifera evacuant, licet imediatè habitum corporis totius evacuent, mediatè tamen & conſequutione quâdam vaſa omnia, venas, arterias, vaſa lymphatica, & reliquas corporis partes inaniunt.

In *Morbis lentis aliisque affectibus ſine febri conjunctis* nunquàm *Sudorifera* ſimpliciter ita dicta à princi-

pio ſunt adhibenda, niſi totum corpus prius debitè ſit,& exquiſitè evacuatum, non ſolùm ſanguinis miſſione, ſed & Purgatione,ſi eâ opus ſit: ſecus enim ſi feceris, humores ſubitò ad cutem irruentes ejus anguſtos nō tantum obſtruent meatus,ſed & metus erit, ne ſaburra vitioſorū humorum in alvinâ reſtagnans regione ad habitum deferatur corporis.

In *Febribus* autem, ſi *Sudoriferm* ſint ejusmodi *Naturæ* & *efficaciæ*,quæ materiam febrilem ad egrediendum aptam faciunt, hoc eſt,quæ volatilia figunt, præcipitant, & unà adhibeantur, quæ obſtructiones reſerant, ſtatim in principio conveniunt,ut ab his fermentum febrile edometur, & aliquam à maſsâ ſanguineâ patiatur ſeparationem; In omnibus autem alvus quotidiè proritanda ſegnis,leniter alvum ſubducentibus. Sic ſi quis in*Febribus Ardentibus*,ubi viſcera obſtructa, vires debiles,tota maſſa ſanguinea ebulliens, in principio ſtatim vellet ejusmodi Sudorifera adhibere, quæ tantùm humores irritent, non autem ſedent, materiam ſeu fermentum febrile non unà per ſudorem & urinam expellant, & obſtructiones aperiāt,hic certè in Mortis periculum ægrum deduceret, ſiquidem hâc ratione ſumma virium fieret diminutio, & præter hanc pejora excitarentur Symptomata, atq; vice ſalutis ipſa afferretur Mors.

Priorem quæ edunt effectum, pauca ſunt, & ſecretæ plerunque præparationis. *Poſteriorem ſupplent, quæ communiter ſunt nota.*

Duplicis hujus ſortis deſumuntur, primò è Regno minerali; deinde è regno animali, & tertiò è Regno vegetabili.

Ex Regno minerali agmen ducunt ex *Antimonio* parata Medicamenta. Ex ejus præparationibus illæ, quæ genuinæ, compendioſæ,& verè Philoſophicæ ſunt, Naturæ myſtis ſedulò inveſtigandæ, ſeligendæ & uſurpādæ ſunt. Inter illas ſūmæ virtutis& efficaciæ in plurimis proſtātMorbis *Bezoardicum Minerale, Martiale Joviale, ſeu P. J. Fabri Sudorificum Maximum, Solare, Lunare, Antimonium diaphoreticum, Tinctura ſicca Antimonii, ſeu Sulphur auratum Antimonii, Tinctura liquida Antimonii, Cinnabaris Antimonii nativa & artificialis.*

Bezoardicum Minerale ex Regulo Antimonii & Mercurio ſublimato; Martiale ex Regulo Martis & dicto Mercurio; Joviale ex Regulo Antimonii, Jove Anglicano & Mercurio meteorizato; Solare ex nominato Regulo Sole, & Mercurio ſublimato; Lunare ex Regulo laudato Luna & dicto Mercurio Igne ſupresſionis in ſpumam deſtillatis, multotiesque rectificatis, ac per balneum ſiccum purificatis, & ab omni venenoſâ impuritate liberatis, ſtupenda & efficaciſſima ſunt Medicamenta, quæ *tam fermentationem impetuo-*

petuoſam, unde ſpirituoſæ & incendium parientes ſeu flagrantes fuligines generantur, maſculè compeſcunt & ſedant, quàm Spiritus illos ſeu effluvia excrementitia à fermentatione Morboſâ jam progenita per inſenſibilem tranſpirationem aut ſudorem diſſipat, & excludunt. Quæ virtus non tantùm ab Antimonio, aut Mercurio, Marte, Jove, Sole, aut Lunâ, ſed etiam à Nitro oritur, quod abundè in Antimonio figitur, & atteſtante *P. Poterii in Pharmacop. Spagiric. Lib. 2. c. 12.* & propriâ meâ Experientiâ ponderis auctio & incrementum edocet, ſalvâ manente vi ſuâ refrigerante & anodynâ (paucis cognitâ) quæ tamen magis enoteſcit, quando totum nitrum vertitur in terram albisſimam, inſipidam per enchiriſin *à CL. Helmontio de Lithiaſi cap. 4. §. 17. & in complexion. & Miſtion. Elemental. figmento §. 24.*

Ex eodem cenſu etiam eſt *Poterii anti-Hecticum & Antimonium diaphoreticum* tum ſimplex tum Martiale vel Solare, *ut D. D. Dieterici Pulvis Solaris*, ex Regulo Antimonii Martis *vel Solis cum Nitri* ſimultaneâ vel repetitâ detonatione paratũ, ut etiam in ebullitione ſanguinis in febribus ardentibus compeſcendâ, materiâ febrili per ſudorem expellendâ, & principio Variolarũ, Morbillorum & aliorum exanthematum Malignorum & Scorbuticorum & ulceribus malignis, Dyſenteriâ & nimio hæmorrhoidũ fluxu mira præſtent. *Sennert. in tr. de Conſenſ. & Diſſenſ. cap. 18. p. 364.*

Bezoardicorum doſis eſt à gr. jv. ad ℈j. *Antimonii diaphoretici & antihectici ritè præparati* eadem eſt cum liquore convenienti.

Tinctura ſicca Antimonii quoad inventionem *Gramanniana*, hîc Hallis in officinis noſtris famigeratisſima quoad uſum, nihil aliud eſt, quã *Sulphur Antimonii* vulgare cum *Sale Armoniaco* per ſublimationem & iterum ſubſtantiæ ſalinæ ſeparationem præparatum, in Morbis contagioſis malignis cum aliis mixtum elegantisſimũ præbet Sudoriferum. Doſis à gr j. ad ℈ß.

Tinctura liquida ex Regulo Antimonii, Sale Tartari & Nitri cum Spiritu Vini extracta tum ſenſibiliter per ſudorem, tum inſenſibiliter etiã per inſenſibilem tranſpirationem in *cutaneis affectibus, Leproſis, Scorbuticis, Melancholicis, hypochondriacis* &c. notæ eſt efficaciæ. Doſis à gutt. v. ad ℈j. Aliam Antimonii Tincturam vide *in Johann. Zwelfferi Appendice ad Animadverſ. p. m. 60.*

Ex *Antimonii* gremio etiam exſurgit *Cinnabaris nativa* & in primis illa ex Armenia allata & ſæpius, per ſublimationẽ rectificata, quæ eſt minera Mercurii, multum de Sulphure Antimonii Solari participans, & Cinnabaris Antimonii in collo retortæ poſt deſtillationem butyri

igne ſuppresſionis elevatâ, & per crebriorem ſublimationem rectificata. Hæc duo tanquàm egregia ſudorifera in caduci miaſmate expugnando à *Johann. Quercetano in tetr. graviſſ. affect. c. 33. Hadriano à Mynſicht. & Hartmanno* maximè cõmendantur; Non deſunt tamen, qui bus utriusque uſus valde eſt ſuſpectus. *Cinnabaris Antimonii* in aquâ calente diſſoluta abit in pulverem niveum ejusdem generis, cuius eſt Mercurius Vitæ, nativa facili negotio in Mercurium & ſic iterum in Cinnabarim convertitur. Et hinc cum utraque priſtinam retinent Naturam, eadem quoque excitare posſunt ſymptomata, quæ Mercurius ſive crudus, ſive præparatus. *Deindè*, dum ipſum *Cratonem* conſulimus, nuſpiam hujus cinnabaris nativæ mentionem facere reperimus. In Conſiliis æque ac Epiſtolis varia ac diverſa Medicamenta contra Epilepſiam recenſet, verùm hujus ne verbo quidem meminit; *Epiſt. 137.* de Cinnabaris nativæ vi magneticâ adverſus Epilepſiam valde dubitat. *Epiſt. 168.* Pulveres ex hâc conflatos planè rejicit & procul dubio ex mente *Eraſti*, qui *Epiſtol. 271.* ad *Monavium* Mercuriũ & nonnulla Medicamenta ex metallis non temerè adhibenda ſuadet, quovis modo etiam ſint præparata. Verùm, Cinnabarim Antimonii ritè præparatam & in aquâ calente diſſolutam in pulverem abire niveum, ejusdem generis, cujus eſt Mercurius vitæ, abludit à veritate; diſſoluta enim in aquâ calente abit potius in pulverem rubicundum ex partibus volatilibus Antimonii Sulphureis & Mercurialib9 conſtantem, ſubſidente in fundo quodam Antimonii regulo, prout ſæpius hujus rei feci experimentum. Et licet etiam nativa facili negotio abeat in Mercuriũ, & ſic iterum cinnabarim, putasnè inde eadem quoque excitare poſſe ſymptomata, quæ Mercurius? minimè. Mercurius enim compedibus Antimonii ſulphureis eſt vinctus, atque ſic à turbis iſtis gravioribus, quas vel liber, vel ſalibus corroſivis irretitus ciere ſolet, jam planè immunis, quamvis ventriculi digeſtioni minimè pareat, neque in corporis noſtri œconomiam recipi posſit, tamen adſumptus, quamdiu hæret in ſtomacho, Archéum noſtrũ alterando variè mireque afficit, & illuſtres illas exſerit dotes, quibus contagioſis epidemiisque Morbis, ipſique Peſti (vel exterius appenſus) ſingulari proprietate reſiſtit. Ab utroque Sulphure ſcilicet Antimonii & Mercurio vim ſingularem diaphoreticam, anodynam & ſpecificam veneni Epileptici habes domitricem. Taceo, quod horum ſingula in Morbo gallico, ſcabieque malignâ conferunt, ab iis conjunctis longè uberius expectandum. CRATONEM quod concernit, ſciendum eſt, licet de Cin-

de Cinnabaris Magnetiſmo in Epilepſia in ejus monumentis nihil reperiatur, tamen ſtudio illud ipſum factum fuiſſe puto, dum Medici eſt Experimenta interdum celare, ne ita proſtituantur ac vulgaria fiant. Et ſciendum eſt, Arcana non eſſe illis patefacienda, qui adeo ſunt improbi, ut ignorantiam ſuam non incuſent, ſed veritatem negent, ac eos, qui ſuâ induſtriâ adinvenerint, irrideant.

Ex hoc Panacea fit *CL. Hartmanni*. Huic *Cinnabari* correctæ ſi addantur *Magiſteria cordialia & Epileptica cum fecul. radic. pæon.* fit inde *ſpecificum cephalicum* laudatisſimum *CL. D. Johann. Michaëlis. p. m. & pulvis Epilepticus D. Mœbii, p. m. additis Smaragd. præparat. CC ſ. Igne Cornu Alcis ſ. igne, & viſc. corylin. ſ. q.* Doſis à gr. v. ad ℈i. Quo ſpectat *& Panacea de la Vigue Medici Regii Pariſienſis*, quâ in Morbis deſperatisſimis, quaſi miracula præſtitit ſummo cum nominis ſui & Rei familiaris incremento. Unicum granum hujꝰ dedit pro Coronâ Imperiali.

MERCURIUS DIAPHORETICUS nihil videtur aliud, quam Cinnabaris quædam, cui ex præſcripto *CL. Helmontii Sulphur æternum Vitrioli Veneris* fuit affuſum, & ita fixatum eſt, *à Sulphure enim hoc Mercurius* veluti ſervus fugitivus ligatur, & ejus intrinſecum Sulphur detegitur. Hic quamvis etiam aſpernetur omnem digeſtionum laborem, facit tamen in Morbis, quantum Phyſicꝰ ac Chirurgus, inquit *CL. Helmontius*. In ſuperficie ludit dulcedo ejus Sulphuris, pars autem Mercurii per Sulphur obtecta externum, latet, nec operatur, niſi per ſpeculum lucens trans ſulphur, & ſic Archéum non ſolum ſui ad lubitum affectat, ſed & inſenſibiliter fermentorum peregrinorum immutatione, abſterſione, & ablatione Spirituumq; ſeu virium reſtauratione potens eſt. *Mercurium illum paräſſe, eſt ingentis operæ; pendetque ejus directio*, inquit *CL. Helmontius, à manu ejus, cui debetur omnis honor, quia deſpectis à mundo revelat ejusmodi arcana, quæ Mundus neſcit, & idcircò vilipendit.*

Sunt præterea & alia *Sudorifera* ex *mineralibus* petita, in quorum numero ſunt quædam *ſalia & alia ex terræ viſceribus eruta.*

Ex *Vitriolo* paratur *Spiritus volatilis ſive ſtriatus* ſuper alembicum in formâ ſtriarum adſcendens, & à *Th. Paracelſ. lib. 7. cap. 8. & CL. Helmont. lib. de Lithiaſ. c. 8.* proponitur ejus modus præparandi. Hunc Spiritum, ut vires acquirat majores, *Paracelſus* exaltandum docet, per *Spiritum Tartari* optimè rectificatū & *Eſſentiam Theriacalem* camphoratam. *Quam Mixturam ſeu Spiritum bezoardicum*, licet Naſutuli dentur, qui aſpernantur ob ignorantiam ejus virium & applicandi modi, tamen

men ob vim attenuativam, diſcutiẽtem, reſolventem & una præcipitativam non ſatis deprædicari poteſt; hinc reſerat obſtructiones viſcerum, purgat per ſudorem & urinam, ideoque utiliter adhibetur in Epilepſiâ, paralyſi, Scorbuto, febribus malignis, ardentibus, continuis & intermittentibus, Colicâ paſſione, imò in purificatione totius maſſæ ſanguineę ſummè utilis eſt. Ex eodem penu deprompta eſt *Tinctura Bezoardica D. D. Johann. Michaëlis*, tum abſque Spiritu Vitrioli parata, tum cum Spiritu Vitrioli. Ejus doſis eſt à gutt. x. ad xxx. vel xl. in ſpecifico vehiculo. De Tinctura hâc tamen maximè obſervandum, ſi in febribus ardentibus malignis ſit exhibenda, ut probè notemus, utrum ebullitio febrilis ſeu calor prævaleat an verò malignitas; ſin calor febrilis excedat Tincturam Bezoardicam quam ingreditur, Spiritus Vitrioli volatilis, eſſe propinandam in convenienti vehiculo. Si autem malignitas; prævalere illam cum Spiritu Salis Tartari volatilis paratam abſque Spiritu Vitrioli.

Spiritus Vitrioli ant-Epilepticus Hartmanni potentiſſimè etiam μιάσματα morbifica per diaphoreſin tum ſenſibiliter, tum inſenſibiliter expellit; cujus mirabiles virtutes & effectus in arthritide *caduco, aliisque capitis affectibus ipsâque maniâ* multoties expertus ſum. Doſis eſt à gutt. v. ad xv. vel xx.

Nota eſt præterea *Panacæa duplicata ſeu Arcanum duplicatũ Mynſichti*, ex Sale nitri & Vitrioli paratum, quod ante paroxyſmũ in febrib9 quibuscunq; continuis, & intermittentib9 Scorbuticis & aliis affectibus præſtat quàm plurimũ, per ſudorẽ operãdo; *D. Joh. Michaëlis p. m.* hoc ipſũ in obſtructionibus menſium expertus eſt probatiſſimum, cum aquis appropriatis v. g. Arthemiſ. Meliſſ. &c. exhibitum. Item in calculo & ſcorbuto. Quò ſpectant & alia duo antifebrilia *D. Mœbii* p. m., quorum *unum* Emeto-diaphoreticum, *alterũ Sudoriferum* & una *laxativum*, notiſſimæ ex propriâ meâ Experientiâ efficaciæ in *febribus intermittentibus quotidianis, tertianis, Scorbuticis etiam cum doloribus vagis* conjunctis. Ante paroxyſmum horâ unâ & circiter exhibita, fermenta febrilia figunt, & per ſudorem & urinam expellunt, adeò ut rarò bis vel ter ſumantur, quin ſtatim paroxyſmus abigatur, & urinæ anteà crudæ in ſummâ copiâ coctionis ſigna oſtendant. Doſis eſt infantibus à gr. iij. ad v. Adultis à gr. v. ad ℈ß. Gravidis à ℈ß. ad ℈j. & in vigore ætatis cõſtitutis à ℈ß. ad ℈j, etiam gr. xxx.

In *ALUMINE* quæ inſit vis diaphoretica, præterquam quod Spiritus illius Sulphureus volatilis & acidus te-

dus teſtetur, fidem inſuper facit illius ſalutaris effectus; quô febrium intermittentium acceſſiones per ſudorem inhibet. Cujus tamen effectus ratio ſolummodo in eo conſiſtit, quod hujus uſu ſanguinis fermentatio febrilis inhibeatur, id quod figendo & conſtringendo ſanguinis particulas perficitur, non ſecus, ac cum alumen cum aceto cereviſiæ novellæ & fermenteſcenti infunditur, illicò fermentatio ceſſat, & liquor novum ſaporem & conſiſtentiam acquirit.

SUCCINI Sal volatile, Spiritus & oleum rectific. ſunt ſpecifica diaphoretica in *Epilepſiâ*, *Apoplexiâ*, *paralyſi & ſuffocatione uterinâ* decantatiſſima. *Olei Succini rectificati, ait Riverius, gutt. ij. vel iij. cum pari doſi Spiritus Vitrioli in aquâ betonicæ exhibitæ pueruloſ à paroxyſmo Epileptico plerunque liberant.*

BOLUS ARMENA vel Orientalis, quia ex *Armeniâ* ad nos advehitur; *TERRA* item *Sigillata*, *Turcica Turcicis characteribus* inſignita, vel *Strigenſis* & ſimilia mirâ quâdam contra Febres peſtilentiales & morſus animaliũ venenatorum proprietate pollent alexipharmacâ & diaphoreticâ. *Zac. Luſit. de M. P. h. lib. 4.*

Gloſſopetrarum virtus correſpondet dicto *Bolo Armenæ & Terræ ſigillatæ*; unde & commendantur *in febribus malignis, variolis, lumbricis infantum, convulſionibus Epilepticis*, quarum malignitates per ſudorem eliminant. Vid. *Thom. Bartholinus c. 6. hiſtor. 1.*

UNICORNU Hercinium & alia animalium oſſa in ſaxeam Naturam verſa, in formâ dentium molarium, inciſoriorum, radiorum, tibiarum, &c. quæ ante aliquot annos *in Montibus Sudetorum* in *Herciniâ Sylvâ* è ſpecu *Bumanni* effodi cœperunt, huc etiam ſpectant. Incolæ fabulantur, in diluvio Montes ipſos una cum Unicornu & aliis grandioribus animalibus ibidem eſſe conglomeratos & induratos. Quibus ſuffragatur *Ludovicus Moſcardo, Nobilis Veronenſis libr. 2. Muſæi Italicè conſcripti cap. CXI. Libavius ſingul. part. 3. lib. 8 cap. 17*, ex terrâ aliquâ bituminoſâ, vel cinere illius affluentibus è terrâ, vel aliunde liquoribus ita compingi ſcribit. Verùm hâc ratione animalis vis plaſtica ejusmodi terræ vel cineri inerit. Nos autem ſtatuimus cauſam efficientem eſſe Spiritũ quendam lapidificum, & materiale hujus principium conſtitutivum eſſe vel Margam, aquâ ſubterraneâ, quæ Spiritum vehit lapidificum, irrigatam & fluidam redditam, quæ pro diverſitate matricum, in quas fluit, vel pro diverſitate rerum, quibus ſeſe inſinuat, ſcilicet lignorum vetuſtorum, cornuum, oſſium humanorum, aliorumque animalium varias quoq; ſuſcipit figuras. Fruſtum hujus generis non longè ab Elbingerodâ Oppido è ſpeluncâ *Bumannianâ*

erutum ab amico quodam aliquot ante annos oblatum mihi eſt, os fibulæ longitudine & craſſitie æquãs, poroſitate medullari intrinſecus oppletum inſtar medullæ Cornu Cervi calcinati. *Hujus in expellendo ſudore vires tantæ ſunt, & venenis exſtinguendis, ut experientiâ propriâ didici*, inquit *CL. Franciſcus Joël ſect. 3. de Peſte, ut ullius alterius rei. Communiter etiam in Epilepſiâ non ſine effectu exhibetur.* Nullum dubium eſt, quin vapores peccantes acidi eò imbibantur & coagulentur. Nam juxta *Paracelſum lib. 7. cap. 8. de Vitriolo.* Epilepſiam curant quædam coagulando, quædam conſtringendo, alia vi ſpecificâ & occultâ, alia ſedativâ.

Olea volatilia ex Alkal. ppta.

Ex *Regno vegetabili* primas meritò obtinet *Carduus benedictus*, qui ex uſitatiſſimis eſt Medicamentum alexiterium ac ſudorificum propter vim ſuam attenuativam, aperitivam & diſcutivam, quâ veneno reſiſtit, & febres inveteratas intermittentes curat. Ejus Sal, Spiritus & Extractum notiſſimæ in dictis affectibus ſunt efficaciæ.

Angelica inſignis diaphoretica etiam eſt, & alexiterium ſpecificum in febribus malignis & peſtilentialibus, dum μιάσματα venenata per ſudorem abigit. Huic ſuccedunt folia Dictamni noſtratis & cretici, ſummitates hyperici, Vincetoxicum, Enula, Cochlearia, Naſturtium, Scordium, Galega, Ruta, folia Origani, chamædrios, fumariæ, ſalviæ, flores ſambuci, & in primis illorum aqua, & Spiritus tum ex floribus tum ex baccis, vim habent juxta ſudorificam etiam anodynam; unde in febribus malignis, ſcorbuto & aliis Morbis apprimè conducunt. Scabioſæ, Meliſſæ, Veronicæ, Betonicæ, Pulegio, Hyſſopo, Succiſæ, Baſilico, chærefolio &c. ſingularis etiam vis hidrotica adſcribitur. Hæc tametſi quovis modo ſumi queant, meliorem tamen præſtabunt effectum, ſi in Salia, magiſteria aut Eſſentias arte Chymicâ redigantur; Ejusdem ſortis allegat & commendat *CL. Helmontius* Salia è Salvia rutâ, roremarino &c. non exiſtimans alkalia cinerum, ſed volatilia ex alkalibus dictis præparata, & quæ ſimplicium totam craſin continent. Etenim ſunt Diaphoretica inſignia, atque nonnihil temperata; Quæ ſi debitâ ſtatione nimirum jejuno ventriculo & ante paroxyſmum intermittentium, & tempore ἀπυρεξίας continuarum aſſumantur, ſudorque proliciatur, nunquam Medentem fidelem ludibrio exponent.

Quomodo autem hæc ſalia volatilia conficiantur, & ex alkalibus tanquam corporibus fixis elici poſſint, non immeritò hîc quæritur? CL. HELMONTIUS circa hoc quæſitum generali nimis reſponſo ſe expedivit. *Si alkali quodvis*, inquit, *volatile rurſus reddatur, ſtupendos effectus id edere, &*

cum

cum ſingulari poteſtate omnem è venis amurcâ validè detergendo eliminare. Et hoc quoque nos non latet, ex Salibus fixis per fortisſimam incinerationem impetratis hoc eſt, alkalibus Spiritus, qui nihil aliud ſunt, quàm Sal volatile liquidum, nullo modo impetrari poſſe, niſi Artis ſpagyricæ beneficio ad ſtatum volatilitatis illa reducantur. *Sed hoc opus, hic labor eſt*, inquit *CL. Langius in mſſ. ad P. J. Fabrum dictitatis Animadverſ. Ad oracula Hermeticorum Philoſophorum hîc provocandum; quibus in ſterquilinio ac ſepulchris regalia & ſumma Naturæ myſteria ſeu Arcana latitare innuitur. Cum itaque putrefactionem non niſi veris pyroſophis notam ænigmaticâ hâc loquendi ratione intelligant, certum omninò eſt, beneficio diuturnæ putrefactionis ac digeſtionis cum lentisſimo ac lenisſimo ignis gradu celebratæ alkalia omnia volatilia reddi poſſe.* E. g. Sal Tartari fermento proprio fermentatum ipſum urinæ & Cornu Cervi ſal volatiliſatione ſuperat. *Sed vires Salis illius Tartari volatilis Helmontiani non asſequitur. Ex Bacchi fecibus quod paratur, ſuo etiam non eſt defraudandum elogio. Olea deſtillata, ut Cinamomi, majoranæ &c. quando ſuo ſali alkali miſcentur, absque omni aquâ trium Menſium artificioſâ & occultâ Circulatione tota in Salia volatilia commutantur*, inquit *CL. Helmontius, & verò eſſentiam ſui ſimplicis in nobis exprimunt, & usque in prima noſtri conſtitutiva ſeſe ingerunt.*

Quomodo autem hæc circulatio fieri debeat, alibi quodammodo hariolari licet, dum infert: *Si Aër, (arcanum capiat, qui poteſt) in primis volatizat Sulphur concreti cum omnimodâ ſeparatione ſui ſalis, hoc Sal (quod alioquin in carbone fixaretur in alkali per ignem) fit totum volatile, ac ſurſum ſcandit in ſpecie liquidâ quandoq;, & non rarò in formâ ſublimati, habetq; totam concreti craſin. Philoſophica etiam & ex Chymiâ arcaniori alkalia volatiliſandi deſumpta ratio conſiſtit in eo, ut Tartarum Philoſophorum vel Sal Naturæ, quo Aër tempore vernali opulenter abundat artificioſè capiatur, & auxilio putrefactionis cum alkalibus poſtmodum combinetur, qui tamen Modus non niſi electis doctrinæ filiis communicatus eſt.* Hæc CL. Laugius.

Ex Radicibus Hydrotica ſunt Angelicæ, Petaſitis, Vincetoxici, Dictamni Cretici, Scorzoneræ, Gentianæ, helenii, Valerianæ, Carlinæ, Zedoariæ, CHINÆ ex Chinarum vaſtisſimâ regiõe ad nos delata, craſſa, nodoſa, tuberoſa temperata eſt, tenuisſubſtantiæ, cum aliquâ tamẽ adſtringendi vi, & humiditate oleoſâ ſubſtantiæ ejus tenaciter inhærente, unde diaphoretica eſt, diſcutiens, aperiens. Et convenit in *Arthritide, Lue Venerea, catarrhis &c.* cum ligno Guojaco omni ætatæ, ſexui

quocunque anni tempore. Illius decocta vide *in Roderic. à Fonſecâ Conſult. Medic. T. 2. Conſil. 44. CL. Sennert. lib. 6. p. 4. c. 20. Lazar. River. in Prax. de Lue Vener. Horſtius Lib. 8. obſ. 11. de Morb. extern. part. p. m. 413.*

Radicis etiam Contrayervæ, quæ noſtro ſeculo ab Hiſpanis ex Indiâ allata eſt, & herbam ſignificat alexipharmacam, adverſus effluvia venenata præſentisſimum eſt remedium, eaque per ſudores, aut inſenſilem tranſpirationem evacuat. Ejus plantam exiſtimant commune eſſe alimentum, quo animalia lapidem bezoardicum generantia veſci conſueverunt, ex eâque præcipuè vim alexipharmacam tribui lapidi bezoardico. Doſis radicis eſt ℈i. vel ʒß. cũ aquâ Cardui benedicti aut aliis Medicamentis. *Lazar. River. in Praxi de febr. peſtilent.*

Ex eodem cenſu eſt *Anti-Quartiũ Peruvianum*, quod conficitur ex cortice quâdam Arboris alicujus incognitæ, de quâ vid. *Johann. Jacobi Chifletii Archiducalis Medici tractat. Bruxellis Ao. 1653. editum, & Rulandum Sturmium apud Delphenſes Practicum.* Hujus virtus in quartanâ avertendâ ſeſe exſerit mirificè, dum materiam febrilem interdum ſenſibiliter, interdum inſenſibiliter abſumit & per ſudorem diſcutit.

SARSA PARILLA ita ob ſimilitudinem dicta, quam cum *Smilace* aſperâ planta habet, ob ſpinas *Sarſa*, ob folia verò & ramos *Parilla*, quaſi vitis ſpinoſa nominatur. Temperatæ eſt Naturæ, nullius acrimoniæ, amaroris aut adſtrictionis, ut & odoris particeps, ſed obſcuræ eſt dulcedinis, partium tenuium, & ſudorifera. Uſus ejus eſt præcipuus in Lue venereâ, & lignum in eo ſuperat, quod obtineat vim majorẽ dolores ſedandi Gallicos, etiã acutisſimo ob & pertinacisſimos inſignem vim anodynam penetrativam ac ſimul diſcutivã. *Nullum dolorem tam contumacem, tamq́ diuturnum occurrere* ſcribit *Jul. Palmarius, quem non tandem aliquando ſopiat, ac ſuperet, ſi quis ejus decocto diutius & conſtanter utatur. Hæc macris potisſimùm in uſum ſervatur, nec non iis, qui jecur impensè calidum obtinent.* Et quia decoctum ejus ventriculum nonnihil laxat, poſt ejus uſum* ſemper aliquod ventriculum roborans ſumendum.

Semen Aquilegiæ, Napi Naſturtii, Citri, Cochleariæ &c. in expellendis per ſudorem variolis & Morbillis, uſus Mulierculis noſtratibus eſt creberrimi. *Ego ad latentium exanthematum*, inquit *Franciſc. Joël lib. 9. Practic. Medic. ſ. 5. expulſionẽ ſemine aquilegiæ cum ſcobe unicornu felici cum ſucceſſu ſemper uſus fui.*

Lignum Saſſafras aromatico ſapore fœniculi dulcedinem æmulans, & linguæ ac naribus gratum, in cali-

ditate

ditate, & ſiccitate temperatum habetur, tenuis itidem ſubſtantiæ ſudores movet & vi aperiendi, diſcutiendi & attenuandi præditum. Uſus ejus commendatur ad omnia Morborum genera, præſertim obſtructiones tollendas, febres tertianas diuturnas, cachexiam, hydropem, Catarrhos cum ſerpillo conjuncti exſiccandos, & Ventriculum roborandum. Uſurpatur & ad Morbum Gallicum & Arthriticum curandum. Advehitur ad nos ex Floridâ, in quâ copiosè creſcit.

Lignum Indicum duplex eſt. *Unū Guajacum,* quod vulgò notum, in meditullio nigrum, in circumferentiâ flavum, quod teſte Nicolao Monarde *in Inſulâ S. Dominici reperitur. Alterum, quod Lignum ſanctum appellatur,* hoc totum ſubflavum eſt, & reperitur *in Inſulâ S. Johannis,* utrumque eſt tenuium partium, unde vim habet humores craſſos attenuandi, lentos incidendi & abſtergendi, obſtructiones aperiendi ac ſudores, & urinas ciendi, & ſuperfluos humores crudos in ſanguine diſſipandi & abſumendi; Et præter dictas qualitates, quibus Arthritidi, hydropi, catarrhis, aliiſque Morbis à phlegmate & tartareâ mucilagine oriundis medetur, peculiarem etiam & ſpecificam obtinet, quâ virulentiæ Venereæ adverſum eſt. Ejus caliditas, quæ calidis & ſiccis naturis maximè noxia eſt, teſte *Heinrico ab Heer lib. 1. obſ. 22.* temperari ac corrigi poteſt Scobe ligni Rhodii, ſucc. Limon. Spirit. Sulphur. Vitriol. &c. decocta ejus vide *in Cl. Sennert. l.c. & Roderic. à Fonſecâ. l. c.*

Ex Reſinis excellit *Camphora,* gummi quod eſt Reſinoſum, omnia remedia, quæ vi diaphoreticâ ſunt prædita antecedens. Hinc *Paracelſus* eam tanti fecit, ut etiam locum ipſi in Miſturâ ſ. dederit. Reſiſtit putredini, unde frequens ejus uſus in Peſte & febribus malignis. *Adverſus Peſtem,* inquit *Johann. Crato in Epiſtol. Medicin. à Scholtz. editis 103. multa, quæ pro certiſſimis habentur, fallacia ſunt. Camphoram excellere omnia remedia re comperi. Zwingerus etiam in Epiſtol. ad Monavium huic ſubſcribit cum Fernelio lib. 5. Meth. c. 21.* Repurgat enim Spiritus & ſeroſos humores. *Camphoræ grana aliquot deglutita* ſcribit *Claudius Deodatus lib. 3. Panthei Hygiaſtici præ tenuem flammam intrinſecus ardentem ſuſcitant; Unde quemadmodum aër ambiens ſuccenſo ex Juniperi, lauri, rorismarini, laricis atque ſimilium vel arborum, vel fruticum cum frondibus igne repurgatur, ita adſumpta camphora,* inquit *D. Minderer lib. de Peſtil. c. 15. interno noſtro calore mox ignita & in corporis quaſi meditullio flagrans inquinatos Spiritus, eosq; tetros ac fœdo miasmate pollutos aut inſpiratos, veneni tabe aliquâ contaminatos halitus, jam*

cordi vicinos ac citra præcordia hærentes, exurit, & ſicco planè ac igneo calore pervadens, partim diſſipat partim expellet, partim combuſtione abſumit, partim corrigit, atq; emẽdat, partim per ſudorem pellit. Verùm hæc quidem quoad Camphoræ eff. ctus ſpetiosè admodum ita proponuntur, ſed non omnem adimplent paginam; & ſtatuimus potius, Camphoram hos præſtare effectus non formaliter, ſed virtualiter & effectivè, quatenus Miaſmatum ſalinorum & volatilium malignorum acrimoniã & malignitatem obtundit ac præcipitat, & obſtructiones, ſi quæ concurrunt, ſimul aperit. Unde convenit in Febribus continuis, intermittentibus & malignis; Epilepticis etiam medetur & ſuffocatione uterinâ laborantibus mulierculis ſuccurrit: *quamvis Crato lib. 1. conſ. 28. Epilepticis nocere ſcribat, Paracelſus* tamẽ *lib. de Morbis amentium*, eam virtutem vapores Epilepticos coagulandi habere ſcribit. *Et Johann. Quercetanus in tetr. graviſſ. tot. C. affect. c. 16. ingratus Camphoræ odor*, ſcribit, *ſatis arguit, quod quidem Narcotico, ſed & mitigativo Sulphure ſcateat. Cujus generis Sulphur mitigando, ſedando, & extinguendo tanto fulminis ardori* in cerebri noſtri cœlo furenti, & inſultus hos Epilepſiæ fulgureos jaculanti aptisſimum ac congruentisſimum eſt. *Joh. Crato loc. c.* Sequenti utitur pulvere in febribus malignis ex boli Armeni ℨj. Camphor. ℈j. ambræ gryſ. gr. iij. Cujus Mediampartem in dictis offert febribus. *Lazar. River. Centur. 1. obſ. 21.* ſubſtituit Salis prunellæ ℥ß. bezoardic. mineral. ℈i. camphor. gr. vj. pro unâ doſi cum aq. card. benedict. Sed præſtantisſima eſt *Tinctura Bezoardica D. D. Michaëlis*, quæ eidem cãphoræ ſuam etiam cogitur in febribus cujuscunque generis adſcribere vim & efficaciam. Aliàs notæ etiam eſt efficaciæ OLEUM PESTILENTIALE Nobilisſimi HEINISII Patricii Veronenſis, cui ſtatuam ROMÆ ob praxin felicem erectam Doctores ſcribunt. Conſtat autem dictum Oleum ex oleo Succini rectific. Citri & Camphoræ. Cujus doſis à gutt. v. ad ℈ß. in febribus Peſtilentialibus mira præſtat.

OPIO, viſcido illi liquori, qui ex capitum Papaveris exteriore cuticulâ incisâ profluit, *CL. WALLÆUS noſter* virtutem etiam attribuit diaphoreticam; *Inter Sudorifera*, inquiens, *excellit opium, quod enim Theriaca, quod Mithridatium ſudorem moveant hoc omne ab admixto faciunt opio. Expertus ego ſum*, pergit, *hæc duo Electuaria absque Opio præparata ſudorem prorſus non moviſſe.* Et *CL. Helmontius* ſubſcribit *in Duumvirat. §. 8. Ego*, inquiens, *in Opio ſalem acrem ſudoriferũ, & amarum Oleum invenio, longè ab Opii odore recedens, attamen ſoporiferum.*

Verùm

Verùm *CL. Schenckius* & nos cum ipſo ſtatuimus, *Opium* non vi peculiari ſpecificâ, ſed ex accidenti Sudorem prolicere. Nam ligando Spiritus animales tonum partium cutanearum ſolvit, unde pori facilius diducuntur, laxantur, atque id quod eſt in habitu ſeri ſtatim expellitur; unde & venas ſectas reſerat *teſte Borello c. 4. obſ. 57.* Laudanum Opiatũ; & teſtatur Experientia, Vomitum etiam in minimâ adhibitum doſi cõcitâſſe in iis, qui erant exquiſiti ſenſus, & faſtidiebant odorem & amarorem Opii. Unde colligimus ſudorem, quem Opii elicit uſus, potiꝰ eſſe diaphoreticum, quàm ſalutarem. *Deindè* Miſerrimus eſſet, & deteſtandus potius foret *Theriacæ & Mithridatii* uſus, ſi vim ſuam Sudorificam ſoli deberet Opio, quaſi præter hoc ipſum non alia eſſent ingredientia alexipharmaca diaphoretica, quæ per ſe ſudorem moverent.

Ex regno animali deſumuntur Lapis Bezoar, unicornu verum, Cornu Cervi, Oſſa de Corde Cervi, lacrymæ Cervi, Spiritus & Sal volatile ſanguinis cervini, Spiritus ſanguinis humani, ejusque Sal volatile, Craniũ humanũ ejusq; Sal volatile & gelatina, Spiritus cerebri humanis Spiritus urinæ & ejus Sal volatile, ſeu Spiritus Salis Ammoniaci ſalſus, Spiritus ex ſanguine Leonis, & Spiritus ex Leonis ſtercore, Eſſentia Lumbricorum, & illorum Spiritus, Sal viperarum & ſerpentum. Sal carnis Ciconiarum volatile, Ungula & Cornu Alcis, ſanguis hirci Mater Perlarum, teſtæ concharum oblongarum. *Lapis Bezoar Orientalis & Occidentalis* quoad derivationem nominis juxta nonnullos origine *Indicum* eſt vocabulum à *Paſar*, quod *Indis Orientalibus* idem eſt ac hirci genus, ex quo lapis iſta deſumitur. *Aliis Bezoar* generale eſt vocabulum & deducitur *à Bezoar*, quod *Arabũ* linguâ veneni dominatorem denotat, & eſt commune omnibus alexiteriis nomen. Unde *Averrhoës cap. 23. lib. 5. colligit, tractat de Bezaar, quod ipſi idem quod antidotum. Et Avicenna lib. 2. fen. 1. cap. 4. Albezaar,* inquit, *eſt Medicamentum, quod ſuâ virtute ſanitatem cuſtodit & proprietatem in ſpiritum recondit, ut veneni deleterias qualitates à ſe avertat. In ſpecie* autem ſub hoc lapide propriè intelligendus venit ille, qui ex Capri cervâ, quæ in *Indiâ Orientali* reperitur, depromitur; Et eſt coloris ex viridi nigricantis, figurâ diverſâ modo ovali, modò ſublongâ, rotundâ, intus cavâ, meditullio paleam, pilos vel ſimile quid continente, ſuperficie levi & ſplendente, Subſtantiâ corticetenus compactâ, variante magnitudine & pondere. Verus autem hic ac genuinus *Lapis Bezoar Orientalis* ſingulari præditus eſt virtute, quâ ad profligationem febrium petechialium ſeu maligna-

intrò

rum, & cæterorum venenorum vel intrò aſſumptorum, vel foris illatorum vim ac robur infringendum mirificè valet. *Diomedes Cornarius enim in libr. Conſ. & obſ. hiſtor. 22. refert, Matronam quandam honeſtam octavo impragnationis menſe correptam febre malignâ, cùm gr. v. Lapid. bezoar ſumſiſſet in aq. borrag. ab hac febre curatam fuiſſe. Claudius Richardus in deſcript. hujus lapidis memorat, D. Staphylum 16. diebus acutâ malignâ febri laborantem tandem exhibitis gr. 7. hujus lapidis integrè reſtitutum fuiſſe. Sicuti & Monardes lib. hiſtor. Ind. Occid. l. 2. teſtatur, cuidam Nobili, omnes famulos febre malignâ correptos fuiſſe, qui cum ex aquâ, in quâ hic lapis maceratus fuiſſet, bibiſſent, à morte liberati, ſanitati reſtituti fuêre. Bodinus in theatro nat. lib. 2.* ſcribit, *Lapidem Bezoar non ſolum amuletũ, ſed etiam adverſus venena omnia antidotum ſalutare dici, eò quod repente vim omnibus venenis adimere credatur. Anſ. Boëtius lib. 2. de Gemm. cap. 193. aſſerit, eos, qui ab aquæ potu, in quâ animalia virulenta verſantur, illicò intumuére ſumpto bis vel ter iſto Lapide, ſanari. Leonhardus Rauwolfius in ſuo itinere ſcribit, pulverem hujus lapidis adverſus quævis Lethalia venena à Perſis exhiberi.* De Externis venenis Lapidis hujus uſu ſanandis vid. *Cardanum lib. 3 de Venenis c. 10. Jordanum tract. 3. de Peſte. cap. 9. Gvilhelmum Fabric. centur. 1. obſ. chir. 87.* In Melancholiâ etiam valdè commendat Lapidem Bezoardicum *Zacut. Luſitan. lib. 1. de Medic. Princip. hiſtor. 9. 25. obſ. 34.* Id quod confirmat Balthaſar Brunnerus in Conſil. *Medic. à Laur. Hoffmanno editis Conſil. 6.* In Scorbuto hujus etiam plurimi integrum ſunt reſtituti *Horſtius lib. 7. obſerv. 35. p. m. 395.* Hæc igitur omnia de legitimo ac genuino ſunt intelligenda lapide Bezòar, qui admodum rarus, nec tam frequens, ut adulteratus; Adulterari autem nullum eſt dubium, unde *Franciſcus Valleſius Philippi Secundi Hiſpaniarum Regis Archiater* è centenis vix decem legitimos & genuinos ſeligi poſſe ſcribit. Cui fidem conciliat, quod aliquot ferè libræ in Germaniâ, Italiâ, Galliâ, Hiſpaniâ, Indiis & aliis vaſtiſſimis Regnis ac Regionibus uno anno Medicamenti loco abſumantur, quotque Millia eorum Millium penes Mercatores venales quotidiè adhuc proſtent; Contrà verò ſi conſideremus, *Cervi Capram,* ex quâ dicti depromuntur Lapides, eſſe ſylveſtrem adinſtar noſtræ *Damæ ſeu Rupicapræ,* nec niſi venatu acquirendâ eamq; non niſi occiſam ſive mactatam ſuos ſuppeditare lapides, procul dubio impoſturam vel ex ipsâ rei impoſſibilitate benè penſitatâ illicò deprehendemus; quæ enim cauſa eſt, qvod atteſtantibus de rebus indicis ſcriptoribus Lapides illi vel

vel in ipsâ Indiâ admodum rari ſint, quin ſubditis ſeverè injunctum, ut ſi quos invenerint, ipſi Regi traderent, qui ipſos inter ſua Cimelia recondere, & iis tantùm donare ſolitus, quos benivolentiâ & gratiâ complectitur ſingulari. *Matthæus Sylvaticus Pandect. Medic. cap. 398. Lazar. River. de Febr. Peſtil. p. m. 133. Johann. Zwelffer. in appendic. ad. Animadv. Pharmacop. Auguſt. p. m. 65.* Quid? quod & ipſum Mangonium hujus Lapidis Anno 1662. Amſtelodami detectum fuerit; ubi Mercator quidam rogo adjudicatus, qui aliquot millenos dictorum Lapidum bezoardicorum adornaverat, & hac ratione cæterorum excellentiam & exiſtimationem diminuit, tandem aliorum incerceſſione rogus in mulctâ pecuniariam translatus eſt. Hanc autem adulterationem Plantarum alexipharmacarum Magiſteriis peragi, *hariolatur CL. Zwelffer. loc. c.* Nullum igitur mirum, hoc Medicamentum tùm ad Morbos malignos & peſtiferos curandos, tùm ad reliqua profliganda venena ſuo ſæpe ſine fruſtrari; Unde & deteſtâtur nonnulli Doctorum ejus uſum; *Caſpar Bauhinus in libr. de Bezoar. cap. 24. Unũ hoc addam,* inquit, *in Peſte, quæ Anno 1610. hîc apud nos Baſileæ ſæviit, plures quidem in curatione hoc lapide, ſed absq; omni ſucceſſu, uſos eſſe. Hennemannus Reyſingius in Ideâ Loimog: Crepant multi Experientiam Bezoar in Peſte profuiſſe, ego dico, Experientiam teſtari etiam, in talibus Morbis hunc lapidem nihil profuiſſe. Vide & Hercul. Saxon. de Plicâ cap. 59. & de febr. cap. 37. Raymund. Minder. de Peſte cap. 15. Ruland. de Morbo Ungarico cap. 6 & Maſſariam lib. 7. Prax. c. 24. De Venenis aſſumptis Paræus teſtatur, coquo cuidam Regis Galliæ ob furtum commiſſum patibulo affigendo, mandato Regis Venenũ propinatum, ſimulq; extemplò ab ejus ſumtione Lapidem Bezoar exhibitum fuiſſe, qui nihilominus poſt ſeptem horas horrendis ſymptomatibus excarnificatus miſerabiliter interiit, nihil quicquã operis hoc antidoto ferente.* Cum igitur hic Lapis plerunque adulterinus ſit, valdè periculoſum eſt in Morbis dubiis dubiæ illius fidei ſe committere; unde & Johann. Henneman. Reyſing. de Peſte motus, ut Oculos cancri Lapidi huic prætulerit. Et divina benignitas hoc noſtrum ævum ſalubrium remediorum copiâ ſatis ditavit, ut præ adulterino hoc Medicamine eorum uſum neutiquam aſpernari, ſed potius admirari & deprædicare deceat. *Doſis Lapidis genuini Bezoardici* communiter præſcribitur à gr. ij. ad xij. Verùm *Zacut. Luſitan. in Praxi Medic. Admir. lib. 3. obſ. 86. & Jacob. Primeroſ. lib. 4. c. 37. de Vulgi Erroribus ad* ℨj. *exhibendum eſſe cenſent, ſi præſtare debeat, quod pollicentur Authores. Occidentalis Lapis Bezoar*

ex Capri Cervæ Occidentalis ventriculo & aliis internis cavitatibus erutus ſuperficie præditus ſcabrâ, colore cinericeo, albo, nigro, aut obſcurè virente, licet illi præſtantiâ ac bonitate non parum cedat, tamen utilis etiam compertus eſt in affectibus cordis, Melancholiâ, Epilepſiâ & ſimilibus. Magiſterium hujus Lapidis à Mynſichtio traditum p. 33. plus videtur curioſitatis, quàm neceſſitatis, cum Lapis per ſe ſatis ſit friabilis.

Vix deſcribi poteſt, cuinam majores vires, An *Lapidi Bezoar Or. an Cornu Unicornu* vulgus attribuat? Maxima enim omnium Alexiteria & Sudorifica hæc eſſe cenſentur, quamvis *Cornu hoc* communiter *Lapide Bezoar* minus vulgare ſit. Multa fabuloſa ab *Authoribus* de hoc divulgantur. Non deſunt, qui ab *Indico Aſino* petere velint, *Philoſtrat. lib. 8. de Apollonii vitâ*, quem *Aſinū Iſidorus cap 12. tantæ fortitudinis eſſe ſcribit, ut nullâ venantium diligentiâ capi poſſit. Ælianus aſſerit, in India quosdam eſſe equos, qui unicum Cornu in fronte gerunt, affirmatq; eſſe relatum, vim habere contra venenum.* Præter tamen hos equos eſſe etiam boves in *Æthiopiâ Unicornes Authores* referunt, qvos vivos interdū *Sultano ex Æthiopiâ* muneris gratiâ emitti, & poſtmodū circa templū *Mechæ* ſeptis includi. *Thomas Barth. Hiſtor. Anatomic. rarior. Cent. 4. h. 4.* affirmare non veretur, omnia *Unicornua*, quotquot hactenus hoc titulo prodiere, ex *Balenæ* dente fuiſſe deſumpta. *Vide & ejus obſerv. nov. de Unicornu. & Primeroſ. lib. 4. de Errorib. vulg. cap. 38.* Cum quibus & Nos ſentimus; Magno cum ſucceſſu in pulveris formâ cum aquâ ceraſor. nigror. ſ. v. exhibui Infantibꝰ Epilepticis, ut aut illicò convaluerint, qui principiis obſtitere, aut leviora experti ſymptomata morbum faciliùs tolerârint, aut certum exitium in aliquot dies diſtulerint. *Modo laudatus Bartholinus* in *febribus quoque commendat malignis cum aq. galegæ Cardui 6. vel florum Sambuci. Item in hydrope Aſcite Centur. 5. hiſtor. 16.* Vaporatum Naturæ non ſolùm erit convenientius, ſed & faciliorem edet effectū. Doſis eſt à ℈ß. ℈j. ad ʒß. cum injuncto ſudore.

CORNU CERVI plurimis Morbis curandis vi ſuâ inſervit diaphoreticâ, quam obtinet ob Sal ejus volatile, Spiritum & Oleum, quibus abundat copioſiſſimè, adeò, ut horum beneficio annuatim, poſtquàm decidit, denuò creſcat. Mirum igitur à quibusdam per violentam calcinationem hiſce orbatum adeò depravari, ut nil niſi inſipidam albam, terram virtute ſaltem ſtypticâ, ut ex ἐνεργεία patet, præditam poſt ſe relinquat, quicquid in contrarium afferat *Gregor. Horſtius in Centur. Problem. Therapevtic. Decad. 1. quæſt. 4.*

In cal-

In calcinatione autem iſtâ, quam Philoſophicam ſeu vaporatam appellamus, eò quod per vaporem aquæ ferventis peragatur, tantoperè non deſtruitur, ſuisque nativis principiis perinde ſpoliatur, atque in illâ, quæ per totalem combuſtionem fit. Licet non de nihilo ſit, *quod Excell. Zwelffer. in Animadverſ. in Pharmacop. Auguſt. monet, multum etiam huic ita præparato Cornu Cervino de nativâ ſuâ humiditate, ſale volatili, & oleo decesſiſſe, & eorundem vix parte quartâ adhuc gaudere, tamen in reſpectu ad totalem ejus exuſtionem hoc melius eſt. Idem alii perpendentes, in crudo Cornu Cervi ſubtiliter & minutim raſpato plus virium ponunt, utpote in quo omnia operandi principia adhuc ſarta tecta ſunt, ut inde melius reſiſtat putredini, malignitatem corrigat, ſudorem cieat, & balſamum humanum corroboret. Quod tamen diverſimodè præparandum, indq; virtute ſuâ exaltandum, ut vel in ſubſtantiâ, formâ ſcilicet Pulveris, vel in aquâ decoctum, aut gelatinam conver ſum ſine nauſeâ propinari, nullamq; ventriculo moleſtiam cauſare posſit. Magiſterium per Spiritum Nitri vel Vitrioli paratum ejusdem eſt pretii cum eo, quod potentisſimum calcinationis Ignem eſt expertum, cum non exigua etiam pars Menſtrui corroſivi illi tenaciter adhæreat, etiam inſtar calcis ſe habet mortua, nihil de Sale volatili aut Oleo amplius participans; ideoque hoc etiã rejiciendum, & illius vice reponenda, vel vera Cornu Cervini præparatio à CL. Zwelffero l. c. tradita, vel Gelatina, Spiritus ejus rectificatus albus,* non ſubflavus, qui de ſcoriis ſulphureis multum adhuc participat, & Sal volatile, quæ omnia Bezoardica, Alexipharmaca, & Ant-Epileptica ſunt præſtantisſima, ſi ſingula in juſtâ offerantur doſi à gutt. v. ℈ß. ad ℈j. non autem à guttis j. ij. iij. &c. ad computum annorum, ut quidam infelix Medicus Practicus olim ordinavit; Et ſemper ſudor poſt horum uſum ordinandus. Dicta denique Medicamenta cum aliis etiam ſunt conjungenda, ut in Epilepſiâ cũ Tincturâ verâ Lunæ, & in febrib9 Ardentibus, Petechiis, varioſis & Morbillis cum bezoardico minerali, Solari, Martiali, & ſic tam ad præſervationem, quam ad curationem illorum non poſtremum obtinebunt locum. Alias Salis Cornu Cervi volatilitas facilè Spiritu Salis vel Terrâ foliatâ Tartari infringi poteſt, & ſic fermenti tum ſtomachici, tum aliarum partium genuinum eſt ſuſcitabulum, dum illud ad juſtam deducit Symmetriam, in deperditis viribus totum penetrat corpus, ſanguinem depurat, tartarum in viſceribus reſolvit & febres curat. 262.263.

Os de Corde Cervi. Hoc in corde Cervi reperiri fabuloſum non eſt, ſi *Ariſtot*. credimus *lib. 2. de hiſtor. animal. c. 3.*

mal. c. 3. & Galeno lib. 6. de UſuPart. cap. 9. dum in grandioribus animalibus ut cervo, bove, equo &c. Venæ arterioſæ & arteriæ aortæ radices oſſuoſas eſſe affirmat. Quicquid in contrarium ſtatuat Veſalius lib. 1. de fabric. 20. qui hoc Os in corde Cervorum reperiri negat; Cujus opinionem convellit etiam doctiſſimus Renodæus lib. 3. de Mater. Medic. cap. 19. dum inquit: Maximè autem celebratur illud oſſiculum, quod ad baſin cordis Cervorum annoſorum habet adhæſum, quod à figurâ crucis, quam non malè refert, Venatores crucem cervi nuncupant, plurimumq; ad cordis affectus valere, non ſolum ipsâ Experientiâ ducti docuêre, ſed & Medici præter Experimentum ratione docti confirmarunt. Id quod etiam confirmat Johann. Coittarus Thareus lib. de Febri Purpureâ & Contagioſâ in fine. Vis ejus eſt mira, in primis ſi per vapores, quemadmodum in Cornu Cervi philoſophicâ præparatione fieri ſolet, friabile reddatur; & ita cum convenienti propinetur vehiculo, veneno reſiſtit, in febribus purpureis gravidarum & puerperarum valenter auxiliatur; in Peſtilenti conſtitutione maximo eſt ex uſu, cum aliis alexiteriis adſumptum. Vid. Geſnerus lib. 1. de quadrupedib. cap. de Cervo. Unde & in præſtantiſſima venit antidota, ut exhilarans Nicolai; Lætificans Galeni; de hyacintho, diamargariton frigidum &c. Acidos combibendo humores & vitale cordis robur tuendo tales edit effectus, ut Melancholicis etiam Affectibus remedio ſit. Cuſtodit præterea partum, & prægnantibus mirè conducit. Doſis ejus eſt à ℈ß. ad ʒß vel ʒj. in aquâ quâdam appropriatâ.

Lachryma Cervi, ſeu recrementa illa, quæ in canthis oculorum reperiuntur, veluti ſuccinum quoddam (Lapis Bezoar Cervinus vulgò dicitur) etiam inter diaphoretica referuntur; De quibus Avenzoar ita ſcribit, Cervus, inquiens, id quod etiam confirmat Plinius lib. 11. ſuæ hiſtor. natural. cap. 53. ſerpentes narium ſpiritu extrahit ex cavernis, eosdem mandit, tunc maximâ infeſtatur ſiti, ad cujus levamen aquas ſtagnantes petit, in quibus immergit ſeſe collo tenus, ſed ita docente Naturâ non bibit, alias illicò concideret mortuus. Tunc ad ejus oculos humor quidã defluit, qui paulatim craſſeſcit, cogitur, & ad plantis magnitudinẽ excreſcit quem poſtquã ex aquis Cervus exiit, deciduũ quærũt homines, Lapidemq; Bezoar quidam vocant, qui dicitur eſſe latus, in pyramidem tendens, coloris melli inſtar ſuccini, quem ſe vidiſſe ſcribit Amatus Luſitanus comm. in Dioſcorid. c. 39. lib. 2. & Scaliger. Exerc. 112. ad Cardanum, Eumq; etiam ſe habere ſcribit Zacutus Luſitan. lib. 6. de M. P. h. 29. idem confirmat, & Joh. Schrœderus in Pharmacop. Medico. chymic. lib. 5. claſſ. 1. de Animalib. dono accepit

pit ab illuſtrisſimâ Saxoniæ Principe, Sophiâ Eleonorâ, conjuge Illuſtrisſimi ac Celſisſimi Principis ac Domini Dn. Georgii, Haſsiæ Landgravii &c. Et odoris eſſe fragrantis ſcribunt, ſiccare, adſtringere, corroborare, ſudorem movere & contra omnia venena efficacisſimum eſſe antidotum. Prodeſſe etiam in difficultate partus, imò fœtu mortuo expellendo quidam magni teſtantur Medici. Doſis eſt à gr. iij. iv. ad ℈ſs. *Conſulo & Caſpar. Bauhinum lib. de Lapid. Bezoar. c. 8. & 9.* Nec obſtat Jacob. Primeroſium Lib. 4. c. 36. hæc omnia fabuloſa eſſe ſcribere; hunc enim ipſa oculiaris & palpabilis refutat Experientia. vide *Eruditisſimum Phil. Jacob Sachs à Lewenheimb in Reſponſor. Diſſertat. de Mirandâ Lapidum Naturâ p.m. 58. 59.*

Spiritus & Sal volatile Sanguinis Cervini ſunt etiam egregia Sudorifera ad effluvia expugnanda *Epileptica, Morbos Malignos, variolas & Morbillos* per ſudorem expellendos; Commendantur & contra *Dolores Iſchiaticos & Pleuriticos.* Doſis illorum eſt à gr. v. ad ℈ſs. vel ℈j.

Spiritus Sanguinis humani, ejusq; Sal volatile. Sanguis enim humanus per deſtillationem dat *Spiritum ſalſum volatilem,* & ſi per phiolam oblongam optimè rectificetur, fit inſtar aquæ limpidiſſimæ, magnarum in Epilepſiâ & aliis gravisſimis capitis affectibus virium; Cujus doſis eſt à gutt. iij. ad ℈ſs. vel ℈j. in vehiculo ſpecifico. Simili ratione etiam ex *Cranio & Cerebro humano Spiritus & Sal volatile parantur,* quorum virtus in dictis affectibus non ſatis etiam deprædicari poteſt.

Spiritus Urinæ & ejus Sal volatile, ſeu Spiritus Salis Ammoniaci Salſus præſtantisſima ſunt Sudorifera à putredine conſervantia fermenta acida omnia corrigentia, ſuffocationi Uterinæ, Epilepſiæ, & Apoplexiæ inſervientia, febribus Peſtilentialibus etiam medentur. Doſis eſt à gutt. v. ad ℈ſs. vel ℈j. in appropriato liquore.

Spiritus *ex Sanguine aut ſtercore Leonis Herculeo exſtirpando Morbo eſt* fortisſimus; ſi à gutt. v. ad. ℈ſs. vel ℈j. finito paroxyſmo vel ad præſervationem propinetur, inſequente ſudore unius horulæ ſpatio. *In Partus difficultate & fœtu expellendo mortuo* non minimum etiam præſtat. Aliàs notæ eſt efficaciæ *Spiritus Anti-Epilepticus Dreſdenſis ex ſtercore Leonis paratus mihiq; ab amico communicatus;* Cujus doſis eſt à ʒij. ʒſs. ad ʒj.

CORNU ALCIS ejusq; Ungula ſine igne præparata, vel in *Spiritum aut Sal volatile* quâdam Metamorphoſi traducta ob vires nobilisſimos, quas *in Epilepſiâ, variolis, Morbillis & aliis exanthematibus* per ſudorem curandis edunt, præconio ſunt digna remedia;

Sanguis Hirci rectè præparatus diaphoreticâ etiam excellit virtute. *Et ab acutisſimo Helmontio valdoperè in*

rè in Pleuritide commendatur, quã ſine Venæ-ſectione curare vult; paulo tamen aliter ejus inſtituit præparationem. Hircum, inquit, ſuſpendo cornibus, & crura poſteriora ad cornua reflecto, teſtes abſcindo, & recepto inde cruore exanguem dimitto pro lanione. Hic cruor ſiccatus eſt inſtar vitri difficillimæ triturationis, atque longisſimè ab hircino ſanguine officinarum differens. Adſumptus pondere drachmæ confeſtim curat & ſopit Pleuritidem per diaphoreſin absque Venæ-ſectione, nec te deſeret unquam. Ablato enim acoris fermento reſolvit cruorem extravaſatum.

LUMBRICORUM Eſſentia & illorum Spiritus tam ſimplex, quam compoſitus ſunt etiã inſignia Sudorifera ſpecificâ virtute donata in Arthritide vagâ Scorbuticâ per ſudorẽ curandâ, ut nulli cedat remedio; vid. *D. Drawitz. de dicto affectu p. 40.*

Ex Viperis & Serpentibus parantur ſalia volatilia, quæ per Spiritum acidum figuntur, & in variis curandis Morbis inſignis ſunt virtutis, ad extremas enim usque corporis partes indeperditis penetrant viribus, depurant ſanguinem, excrementa tenaciter infixa, & veluti aſſimilata, arthritica præſertim, egregiè reſolvunt, urinas, & cum iis calculoſam materiam expellunt Melancholicis affectibus & putredini ſummoperè reſiſtunt, diuturnas viſcerum obſtructiones inſigniter reſerant, atque exinde orta ac inveterata varia febrium aliorumque Morborum genera à Genio domeſtico ſequeſtrant, propellunt. Doſis eſt à ℈ß. ad ℈j. pro Morbi ac ægrotantis conditione. vid. *Zwelffer, animadverſ. in Pharmacop. Auguſtan. & Johann. Schrœder. Pharmacop. Medic. Chymic. lib. 5. claſſ. 1. c. 37. & ex his compoſita Medicamenta in Zacut. Luſitan. lib. 1. de M. P. h. p. m. 47. & p. 766. Sal carnis Ciconiarum volatile decantato Viperarum Sali* ne minimum cedit, Serpentibus in primis delectantium, vi ſuâ alexipharmacâ. Teſte *Geſnero.*

Teſtæ Concharum oblongarum, tum marinarum, tum illarum, quæ etiam probè Salam noſtram in ſummâ reperiuntur copiâ, quo etiam ſpectant *Mater Perlarum, blatta bizantia &c.* Intus eleganter ſplendent, exterius cortice rigidiori veſtitæ, ſudorem movent potentisſimè & vim antipyreticam posſident excellentem. Ex hiſce paratur *Anti-febrile Crollianum* factâ decoctione in aceto, ut mucor & cortex impurus ſeparari posſit, poſteà in pulverem redigantur ſubtilisſimum, ſic enim vim antifebrilem longè nobiliorem atque in cinere Crolliano experiemur. In primis ſi cum aliis conjungantur, & horâ unâ & circiter ante paroxyſmũ in aq. Centaur. min. vel Card. 6. aut alio ſpecifico ſumantur. Doſis eſt à ℈ß. ad ℈ß. vel ʒj. *Ex Matre Perlarũ D. Strobelbergeri paratur Anti-pyreton;*

reton. In hiſce tamen omnibus alvus ſemper ſit aperta & ſegnis proritanda pilulis laxativis vel Francofurtenſibus aut Glaſſianis.

Ex dictis igitur *Simplicibus Sudorificis* varia proſtant compoſita Medicamenta, de quibus paſſim conſulendi ſunt Authores Medici Practici.

Quemadmodum autem *internis*, *ſic etiam externis Mediis* ſudores promovemus. Sunt autem inter *Externa Sudorifica* præſtantisſima *BALNEA*, ad quæ tanquam ad ſacram anchoram in plurimis debellandis Morbis *Græci & Romani* confugiebant authore *Jul. Cæſar. Baricello de hydronosâ Natura lib. 4. cap. 2.*

Sunt autem *BALNEA vel Naturalia*, quæ per ſe aut ſponte, vel naturaliter ſcaturiunt, alioque nomine, eò quod illis inſit calefaciendi facultas, *Thermæ vocantur. Vel Artificialia, illaq́ iterum ſunt vel liquida, vel ſolida, vel vaporoſa.*

De *BALNEIS Naturalibus ſeu Thermis* in genere ſciendum eſt ut, iisdem tutò uti posſimus, primò totum corpus debere eſſe exquiſitè evacuatum, non ſolùm Venæ-ſectione, ſed & Purgatione, ſi eâ opus ſit; *deindè* habitū Corporis eſſe conſiderandum, utrum ſit tenellus, an craſſus &c. *Tertiò* præſentibus adhuc in hypochondriis obſtructionibus, venis Meſaraicis infarctis ſcoriis Tartareis & maſsâ ſanguineâ ſalibus jamdum ſylveſtribus acribus & acidis inprægnatâ, quæ à Thermis liquari, fundi, aut fuſa in alias partes & viſcera principaliora, graviora alia Symptomata concitatura deferri poſſet, à dictis Thermis abſtinendum eſſe. Vid. *Gregor. Horſt. libr. 10. de Pharmaceutic. obſ. 5. p. m. 492. ubi quæritur & deciditur, an in dyſcraſia ventriculi & hepatis conveniant? Quartò*, in reliquiis autem Morbificæ materiæ abſumendis, articulis roborandis & ad priſtinum recuperandum calorem Methodicâ prægreſſâ curatione plurimum valere. Vide *de omnibus Weckerum, Rulandum, D. D. Langium.*

BALNEA Artificialia liquida ut plurimum ex aquâ fluviati, quæ maxime probatur, parantur, & quidem moderatè calidâ, hæ calefaciunt, poros cutis aperiunt, & per eos ſeſe inſinuant, & excrementa in corporis ambitu hærentia diſcutiunt.

BALNEA ſolida ex ſolidiori conſtant ſubſtantiâ *ut arena, ſale, milio, tritico, vinaceis &c.* vid. *Jaſolinus lib. 2. cap. 8. & 33. & Baccius lib. 4. de Arenatione*, Vinacea à torculari adhuc calentia magnarum viriū dicūtur in arthriticis doloribus ſedandis, ſi pars affecta illis imponatur. Vid. *Solenander conſil. 21. ſect. 4. item Alni foliis ſi ſacci impleantur, & Soli exponantur, & poſtea iis vel totum corpus, vel pars tegatur, ſudores copioſè provocantur. P. Borellus cap. 1. obſerv. 35.*

Tertium

Tertium Artificiale ſudandi genus Laconicum vocatur, eò quod *Lacones* eo præcipuè ſint uſi; Eſt autem illud ſecundum *Johannem Renodæum lib. 5. Inſtitut. Therapevtic. diſpenſator. Galeno Chymic. cap. 4.* locus, ad fornaculæ cujusdam inſtar concinnatus, in quo ſudor elicitur ſicco calore ab igne injecto per ſpiracula parva aſcendente. Præſtat hoc ignis vel ex ligneis ceſpitibus, vel ex Spiritu Vini accenſus, vel vino chalybi aut ferro candenti infuſo.

Triplici autem Modo hoc *Ignis beneficio utimur.*

Primò, Ægrum in domunculam chartaceam collocamus & in illâ obtectâ Spiritum Vini incendimus, cujus flamma & calor poros aperit, & humores liquat.

Deindè Domuncula ex ligno paratur, in quâ Carbones igniti vel ferrum aut lateres extincti, idem, quod Spiritus Vini, faciunt. Verùm moleſti nimis hi duo modi ægrotis ſunt, & licet Medicus illis per tres horas in ergaſtulo hoc permanere præcipiat, vix tamen ſemihorium ſpatium in illo conſumet.

Tertiò, paratur Ciſta lignea funibus latis penſilis (quemadmodum lecti illi complicabiles militum in caſtris fieri conſueverunt) in hâc æger recubet, & ſub illâ & ad pedes & ad caput ponitur ignis, qui ſurſum calorem ſuum mittitur, ægrum & Medicum voti ſui participes facit.

Interdum *Particularia SUDATORIA ſufficiunt*, cum in parte affectâ ſudores tantùm ſunt provocandi; cum ſcilicet per evaporationes ex decocto ſimplicium in aquâ aut vino parato, halitus calentes partem ſaltim affectam attingunt aut decoctum ex herbis calens in vas aliquod infunditur, in quo æger jejunus ita ſedeat contectus, ne aquam attingat, ſed vapores ſaltem excipiat; vel lateres calentes, linteis decocto madidis involuti parti affectæ imponūtur, ut ſudor eliciatur in balneo ſicco, vapor ex decocto ferro ignito inſperſo excipiatur.

Superſunt prætereà adhuc alii modi, quibus pro varietate ſitûs & partium ſudores elici poſſunt, & *ſunt Fomenta, ſuffumigia, Unguenta, Cerata & Emplaſtra, de quibus omnibus conſule Excell. noſtrum D. Rolfinck. de Diaphoretic. uſu ſect. 3. cap. 3.*

Hactenus *de SUDORIFERIS ipſis*, reſtat jam, ut de *Modo* illis utendi, & *eorum fine & uſu uberius diſſeramus.*

SUDORIFERORUM uſus ejusmodi competit affectibus, quorum cauſam Natura ſpontaneo ſæpe motu ad corporis habitum protrudit, & vix perfectè ſine ſudore curari videmus; quemadmodum experimur in febribus & aliis Morbis. Alioquin indifferenter, tum ratione affectuū, tum ratione ipſorum Sudoriferorum ſudores non ſunt provocandi. Sin gitur

igitur humores tenues aquoſi Nitro-Sulphurei, acidi, ſalſi &c. in corpore adſint, & à digeſtivis ad excretionem apti facti fuerint, aut alii, qui facilè à Medicamentis poſſunt attenuari, exuberent, facilis eſt, ac tuta Sudoriferorum applicatio, correſpondente in primis Morbi Ideâ, viribus corporis, ac viſcerum internorum dispoſitione.

Infantibus, Pueris, Gravidis & Puerperis vehementiora & diuturna non ſunt exhibenda *Sudorifera*, ſed mitiora conveniunt. Nec obeſi temerè ſunt macerandi *Sudoriferis*, *graciles, cutem mollem & laxam habentes* ad ſudorem maximè ſunt dispoſiti. *Vidus Vidius lib 11. de Curatione gener:*

Quoad Tempus, ſciendum, quod *Sudorifera* niſi vim humores à masſâ ſanguineâ ſegregandi & ſeparandi unà habeant, in Morbi principio crudâ adhuc exiſtente materiâ adhibere non liceat, ſed potius coctio vel declinatio Morbi eſt expectanda. Quod ſi autem ejusmodi ſint, quæ coctionem juvent, & humorum in maſsâ ſanguineâ ſeparationem & expulſionem promoveant, audacter exhibere licet Sic in *principio febrium Peſtilentialium*, & aliarum malignarum talia non ſine maximo exhibemus fructu. In *Febribus Intermittentibus* horâ unâ & circiter ante febrilem acceſſionem commodè propinamus *Sudorifera*, quemadmodum etiam in continuis tempore apyrexias, hæc tamen primò ſint *ſpecifica antifebrilia* temperata, non nimis calida, quæ materiam febrilē non ſaltem agitent, ſed etiam promoveant & evacuent, alias de loco movebitur, non diſcutietur, & alibi quaſi novũ fermentũ febrile diſſeminabitur, multiplicabitur & febris ipſa duplicabitur. Ideoque dicta ſpecifica præter moderatam ſuam temperiem hujus debent eſſe effectûs, ut materiam febrilem figant, & per ſudorem & urinam expellant; Naturæ æmula; unde paroxyſmus profligabitur, fermentum febrile paroxyſmum cauſans tolletur, & Corpus ventilabitur. *Deindè* hiſce omnibus Diuretica aperientia & abſterſiva temperata etiam ſunt intermedianda; &, ſi primæ viæ vitioſis ſcateant humoribus, ſemper prius ſunt expurgandæ. *Tertiò*, profligato paroxyſmo tum demum methodicâ curatione cauſa febrilis occaſionalis eſt removenda, & recidiva præcavenda; *Lazar. Riverius de Febribus putridis p. m. 49.* adeoque moderno tempore non amplius opus habemus communi illo admodum prolixo ac periculoſo per *Sirupos, Emulſiones, Julepos, aliaq́; Saccharata curandi in febribus* hactenus uſu recepto proceſſu. Divina enim Munificentia Altisſimi jam largiter ditavit genus humanum Medicamentis ſingularibus, quibus omnis febrium auſcultat

cohors. *Unicâ falce*, inquit *CL. Helmontius de Febrib. c. 16. amputatur omnium febrium cauſa occaſionalis.* Id remedium eſt *Sudoriferum*, quod incidit, attenuat, reſolvit, liquat, abradit, & ſimul abſtergit cauſam occaſionalem, ubicunque locorum demum ea exſtiterit. *Demùm* obſervandum, ut Sudorifera & in primis Alexiteria ſint ſufficientia & materiam non ſaltem agitent, ſed etiam è corpore expellant, debent nimirum contendere cum Morbo in magnitudine & contrarietate. Nam niſi ſudent ægri poſt ſumpta Medicamenta *Sudorifera*, plerunque vehementiùs poſteâ ægroti decumbūt; Ideòque eâ moderatione ſunt aſſumenda, ut nec præ nimiâ copiâ corpus oblædant, neque præ exiguitate à deleteriis vincantur. *Galen. 5. Simplic. 18.* Et non ſemel tantum, ſed quoties opus eſt, repetantur. Unica enim Sudatio totam materiam ſemper exhaurire nequit, in primis ſi humores etiam ſuperflui redundant, tunc præcedat diminutio neceſſe eſt. Humorum hæc exuberantia facit, ut *Sudorifera* ſæpe iſtos neque attenuare, neque digerere poſſint. Reſpicit autem diminutio hæc vel *Plethoram*, & tunc locum habet *Venaſectio*, vel *cacochymiam*, & hæc *Medicamentis Purgantibus* per epicraſin educenda, ſi vires fuerint debiles. Cōſtantibus autem viribus pauca cacochymia univerſè detrahi poteſt.

Tempus Diei illud Sudoribus judicatur opportunum, quando peractæ ſunt coctiones in ventriculo, hepate & venis, alvi & veſicæ excremēta educta; adeoque jejuno, non pleno ſunt exhibenda ventriculo, aliàs cruda ſimul à Centro ad circumferentiam raperentur & obſtructiones fierent. Opportunum inde *Tempus eſt matutinum*, ſi Morbus patiatur.

Æſtate Sudorifera facilius operantur, quàm *hyeme.*

Quoad Quantitatem humorum, qui educuntur, etiam hîc εὐφορία valet *ſenis noſtri*, quàm Medicus στοχαστικὸς facilè aſſequi poteſt, & non ſæpe copia valet humorum, ſed illud, quod lædit, cum ſudore tanquam vehiculo ſi extradātur res, ſalva eſt. ἢν οἷα δεῖ καθαίρεσθαι καθαίρονται ξυμφέρει. Hinc magnum errant errorem, qui abſolutam & plenam cacochymiam, utpote in hydrope, Sudoriferis expellere conantur. Hoc quidem in Lue Venereâ interdum conducit. Verùm in hoc caſu & interdum tantùm. Accidit hydropicis interdum, ut bullæ vel veſiculæ in eorum abdomine compareant, ex his apertis duarum vel trium horarum ſpatio non rarò plus aquæ exſudat, quàm optimum *Sudoriferum* per integram noctem educere potuiſſet.

Sudor ex toto corpore debet educi, hæc enim ſeroſa materia non tam ex hu-

ex humoribus, quam conſtitutione partium provenit.

Sudor pedetentim non confertim moveatur, & ſi Expultrix ignava excitanda admotis lateribus calidis ad plantas pedum, & veſicis decocto calente plenis ad emunctoria. Et ſi forſan ad *Sudoriferorum* exhibitionem nullus prorſus ſucceſſerit Sudor, elapſis duodecim horis fortiora propinanda.

Ceſſatio à Sudore pedetentim etiã non ſubito fiat; induſia, quæ mutantur & denuò induuntur, ſint tepefacta.

Poſt *Sudoriferorum uſum* horâ unâ elapsâ ægrotantis vires Cordialibus Medicamentis ac analepticis ſunt reſtaurandæ; qualia gelatina Eboris, *liquor Perlarum*, Corallorũ, Tinctura roſar. violar. fl. borragin. cum Spiritu Martis ſtriato parata in Keutterlingium inſtillanda. Poma item Citri in cibo ac potu adhibeantur.

Fl. borragin. bugloſſ. tunic. cum radice Scorzoneræ coq. in brodio gallinæ & repetito hauſtu aliquoties abſumantur. Vel:

Rec. Aq. fl. borragin. acetoſ. ſemperviv. Plantagin. ana ℥iſs. ſemin. melon. non rancid. excorticat. ℥j. f. Emulſio, adde manus Chriſti perlat. Sirup. de Canellâ. myv. cydon. ana ʒß. Spirit. rub. id. roſar. cydon. ana ℈j. M. confortans in febribus ardentibus.

Extrinſecus applicentur Pulſibus Spirit. roſar. fl. tiliæ lil. convall. aq. Carfuncul. apoplectic. addit. aliquot. gutt. ol. Citri deſtill. apoplectic. Confect. alkerm. aceti cheirin. lil. convall. tunic. &c.

Hiſce præmiſſis reliquum jam eſt, ut doceamus, in quibus affectibus Sudorifera ſalutarem præſtent Effectum.

In *Scabie*, quamvis *CL. Helmontius* putet non intrinſecis opus eſſe remediis expellentibus Sudorificis, ſed ſolum *Topicis*, quæ ſint enecando Salia pruritiva; nihilominus tamen hæc Salia poſſunt etiam habere rationem Salium transmiſſorum, fermentis viſcerum malè diſpoſitis vel impeditis, quæ transmiſſa Archeos partium in furorem concitant, ut incandeſcant producto fermento pruritivo. Hæc Salia optimè per *Specifica* domantur & expelluntur *Sudorifera*; qualia ex *Antimonio & Mercurio parata*, *Tinctura ſcilicet Antimonii, Antimonium diaphor. Ceruſſa Antimonii Cinnabar. Antimonii optimè rectific.*

In Ulceribus Sudorifera ſuas etiam conferunt operas promptiſſimè, dũ acres & ſeroſas ſuperfluitates, quæ quotidiè in partem affectam fluunt, per ſudorem iterum expellunt. Inſerviunt hîc *Eſſentia lignor. D.D. Michaëlis & illorum Decocta, Ebur. ſ. Ign. bezoardic. Martial. Antimon diaphor. Tinctura Sulphuris aurati Antimonii*

timonii, Tinctura bezoardica cum Eſſ. fl. hyperic. vel chærefol. &c.

Ad *Eryſipelatis Sal acidum* refrenandum & expellendum, evacuatâ prius, ſi opus eſt, alvinâ regione, nihil præſtantius eſt *Sudoriferis*; verùm *Specificis* & acorem illum halituoſum figentibus & unà expellentibus, in quorum cenſu *Aq. fl. ſambuci cum ſemine aquilegiæ vel cum bezoardic. Martiali, Ocul. ♋, bol. armen. vel terr. ſigillat. &c.* Parti affectæ imponenda *Saponaria* Lixivialia, *quæ aciditatē combibunt; qvalia linteola per quæ in lixivio cinerum fagi cum albumine ovorum & camphora conquaſſato, ſæpius humectata & in umbrâ viciſſim exſiccata.* Si Sal hoc acidum copioſius abundat, Archéū in tantum laceſſere poteſt, ut is partem aliquandò gangrænet, ad hoc impediendum *Medicamenta Bezoardica* egregium præbent uſum.

In *MORBO GALLICO* ſtupendæ ſunt efficaciæ Medicamenta Sudorifera ſpecifica hujus Luis alexiteria, quæ vim habent Sanguinem ab effluviis venenatis Venereis non ſolum depurandi, ſed etiam fermentum illud venenatum ſolidis vel liquidis noſtris partibus odoris inſtar affixum potenter extirpandi & penitus eradicandi. *Tinctura Antimonii ex Sulphure ejus aurato* parata cum *decocto ſpecifico Sudorifero, ex Lignis* ſtupendæ eſt efficaciæ. Cui ſuccedit *Cinnabaris Antimonii cum Auro horizontali facta CL. Helmontii ſeu Mercurius diaphoreticus fixus; & alia ex Mercurii proſapiâ oriunda bezoardica.*

In *ARTHRITIDE Sudorifera*, dū conſumūt ſerum copioſum ſale ſylveſtri acido fermentali contaminatum, quod Spiritum Membrorum inficit & ad Arthritidem diſponit, ſunt convenientisſima, tum averſionis tum evacuationis gratiâ adhibita. *Unde Crato in Conſiliis num. 240. Sudores admodum commendat, dum inquit: Ego & Experientiâ multiplici & ratione adductus, raſuram Cornu Cervi optimi, ligatam in petiâ & impoſitam potui, certum habeo & Urinam provocare, & corpora, modo ad id proclivia ſint, facilè ad ſudorē diſponere, ſi præſertim manè in lecto ſe contineant, & Membra foveant, qvod qui faciunt, ab arthritide ferè liberi ſunt. Nam cum craſſi humores absque ſeroſis non posſint fluere, opti*ma eſt præſervandi ratio, in victu ſeroſorum copiam evitare, & ſi in corpore cumulentur, per ſudores & Urinas tempeſtivè educere. *Cui ſubſcribit Solenander ſect. 4. Conſil. 24.* Quâ autem limitatione Sudorifera talia ſint uſurpanda, notum eſt, præmisſis ſcilicet Univerſalibus appropriatis, tandem eò usque perveniēdum eſſe.

Vagæ Arthritidis Scorbuticæ cura, ubi Spiritus Influus ſale ſylveſtri fermento Scorbutico tincto infectus eſt

eſt, *Sudoriferis* optimè etiam peragitur, ſed ſpecificis per quæ cauſæ occaſionales proximæ non ſolum abiguntur, & annihilantur, verum etiam *Archeus* partium furore percitus ſedatur.

In *Iſchiade Arthritidis filiâ* nihil hâc per ſudorem evacuatione quicquam poteſt eſſe utilius. κέδματα etiam *Hippocr. 6. Epid. ſect. 5. t. 62.* eundem Sudoriferorum efflagitant uſum. Seroſæ enim materiæ portio, quàm Natura ordinariè per inſenſibilem tranſpirationem difflat, ſufflaminata & intrò detruſa cauſam occaſionalem ſuppeditat, & ſuggerit dictis affectibus; evacuatâ autem illa & convenientibus Sudoriferis ſubtractâ non parum ægro affert levaminis; quâ in re conferunt *Bezoardic. Solare, Martiale ex Regulo Martis cum additione Mercurii ſublimat.* paratum, & *in Balneo ſicco* cicuratum. *Eſſ. & Spiritus Lignorum incomparabilis Practici Dn. D. Michaëlis, Mixtura anti-ſcorbutica ejusdem; & TincturaBezoardica &c.*

In *FEBRIBUS* cum Natura materiam febrilem, & in intermittentibus in particulari declinatione, & in continuis in declinatione univerſali ſpontaneo auſu & motu ſæpius per Sudorem exterminare ſoleat, & vix aliqua febris ſine ſudore integrè finiatur, nec ullus febricitantium perfectam ſanationem ſibi facilè polliceri queat, qui ſudare non poteſt, *monente CL. Sennerto libr. 2. de Febrib. c. 8. & acutiſſimo Helmontio lib. de Febrib. c. 9. §. 18.* Medico inde facilè eſt conjicere, Naturam ducendam eſſe, quâ ſponte vergit, id eſt, Diaphoretica ſola eſſe febrium appropriata & ſpecifica remedia, niſi interna unâ inflammatio adſit. Cum enim fermentum febrile inviſibiliter & odoretenus, vel inſtar aporrhϾ nos ingrediatur, ut totam Spirituum & actionum vitalium œconomiam invertat, utique illud poteſtativam per diaphoretica elibrationem & eventilationem Spiritus vitalis ſub hujus tyrannide gementis, & ſic anxii omnes functiones interturbantis indicat. *Sine Bezoardicis, inqvit Balthaſ. Timæus à Güldenklee de Febrib. p. m. 351. rarò febris aliqva perfectè & ſine recidivæ metu curatur. Econtra illorum rectò uſu ſæpè paroxyſmus planè tollitur, diſcuſſo ſcilicet, & è corpore prorſus expulſo inquinamento illo, qvod à paroxyſmo relictum humores reliquis iterum corrumpit.*

In *Febribus Petechialibus, Variolis & Morbillis* conſiderandum, an Natura in Materiâ Morbificâ ad cutim expellendâ ſatis ſuo fungatur officio: quod ſi fiat, ſpectatorem agat Medicus ex lege *aph. 20. ſ. 1.* Neque enim tunc opus eſt, eam multis Medicamentis adjuvare, ne intempeſtivo eorum præcipuè calefacientiũ uſu materia nimis agitetur,

febriſque augeatur. Quod ſi verò tardius & parcius maculæ erumpāt ex præcepto *aph. 20. ſ. 1.* adjuvandus eſt Naturæ conatus, non ſolum remediis ſpecificis humores ad cutem propellentibus, ſed etiam, ſi Epidemici ſint affectus, ac inſignis malignitatis participes, *diaphoreticis & alexipharmacis*, quibus tamen aliquid de refrigerantibus & modicè adſtringentibus addendum ad partes internas roborandas, fluxumq; humorum coërcendum, fervorem ac acrimoniam mitigandum. Et advertendum diligenter, ea Medicamenta, quæ Variolarum expulſionem adjuvant, in omnibus ægrotantibus non eſſe indifferenter uſurpanda; interdum enim tanto erumpunt impetu, ut earum motus aliquantiſper cohibendus ſit; Maxima enim ebullitio & fervor ſanguinis immodicus, niſi temperentur, ad exitium ægrotantes producere conſueverũt, ideò frænantibus & modicè refrigerantibus interdum uti convenit. QuàmPraxin ſæpisſimè exercui, ductu *Lazari Riverii de Variol. & Morbill. c. 2. Meth. Curandi febr. vid. infrà plura.*

In *Sudore Anglico* ſi ſudor in mediâ acceſſione interrumpatur, tunc illum omnibus modis per Sudorifera movere oportet. Nulla hîc Venæſectio, nulla purgatio convenit, cum Sudor adſit copioſisſimus, per quem Natura ſolet judicare hunc Morbum transmittendo ad cutim, partem ignobilem. Et quò Natura vergit, eò ducere oportet per loca conferentia.

In *Febre Ungaricâ Sudorifica* etiam utiliter exhibentur, per quæ maximo ægrotantium commodo maligna materia ab interioribus & cordi vicinis partibus ad corporis ambitum propellitur, & per ſudorē evacuantur, ſi prius per vomitum cauſa occaſionalis fuerit diminuta.

Quoad alios affectus internos, in *Capitis Dolore Eſſentiali, Sudorifera* quidem non conveniunt, dum materia ſeroſa morbifica magis magiſque inde ſurſum ad caput movetur. In Symptomatico autem magis neceſſaria ſunt, præcipuè ſi hypochondria fomitem ſubminiſtrēt, aut Scabies intrò repulſa fuerit. Id quod & in vertiginis Curatione probè eſt obſervandum.

In *Apoplexia, Lethargi, convulſionis & Tremoris curatione*, ſi materia pertinacius parti inhæreat, Sudorifica & quidem crebrius ſunt exhibenda. Illa enim vitioſorum humorum copiam ſenſim, & præcipuè ſeroſos tenuiores evacuant.

In *Epilepſiâ Diaphoretica ſint ſpecifica*, ut *μιάσματα Epileptica* exhauriantur, obſtructiones expediantur, humores vitioſi quoquo modo præparati exhauriantur, & Membrorum œconomia depravata in integrum reſtituatur, eorumque uſus

non

non ſolum per dies aliquot, ſed & ſeptimanas, ſi vires ferant, continuãdus. Maximè autem hunc affectũ impugnant *Spiritus Sanguinis humani limpidisſimus, ejusq; Sal volatile; Spiritus ant-Epilepticus Hartmanni, cum Tincturâ Lunæ conjunctus. Spiritus Cornu Cervi rectificatus. Cinnabar. Antimonii rectific. &c.*

An in *Paralyſi Sudorifera conveniant?* contentionis ſerram trahunt Doctores Medici. *Septal. lib. 6. animadverſ. no. 74. prorſus damnat,* quia Sudoriferorum uſu tenuibus evacuatis crasſiora magis calleſcunt, & crasſiora redduntur. *Nicolaus Petre Medicus Pariſienſis in Exercitat. quâdam hanc rationem affert; qvia Sudorifera vires exſolvunt, dum nõ ſolum ſerum ſuperfluum erumpit, ſed nonnihil etiam ſubſtantiæ partium ſolidarum.* Verùm in genere hîc obſervandum, *Sudorifera* plurimum conducere hoc in affectu, ſed non debere eſſe nimia, ne partes reſolutæ magis reddantur effœtæ. Talia autem ſint, ut, ſi craſſa peccet materia, vim habeant eam attenuandi.

Quod *Nicolaum* concernit, poteſt reſponderi, hæc de immoderato Sudoriferorum uſu eſſe intelligenda. *Excell. Kyperus p. m. in ſuo Collegio Practico valdè commendat Vinũ Salviatum*, experientiâ ſuâ comprobatum, ſi nempè manè, & pomeridiano tempore hujus hauſtùs capiatur, & inter prandendum & cœnandum loco ordinarii potus aſſumatur: optimum verò illud eſſe dicit, quod paratur ex muſto, ut ſic hujus fermentatione melior contingat virium extractio. Vel: Rec. herb. Salv. ſicc. M. iv. infunde in ℔. xxxvj. vini albi per 24. hor. Colatura detur uſui. Eſſentia Lignorum hîc etiam non excludenda erit. Spiritus Ligni Saſſafras omnibus palmam præripit.

In *Phrenitide & Melancholiâ* per ſudorem etiam, modo ægri in tumultuariis hiſce affectibus deliris ſub ſtragulis detineri posſint, materia morbifica diſcuti poteſt atomis circulando hinc & inde cribratis & attenuatis.

In *Oculorum etiam affectibus cum* fructu *Sudorifica* illa exhiberi posſunt; *Baricelſus de Hydronosâ Naturâ.*

Ad *Surditatem Franciſc. Jcel. lib. 2. Practic. ſ. 2.* præmisſis præmittendis commendat Sudorificum hauſtum *ex Theriac. A. & aq. rutæ confectum. Eundem imitatur Franciſc. Oſwald. Grembs. lib. 2. cap. 1. §. 11.* qui in dicto affectu ad conſumptionem humiditatum Cerebri curam Sudoriferam commendat ex decocto lignor. Mihi Experientiâ probatum eſt Surdis, præmisſis præmittendis ſi ſcilicet nervo auditorio vel etiam tympano humor quidam craſſus ac frigidus impactus eſt, balnea commendare, (adhibitâ ſtu-

tâ ſtuphâ vel labro umbilicotenus) non nimis calida, ut partes tantum calefiant & ſanguis fluidior reddatur, paulò pôſt immittendæ & inſtillandæ guttæ duæ vel tres aquæ apoplecticæ in aurem lateris affecti, & ſic laborantem extemplo ſanatum videbis; referunt enim ægri ſe poſt hujus uſum ſentire quaſi aliquid in aure decidiſſet.

In *Thoracis affectibus* magnam etiam exerunt virtutem *Sudorifica* & in *Palpitatione cordis* illorum uſus ritè adminiſtratus non eſt deteſtandus. Cum maligna & vitioſa effluvia, quæ cor quâlibet circulatione tranſeunt, non melius, quàm per dicta diſcutiantur Diaphoretica.

In *Pleuritide* nihil eſt quod facilius acorem illum cruori ac venis hoſtilem corrigat, tollat & ad diaphoreſin diſponat, quam hidrotica ſeu diaphoretica ſpecifica, qualia ſunt *Cruor hirci, pulvis de virgâ cervi vel tauri, ſuccus cichorii ſylveſtris, fl. papav. dens apri, fimus equi, herba bellis &c.*

Diaphoreticorum uſu in *lienis affectibus* nihil magis proficuum eſſe *ſcribit Caſp. Hoffmannus de Uſu Lienis c. 16. ex Hippocr. & Valleſ. Mulier, quam cranone primum curavit Hippocr. 6. Epid ſect. 3. verſ. 5 Foëſ. febri καυσώδη prehenſam, cui Lien magnus erat, criticè per ſudorem fuit liberata, decimo die ex ſuperioribus partibus profluxit, ex inferioribus decimo quarto. Valleſius 3. in 2. Epid. 20. 3. in 3. Epid. ægrot. 3. 2. in 6. Epid. 32. ab Experientiâ deſumpto argumento in Melancholicis ſpleneticis crebras eſſe ſudores, docet; in hisce enim Lien ſeſe exonerat & liberat à lixivioſis, ſalinis ſcoriis, & tartareis cruditatibus, qvarum proventus ſæpè eſt maximus.*

In Affectibus Scorbuticis Naturæ motus colluviem ſæpè ſuâ ſponte diſcutientis effluviorum Scorbuticorum adjuvandus, promovendus, & reliquiæ in centro & ambitu corporis hærentes per ἄδηλον διαπνοὴν & ſudorem diſcutiendi, ſed admixtis ſemper ſpecificis anti-ſcorbuticis.

In *Paſſione Colicâ Diaphoretica & Sudorifica* etiam non ſunt negligenda, cum obſervatum ſit *à Carolo Piſone ſect. 4. de Morb. infim. ventr. à colluvie ſeroſâ cap. 2.* ſæpisſimè Dolores hoſce à ſudoribus ſpontaneis maximè quieſcere, & averti, diſcutiendo flatus. *Sæpè & ſponte Naturæ critico motu bilis, colici doloris cauſa ad externam cutem protruditur abſceſſu univerſali. Vid. Caſtrenſis liber, quæ exquibus.*

In *Cholerâ Diaphoretica* Alexiteriis mixta tum ad revellendos humores acres Expultricem ſtimulantes, tum meliorem impreſſæ malignitatis discusſionem, ſummo etiã cum fructu adminiſtrari poſſunt. *CL. Sennertus lib. 3. part. I. ſect. cap. 13.*

Diar-

Diarrhœa & Dyſenteria requirunt interdum *Sudorifera* ad diverſionem humorum & malignitatis imbibitæ expulſionem. *Vidus Vidius de Curatione generat. cap. 6. Sic Principiſſa illa, cujus mentionem facit Gvilhelmus Fabric. c. 10. de Dyſenter. cùm poſt eſum fungorum Dyſenteriâ aliisq; ſymptomatibus tam graviter laboraret, ut in agone verſari videretur, ſumtis Lapidis Bezoar gr. XL. in ſudorem calidum incidit, & mox ſeqvuto ſomno intra paucos dies ſanitati fuit reſtituta.*

CAPUT XII.
De Diureticis.

SUnt autem *DIURETICA* Medicamenta, quæ urinam movent; Non tamen *unius* ſunt *generis*; *Alia enim vel propriè dicta, vel impropriè, vel miſta.*

Propriè dicta ſunt *Medicamenta*, quæ ſanguinem fundendo non ſine coaguli cujusdã vi materiam ſeroſam à reliquo ſangvine veluti præcipitando ſecernunt, abſterſivam reddunt, adnatas ſordes incidunt, & excretricem acredine ſuâ ſtimulant; *de qvibus agit Galen. 5. ſimplic. 22.*

Impropriè dicta ſunt, quæ largam ſuppeditant aquoſitatem, & ut humores alluvione ex arteriis ſequantur, anſam præbent. Talia ſunt *vinum aqvoſum, Keutterlingium noſtrum, emulſiones ex ſeminibus melonum, cucurbitæ factæ.*

Miſta ſunt, quæ attenuatoriam vim aquoſitati copulatam habent, & diuriſin potenter movent, ut Acidulæ. Hæ univerſum permeantes corpus per arteriarũ & venarum emulgentium apices ſeroſam illuviem trahunt, eamque in ureteres per caruncula papillis mammarum ſimiles, quæ anguſtisſimè perforatæ ſunt, tranſcolant, à quibus deinde per ureteres in veſicam, veluti corporis matulam, derivatur.

CL. Helmontius in tr. de Lithiaſi c. 5. ſ. 17. DIURETICA ratione effectus diſtinguit; Primò, qvædam, inqviens, urinam corroſivo acuunt veneno, ut Canthàrides; Deindè, alia aciditatem provocant, ac relinqvunt in lotio, & ſtranguriã excitant. quales ſunt cereviſiæ recentes; Tertiò, ſunt qvæ urinam reddunt abſterſivam, ut Acidulæ, Vitriolum Martis, Lapis cancrorum; itemq; herbæ pasſim gaudentes etymo Diureticorum, continentq; ſingulæ alkali volatile, vel ſaltem iſtud ſubter digerendum acquirunt. Qvartò qvædam ſtimulant Archéi ſegnitiem & in eo vim expulſivam augent, cujusmodi ſunt raphanus, aſparagus &c. Qvintò, nonnulla grato odore lotium renesq; reficiunt, ut Macis, Nux Myriſtica, Therebinthina, Maſtix, juniperus &c. Qvaſi renes odore conſolati ſui memores officii fierent. Sextò, ſunt etiam, quæ ex alkali lixiviali ſub digeſtione migrant in acredinem, vias urinæ abſter-

gentem, inſtar ſaporis, excretricem ſtimulant, incidunt adnatas ſordes. Cujusmodi ſunt, quæ teſtis, & lapidibus, cineribusq; appropriatorũ colliguntur, quæq; ſolo Lithontripticorũ vel Saxifragorũ nomine digna videntur, præcipuè ſi in gradum volatilitatis ſint deducta. Septimò, eſt demum Diureticorum genus, qvod parvâ quãtitate lotii copiam è toto corpore profundit, ut Millepedes, & qvæcunque Nitrum volatile continent, quæque renes torpidos ex proprietate excitent. Octavò, eſt & genus, qvod ſedandis Renum doloribus utile, hæſitantes confortat, qvale eſt in Croco, Rhab. & Caſſiâ vi ſolutivâ prius orbatis. Nos addimus demum etiam illa, quæ non ſolum vi abſterſivâ, ſed & reſolutivâ ſcorias tartareas tam ex hypochondriis, quam renibus protrudunt, incidunt & expellunt. Sic Spiritus Salis marini, Vitrioli ſtriati nedum diuretici ſunt, ſed & inſuper tartarum reſolvunt & per meatus urinarios educunt.

Quomodo hæc Medicamenta operationem ſuam perficiant, videtur *ipſum Helmontium* in omnibus ſecum non convenire.

CL. Helmontius in tr. de Poteſtate Medicamin. §. *19.* & §. *22.* Videtur realem & materialem admittere Diureticorum influxum, *dum ſalia Diuretica, inquit, ſunt, qvæ in ventriculo ſuas non aperiunt ſalſedines, ſed non niſi poſt alteram digeſtionem manifeſtant. Et de Lithiaſi c. 8. §. 21. Spiritus Vitrioli volatilis proprietates exaggerando & commendando dicit, laudatum hunc Spiritum pergere usq; in qvartam digeſtionem, & reſolvere excrementa morboſa in itinere obvia; In Aditu verò Præcluſ. ad condum viſcerum §. 11. virtualem ſeu per actionem Regiminis videtur ſolum admittere Diureticorum influxum; Quemadmodum, inquit, potus vulnerarius usque in externos artus ſuos edit fructus; Sic & Diureticorum levicula proprietas in Digeſtionum culinis manet ſoſpes & imperfracta, diſperſa ſcilicet ab ore per renes usq; in veſicam;*

Verùm in hiſce allegatis nulla eſt contrarietas, ſed diverſitas, nullus diſſenſus ſed conſenſus. Diſtinguenda enim ſunt Medicamenta *Diuretica*, & genuina illorum eſt explicanda Actio. Quædam enim *Diuretica* virtualiter operantur, dum ventriculi fermentum, quod ferè ſingularum partium præeſt digeſtionibus, alterant & variè diſponunt, qualia alkalia *Diuretica* & quædam Medicamenta Vulneraria; *Qvædam Diuretica* licet acida & corroſiva, ut ſuccus Citri, Spiritus Salis marini, Vitrioli ſtriati &c, in ſolamen tamen etiam ægrotis non obvenire poſſunt, niſi à fermentis viſcerum prius recluſa in digeſtionib9 variis dimittant acorem & corroſivam exuant facultatẽ, ac veluti Citri immaturi in ſe prius acidi per ſolem

matu-

maturati dulceſcant, quorum effluvia ſcoriis morbificis partim aſſociantur, & mediante ſanguinis circulatione hinc & inde cribrantur & attenuantur; partim etiam ſtatim per venas lacteas & lymphatica vaſa ad emulgentes arterias devehuntur, ibique per ureteres & veſicam excernuntur, quædam etiam ſpecificâ proprietate cum chylo per venas lacteas thoracicas ad cor, ex eo in Arteriam Aortam rapiuntur deſcẽdentem, attenuatas ſordes mucilaginoſas & ſcorias tartareas Salinas præcipitando ad renes deducunt,& quæ ſanguinem fundendo plus præcipitant, largam urinæ profuſionem inferunt. Ob quam rationem & *Diuretica* ſunt ejusmodi, quæ & lacti coagulationem inducunt. Quædam vi innatâ ſtatim per venas lacteas & lymphaticas ad renes dictos deveniunt. Hæc veritas tantò magis in libertatem adſeritur, quò proximiꝰ ad veritatem accedit novum de Venarum lactearum & lymphaticarũ in renes vel emulgentes arterias inſertione inventum, quod rationem claram ſubminiſtrat, cur nonnunquam *Diureticorum* quorundam mephitis in exteriori ſeſe manifeſtet habitu corporis. Et quare interdum vinum Rhenanum, Rhabarbarum, Oleum Therebinthinæ eodem, quò adſumuntur colore & odore, emingantur; interdum etiam violaceum naribus præſentent odorem, Sali volatili Urinæ adſcribit *P. Borellus Centur. 2. obſ. 33.* quia Violarum odorem optime redolere Salem gemmeum marinum obſervavit, qui Sale Terebinthinæ junctus augeat urinæ odorem. Poſt intinctum ex Naſturtio aquatico & cochleariâ cum aceto, vino & ſaccharo adſumptũ, urina brevi temporis intervallô emiſſa odorẽ vegetabilium retulit.

Hîc circa allegatam ſuperiùs Spirituum acidorum *Diureticorum* efficaciam non leve ſuboritur dubium, *cur CL. Helmontius* primum quaſi Tartari principium in corpore humano donet defectui fermenti fellei, eò quod acidum ſtomachi chylum in Salem ſalſum commutare nequeat, *in tr. de Lithiaſ. cap. 4.* Nihilominus tamen alibi in ſubſidium vocet res acidisſimas, hoc eſt, Spiritus minerales; nonne hoc eſt, malum malo addere?

Verùm hîc probè attendendũ eſt, magnam eſſe differentiam inter acetoſitatem ventriculi præternaturalem, & Spirituum mineralium aciditatem. Illa enim craſſa, fixa ac corporalis eſt magisque corruptibilis, quæ in tædioſam quidem facilè tranſire poteſt amaritiem, non verò in ſalem ſalſum volatilem; hæc verò tanquam Spiritualis volatilis corruptioni non facilè obnoxia eſt, ſed potius illud fixum ventriculi acidum in volatile transmutat; Neque enim Naturale ſtomachi fer-

mentum ſimpliciter eſt acidum ſolum, ſed eſt volatile acido-ſalſum, cujus finis eſt transmutare cibum in chylum humanæ digeſtionis, ſiquidem plura adſumuntur fixiora cum cibis, quæ tamen debent parem ſubire cum volatilibus ſuccis conditionem, ſi penitius ad vitæ radicem migrare debeant. Hoc igitur Naturale ventriculi fermentum, ſi in volatilitate ſuâ acido-ſalsâ deficiat, volatilibus reparandum eſt acidis. *Deindè* ſciendum eſt ſpiritus hos acidos ex earum rerum numero eſſe quib9 diverſæ inſitæ ſunt facultates. Hi enim imodicas hæmorrhagias, & evacuationes alias, quæ præter Naturam eveniunt, ſiſtunt. Quævis etiam dura diſſolvunt corpora, & ſic per conſequens potius humores viſcidos, tartareos & quasvis cruditates promptisſimè digerunt, incidunt, abſumunt. *Tertiò* doſis etiam horum Spirituum eſt conſideranda; in ſatis enim largo offeruntur vehiculo, ut illorum aciditas ita diffundatur, ut vel exquiſito guſtandi ſenſu vix perſentiscatur. Hæc tamen inſuper cautela obſervanda eſt bono Medico, ne crebrius loco præſervationis iſtiusmodi utatur Spiritibus, ſed præſente ſaltem indicante, ne Natura adſueſcat, quamvis itaque per urinam humores in primis ſeroſi evacuentur, *& juxta Gal. 7. Meth. cap ult.* ubi redundantia humorum circa gibbam epatis partem obſtructionem facit per renes, veſicam & his inſervientia vaſa ſit purgandum, tamen etiam per easdem vias reliqui humores tartarei, acidi, biliosi cum ſero conjuncti evacuari ac univerſum genus venoſum & arterioſum expurgari poteſt. Quamvis *CL. Helmontius* neget, bilem conſtituere urinam, ſed omnem flavedinem Tartareo competere urinæ excremento; Tamen ſi penitius in bilem inquiras, deprehendes cum Sylvio, Backio, & Pecqueto eandem ſale ſuo non deſtitui fixo & volatili ſalſo, ut itaque, ſi à Sale Tartareo bilioſo tingi urinam dixeris, non erres.

Galenus loco inquit citato, ventriculum evacuari vomitu & ſeceſſu. Inteſtina & cavam epatis partem ſolum ſeceſſu. Partem autem Jecoris gibbam & per alvum & per renes. Sed duplex hîc videtur exurgere dubium. *Primò*, quare *Galenus* in eâdem causâ morbificâ ad gibbam epatis utatur & purgante per alvum & per renes. Nam cùm unum ab uno ſaltem indicetur, quomodo eadem cauſa ſub eâdem formali ratione & eodem loco affecto & *Diureticum & Dejectorium* poteſt indicare? *Deindè*, quare ibidem excretiones per urinas & alvum certis asſignet locis, cum univerſales ſint evacuationes, & non tam certis partibus deſtinatæ, quàm toti *ipſi*. *Verùm* ſciendum eſt, prædictam cauſam morbificam non indicare duo illa ſub eodem reſpectu,

ſpectu; ſed ſub diverſo. Nam indicat per alvum purgans, ut lædit eadem gibbam, quatenus cum venâ portæ & inteſtinis communicat: Et rurſus indicat *Diureticum*, quatenus jecoris gibbæ non ſolum ſubjiciuntur renes, ſed & cætera expurgandæ urinæ inſtrumenta. Quæ cauſa eſt, quod etiam gibbæ partis inflammatio terminari ſoleat juxta *Galen. 3. criſ. c. 3.* per urinas, nam venæ cavæ inſuper, quæ brevi poſt emulgẽtes producit rami & vaſa lymphatica per illam diſperguntur. Et cavæ partis tumor contra plerunque terminatur excretionibus bilioſis & vomitu, & curatur vacuantibus per alvum & hæmorrhoidum internarum, cum portæ rami hic potisſimũ diſpergantur, apertione.

Ut autem cum εὐφορίᾳ & magno ſanitatis emolumento contingat *DIURESIS*, videndum, quâ ratione & quo conſilio rectè adminiſtranda ſit? Et attendendum, *DIURESIN* non indifferenter eſſe excitandam, ſed conſiderandam Morbi ideam, locum affectum, *Diureticorum* diverſitatẽ, cauſam Morbificam, vires, viſcera interna & tempus Morbi. Hiſce poſthabitis, plurimum nocumenti inferri corporibus, nullum eſt dubium, nam ſic ſæpenumerò Morbus non expugnatur, pejora excitantur ſymptomata, & vice ſanitatis ipſe augetur affectus. Cum tamen boni ſit Medici ex venerandi Senis præſcripto, ſi non proſit, ſaltem ne noceat, ut videat; & in Artis operibus eo ſemper annitatur, ut quod auxilii loco adhibetur, juvet, vel certè non noceat. *Galen. in proœm lib. 1. de compoſ. Medicam. ſecund. loc. & lib. 1. de compoſ. Medicam. ſecund. genera cap. 17.*

Utrum *Diuretica* præcedere debeant Sudoriferorum uſum, hîc meritò quæritur, cum ad rectam Medendi Methodum plurimum conferat? Sciendum autem, quod interdum ſine provocatione urinæ posſit ſudor provocari, præſertim, quando humores ſolum in vaſis extremis continentur, ſed longè tutius eſt, ſi Medicamenta *Diuretica* præcedant. *Primò*, quoniam Medico certò non conſtat, utrum humores ſeroſi in vaſis majoribus retineantur, an ſolùm in extremis. *Deindè*, quia facilius eſt urinam provocare, quàm ſudorem, & ſemper à facilioribus eſt inchoandum; hoc modo intelligendus *Galenus 11. Meth. Med. cap. 9.* qui non ſolum poſt phlebotomiam & purgationem, ſed & poſt *Diuretica Sudorifica* propinanda conſuluit.

In illis *Affectibus DIURETICA* maximè conveniunt, qui fixas habent radices fundatas in ſcoriis Tartareis, Salinis, in quibus ſenſim & paulatim cauſam Morbi occaſionalem per meatus urinarios evacuare

 utile

utile eſt. Sic in hypochondriacis ſcorbuticis tartareos iſtos humores & ſalia illa ſylveſtria fermento ſcorbutico tincta ex digeſtionib9 depravatis nata commodius ſenſim atq; ſenſim per *Diuretica* aperitiva antiſcorbutica prius, quæ ſimul ſalium excitatorum vim ſaturant, quam per nuda *Sudorifera* aut *Purgantia* ſolum è corpore eliminamus.

Cum autem magna ſit *DIURETICORUM* diverſitas, non quælibet ex his competunt, quæ quævis cuilibet applicari poſſunt affectui & cauſæ morbificæ, ſed accuratius ſingulorum, quæ offeruntur, Natura prius examinanda. Sequius enim ſi fiat, in mortis ægros deducemus periculum, & ex minori gravius accerſemus malum. Sic *Diureticis* propriè dictis, quæ urinam reddunt abſterſivam, adnataſque incidunt ſordes, & excretricem acredine ſuâ ſtimulant, commodè utimur in Hydrope; ſi autem illa hîc adhibeantur, quæ largam ſuppeditant aquoſitatem, non conducerent, ſed ægros valdè læderent. Sic etiam tunc competunt *Diuretica* propriè dicta, ubi in hypochondriis & toto venoſo genere hærent humores craſſi, tartarei; eos enim attenuare, reſolvere, abſtergere, & per urinam educere valent. Sint tamen hæc *Diuretica* ſemper temperata, in primis in calidis affectibus, ut Febribus ex calidis humoribus, tabidis & macie confectis. Aliàs vires corporis facilè hanc evacuationem ferre poſſunt, cùm non tantum earum robur, ut ad *Venæ-ſectionem, Purgationem* aut *Vomitum* requiratur, modo ita adhibeantur, ut plus commodi, quàm damni inde in ægrum redundet.

Cauſa etiam morbifica probè eſt examinanda; ejus enim copiam per alia excretionis loca, ut ſuperius orificium ventriculi & inteſtina, ſi minus diminuamus, metus eſt, ne ſui copia, dum ad vias anguſtas ruit, eas obſtruat, & ſibi & aliis tranſitum intercludat: ita docuit *Galenus 7. Meth. Med. cap. ult. qvare & Avicenna 1.4. tract. 2. cap. 7. inqvit, in curatione febris putridæ fac ſeqvi phlebotomiam, deindè lenificationem ventris, poſteà exhibe, qvæ urinam provocant.*

Quocirca cum vel in univerſo corpore, vel circa ventriculum & inteſtina multi humores pravi hærent, prius per vomitum vel per alvum inſtituenda eſt purgatio, ubi ſcilicet vacuatione paulatinâ & moroſâ opus eſt, *ut aſſerit Galenus 4. aph. 14. & 3. progn. 23.* quæ ſolum in Chronicis morbis & febrium productis eſt tentanda, at non in acutis, quæ præſidiis, cito & celeriter operantibus indigent. Si acres, ſalini & alii acerbi in corpore præſtò ſint humores, illorum acredo prius mitiganda, vel contemperanda, vel ſpecificis digeſtivis vel aliis appro-

priatis

priatis præcipitantibus, ne reliquas in tranſitu afficiant partes. Si denique meatus etiam urinarii & alia adjacentia vaſa vel exulcerata, vel inflammata ſint, aut ſimili laborent vitio, non commodè per *Diuretica* humores vitioſi in corpore reſtagnantes ad partes haſce affectas & debiles moventur: niſi ulcerum materia cum clyſteribus, tum catharticis remediis, ſed lenibus ſubducta & expurgata ſit, in uniriusque ſigna maturitatis apparuerint. *Franciſc. Joël Lib. 6. p. 87. & p. 123.* Viſceribus obſtructione obſesſis niſi Diuretica ejusdem ſint indolis, quæ unà aperiant & humores abſtergant, majus ægrotis ſunt conciliatura damnum, & viſceribus coctionis ſæpè nocumentum imprimunt, ut poſtmodum cachexia ſubſequatur, quale exemplum *habet Horſtius in Epiſt. Medic. ſect. 8. Foreſt. lib. 28. obſ. 24. Lazar. River. Tom. 1. Prax. lib. 8. c. 1. Johann. Fernel. conſil. 59.*

In *calculo* tam *Renum* quam *Veſicæ DIURETICA* frangentia calculum longè à cibo, aut jejuno ſtomacho propinanda ſunt, & ſi fieri poteſt corpore prius purgato, quia *Diuretica* citisſimè feruntur ad Renes, & ſecum rapiunt cibum crudũ & non concoctum, & ſic magis gravant Renes & Veſicam, & augent materiam calculi. Perperam igitur faciunt, cum decoquunt quidam cũ carnibus radic. Petroſel. vel aliud diureticum, & decoctum illud ſumunt in prandio, vel cœnâ. Quorum tamen *Diureticorum* delectus habendꝰ eſt, ut primò mitiora uſurpentur, & magis temperata antequam ad acriora veniatur, quæ epatis ac renum Archéum accendunt. Ubi notandum, quod refrigerantia Cataplaſmata & inunctiones prius ſint applicanda epati quàm renibus, quando ab illo provenit renum caliditas, ſeu quando peregrinum quoddam Sal ex digeſtione epatis natum renibus irrepſerit mediante ſanguine, tunc incluſum hoc, quia non vitale Archéo moleſtum ex maturitate temporis incaleſcit, hinc provenit iſte renum calor. *Deindè* obſervandum eſt, ea non ſemel, aut bis, ſed pluries eſſe uſurpanda, donec viæ obſtructæ fuerint reſeratæ. Dum autem offeruntur, renes etiã & veſica balneis, fomentis, unctionibus & Cataplaſmatibus, quo faciliori negotio operentur, fovendi ſunt; & uſurpanda ſunt juxta vel per ſe vel cum Decoctis *Diureticis* mixta interna emollientia, laxantia, & vias lenientia, ut viæ magis dilatentur & aliorum remediorum acrimonia temperetur; humectant autem & emolliunt malva, althea, ol. amygdal. dulc. & alia, quæ juvant, non quatenus amplificant Ureteres, ſed in quantum ſpaſmum criſpationis demulcent, prout aliquot fotus externi *juxta CL. Helmontium*; ſeu

quatenus

quatenus ſuaviore ſucco Urinæ acrimoniam demulcent ac temperant: vel abactis prioris vitæ mucoſitatibus intus in radice deterſivi aliquid vel diſſolutivi cuſtodiunt, quod uſui eſſe poſſit, prout in ſucco Citri, cydon. cineribus, parietariâ &c.

DIURETICA Lithontriptica primò ſint apta in urinam mutari, ut ſcilicet locum affectum tangant, inquit *CL. Helmontius p. m 560. Deindè* habeant in ſe poteſtatem ſolvendi repagula calculi. *Tertiò* poſſideant iſtud in proprietate ſpecificâ; *Quartò* ſint ſubtilia, ut quaquaverſus eant. *Qvintò* amica ſint Naturæ, ne ſcilicet cuncta pervertant.

INFANTIBUS, PUERIS, GRAVIDIS, & PUERPERIS ejuſmodi *DIURETICA tutò* exhiberi poſſunt, quæ vi abſterſivâ ex alkali conſtant, & blandâ ſuâ acredine viarum urinalium ſordes incidunt & repurgāt, qualia *lap. percar ocul 69. lap. judaic. Nephritic. ſpongiæ; oſſicul. fructuum & eorum cineres.* Corpora calida & ſicca non diutius nec vehementius *Decoctis Diureticis* calidis ad *Diureſin* ſunt cogenda, cum ex eorum uſu epatis inflammatio, febris & totius corporis extenuatio ſequi poſſit. Contrà obeſi frigidi, cutem mollem & laxam habentes, humoreque aquoſo & tenuibus ſuccis redundantes ad Diureſin maximè ſunt habiles.

Quantitas illius, quod per *DIURETICA* educitur, paucâ eſt, nec obſtat copioſa illa in Anaſarcâ per urinam excretio, quicquid enim in hoc caſu fit, id omne ſoli Naturæ eſt adſcribendum, nec quicquam vel Arti, vel Prudentiæ Medicæ. Si urina ultra conſuetam Naturæ excretionem ad ℔j pervenerit, qvantitas hæc mediocris erit, ſi ulterius, ſuma.

TEMPUS, & quidem Morbi, quô *DIURESIS* inſtituenda, eſt vel *univerſale*, vel *particulare*. Communiter inquiunt, humores prius eſſe præparandos, antequam *Diuretica* exhibere volumus. Nec convenire in principio Morbi, nec in augmento, quando Materia adhuc cruda potius agitaretur, quàm evacuaretur, ſed in declinatione, rarò in ſtatu. Verùm hæc ſententia de Diureticis in genere & indifferenter ſumptis intellecta maximè fallit; dātur enim *Digeſtiva Diuretica* juxtà, quæ fermenta viſcerum roborando excrementa Morboſa in viis obvia potenter reſolvunt, obſtructiones reſerant, humores craſſos attenuāt, acidos combibunt, ebullitionē ſanguinis compeſcunt & urinam reddendo abſterſivam tartaream mucilaginem expellunt, qualia *Tinctura Antimonii ex ♀ & ♁ D. D. Michaëlis*, ejusdem *Tinctura Bezoardica. Tinctura aperitiva D. Mœbii, Spiritus Martis ſtriatus; Arcanum Tartari ſoluti. Eſſentia Mea Martis aperitiva, & Sal Martis aperitivum diureticum &c.* Hæc ſane in omni

omni Morbi, præſertim chronici, tempore, præmiſſis præmittendis & intermediatis cordialibus confortantibus ſummo cum ſanitatis emolumento & ægrorum εὐφορίᾳ exhiberi poſſunt. Hujus autem indolis quæ non ſunt, ſed quæ urinam copioſè ſaltem eliquant, & attenuatoriam vim aquoſitati copulatam habent, in primis fortiora calida, non niſi concoctâ aut digeſtâ materiâ, & ubi materiæ morbificæ impetus ac furor ſedatus eſt, conveniunt. Illa autem crudâ etiam adhuc materiâ convenire poſſunt, *authore ipſo Galeno, qui ante coctionem exhibet decoctum apii & anethi 1 ad Glauc c. 9.* Nam crudos humores concoquunt, & illorum faciunt à maſsâ ſanguineâ ſeparationem, & per urinam expulſionem: Naturæ ſeqvacē reddunt cauſam morbificam, & fiunt æmula Naturæ. Hinc etiam videmus poſt eorum uſum in febribus tam continuis, quam intermittentibus, urinam crudam fieri coctam, & calorem febrilem aliaque ſymptomata remittere. *Ubi tamen notandum ex Gal. Meth. Med. cap. ult. ſi materia adſit copioſa in primis viis, licere prius uti ſubductoriis*: quo in caſu & mihi placet, ut Diuretica & ſolventia ſimul miſceantur.

Quod *Particulare Tempus* morbi attinet, etiam ante paroxyſmum *Diuretica* conveniunt, in primis ſi *Diaphoretica* unà ſint, tunc enim Naturam moventem debemus adjuvare.

Exhibeantur jejuno ventriculo, potius die, quàm nocte. Poſt adſumptionem corpus moveatur, aut inſeſſus adhibeatur.

Continuatio *Diureticorum*, ut ſi mane, meridie & veſperi uſurpentur, eorum vim & efficaciam auget.

Inter alios evacuationis modos, quos pro humani corporis ſanitate humana induxit curioſitas maximæ etiam utilitatis eſt *DIURESIS*; uſu enim illius & præſidio tales ſæpè curantur morbi, quos nec *purgatio*, nec *venæ-ſectio*, nec alia eradicare potuiſſet evacuatio; Eſt & hæc *univerſalis*, & inter κοινὰς κενώσεις *à Gal. lib. art. Medic. c. 99. refertur.* Et quamvis, ut etiam ſuprà dictum, primò gibbam epatis partē, Renes, Veſicam, & his inſervientia vaſa purget, & humorem aquoſum & ſeroſum evacuet, conſequutione tamen quâdam etiam reliquas corporis partes, ac univerſum genus venoſum & arterioſum purgare poteſt. Nec tantum eam ſeri partem, quæ vehiculi inſtar alimentum ad partes deduxit, & functa officio ſuo ad meatus urinarios tendens expellitur, ſed ſimul cum ſero tartareos ſalſos ac alios acres expurgat humores. Hâc viſcera à multis impuritatibus, quibus ſcatent, liberantur, ſupervacanei tartarei humores inciſi & attenuati exhauriuntur, tota maſſa

ſanguinea in integrũ reſtituitur, firmaq; & temperata corporis conſtitutio redditur. Hinc ab ejusmodi evacuatione præmiſſis præmittendis plurimi ſolent curari affectus.

In *FEBRIBUS DIURETICA* conveniunt, tum impropriè dicta frigida, quæ largam ſuppeditant aquoſitatem, & ut humores alluvione ex arteriis ſequantur, anſam præbent. Talia ſunt *4. ſemina frigida majora*; conveniunt etiam *propriè dicta*, in primis in *Febribus tartareis, hypochondriacis, ſcorbuticis &c.* Quæ non ſolum humores excretioni aptos reddunt, & ad attenuationem & fermenti febrilis per urinas expulſionem aliquid faciunt, ſed & Naturam & meatum ac viarũ organa ad excretionem exſtimulant & extergunt, partem etiam ſanguinis ſeroſam per ureteres derivant & ſanguinem humido ad fermenteſcendum neceſſario hoc modo privant.

In *Quotidianâ continuâ Diureticorum*, quæ vi abſterſivâ & reſolutivâ maſſæ ſanguineæ ſordes incidunt ac repurgant blandâ ſuâ acredine, præmiſſis præmittendis uſus etiam non poſthabendus, inprimis tartareâ in hypochondriis peccante colluvie, qualia ex Tartaro & Marte parata ſunt Medicamenta, hæc univerſum penetrantia corpus per arteriarum, venarum emulgentium & vaſorum lymphaticorum apices ſeroſam & tartaream illuviem ſecum ad renes deferunt.

In *Tertianâ Intermittente* primis viis liberis & apertis materiam febrilem citius ac tutius præter *Diaphoretica Diureticis* etiam Naturæ æmulis auferimus. Unde & nonnulli in eâ ſunt ſententiâ, *Galenum abſynthium, centaurium minus potius urinam ciendi, quàm purgandi gratiâ* (cum utramque vim habeant) *propinâſſe.*

In *Quotidianâ intermittente* utilia etiam ſunt Medicamenta urinam moventia.

Quartanæ Diureticorum etiam implorant opem; qualia ſunt *Spiritus Salis Diureticus ſpecificus, fl.* ✱. *& alia Diuretica*, quibus hæ febres ſolvuntur.

In *Dolore Capitis* ex ſeroſis humoribus ortô *DIURETICA* ad educendos illos, qui ad caput raptum habent, magnarum etiam virium ſunt, dum eosdẽ ſecum per ſanguinis maſſam circulandos derivãt. Poſtquã enim Diuretica cum chylô ad cor, inde per arteriam aortam cum ſanguine in totum corporis habitum deferuntur, attenuatam noxiam materiam, tartaream, arenoſam, ſcoriasque fecales ſalinas ad meatus urinarios, deducunt.

In *VERTIGINE* quoque, ſi à totô cum primis cauſa ſuggeratur, hâc prius iminutâ, comodè humorum reliquias *Diuretica* per urinæ vias

vias expurgant. Eundem etiam præſtant uſum in *Epilepſiâ*, præſertim ſi ſit ſympathica, nec inveterata, & hujusmodi *Diuretica* ſint Naturæ, quæ obſtructiones una aperiant, mineram reſolvant & educant, qualia *Spiritus ant-Epilepticus Hartmanni*, *Spiritus Vitrioli volatilis*, qui peculiari facultate *Epilepſiæ* contrariatur. riatur.

In *Apoplexiâ Diuretica* ut prophylacticum remedium plurimum etiam præſtant, dum per urinæ vias ex arteriis materiam peccantẽ educunt. In *Paralyſi* etiam proficua ſunt, & pari cum *Diaphoreticis* paſſu ambulant. *Hippocr. lib. 2. Prædict. Coac. ex aphor. 13. c. 14.*

In *Melancholiâ à toto & hypochondriacâ lienari Diuretica* præcipuè conveniunt; In utrâque enim ſeroſæ humiditates abundanter reſtagnant, quæ non minus ac craſſi humores ſunt avertendi, craſſi in habitũ & ſubſtantiã corporis convertuntur, ſeroſi natant ubique; Et poſſunt eſſe modo calida, modo frigida. Calida, ubi epatis caliditas non prohibet: *Frigida*, ubi fervor epatis fuerit inſignis, ne abuſu calidorum noxa percipiatur. Hæc continuato temporis tractu uſurpata humores peccantes nec in corde, nec liene ſatis elaboratos feliciter per Renes evacuare ſolent. Compendioſâ etiam viâ ex lacteis vaſis & lymphaticis dictis ſeroſitates Melancholicas exturbant.

In *Phrenitide* urina quandoquè ſupprimitur, ſexto die præſente febre continuâ, cui movendæ ſi Medicus tantopere incumbat, errat. Hæc enim retentio ſæpè criſin per ſudorem indicat. *Hippocr. 6. Epid. ſ. 1* Explicationem pete *ex Dureti comment. in 5. coac. lib. 1. & in primam coacam ſub titulo de ſudore lib. 3. & ab ejus diſcipulo HEURNIO in notis ad aph. 82. ſect. 4.* Ideoq; non eſt curanda, ſed naturæ benè agenti relinquenda, ne Naturâ turbatâ per intempeſtiva *Diuretica* ad interitum deducatur æger, quale exemplum proponit *Heinricus ab Heer libr. 1. obſ. 5.* Si tamen *Diuretica* hujusmodi ſint indolis, quæ unà ſunt *diaphoretica*, aperientia, incidentia & tartarum moventia, qualia *Spiritus ant-Epilepticus Hartmanni*, cujus effectus mirandos in *Epilepſiâ*, *aliisque capitis affectibus ipſaque Maniâ multoties expertus ſum*, in primis ſi dicti affectus oriantur ex ſucco nervorum nimis hebeti, acido & quaſi vapido, in hoc caſu maximè conducunt Medicamina Sale alkali volatili referta, qualia Spiritus Cornu Cervi, ſanguinis humani rectific. fuliginis egregii uſus. Sin verò liquor nervoſus ſit nimiũ acris, ſalſus aut effluvia à ſanguine æſtuante effuſa Spiritus animales in diſtractiones agant, ejusmodi remedia, quæ ex acido

cido volatili conſtant, cum fructu adhibentur, qualia Spiritus Vitrioli volatilis, aperitivus ſtriatus Penotti, Vitrioli Philoſ.

In *Maniâ Avicenna & Meſue Diuretica* planè excludunt; Verùm cum ob memoriæ non raro & ſenſus læſionem aut lotii ſtimulum Maniaci non ſentiant, aut mingere obliviſcantur, cum *Paulo & Aëtio* mediocriter urinã provocãtia admittimus.

In *Thoracis affectibus* virtute ſuâ non carent *Diuretica*. In Empyemate pus per urinam educunt *Gal. de loc. affect. Fallopius, Coſtæus & Mongius in comment ſuper Avicenn.*

In *Palpitatione cordis* ortâ ab humore aquoſo & ſeroſq́, nihil eſt, quod faciliusvim hujusMorbi evincere poſſit. Si verò ſanguis craſſus peccaverit, ab horum uſu ut abſtineamus author eſt *Ludovicus Septalius lib. 6. animadv. 117.* quod ſerum ſanguinis exhauriant, & craſſius reddant. In *Pectoris* etiam *vulneribus Diuretica* ſunt utiliſſima *vid. Greg. Horſtius libr. 3. de Morbi Pectoris, obſerv. 15.*

In *Peripnevmoniâ & Pleuritide* ſapientiſſima Morborum Medicatrix Natura materiam morboſam purulentam in cavitate thoracis cõtentam per urinam ſæpè expurgare ſolet, *Galenus lib. 6. de loc. affect. c. 4. & Zacut. Luſitan. lib. 2. de Medic. Princip. hiſtor. 26. q. 26.* Ideoque motus ejus eſt ſedulò obſervandus, ne à Naturæ miniſtro invertatur, ſed potius idoneis adjuvetur remediis. Si itaque contigerit, ut Natura excretionem per urinam moliatur, *Diureticis* eſt agendum, quæ miram quandam in hoc affectu præſtant utilitatem, teſte *Heurnio cap. 3. Prax. de Morbis Pectoralibus*; Sint tamen non nimis calida, ſed potius temperata. *Gregor. Horſtius l. c.*

In Infimi ventris affectibus *DIURETICO* præſidio nihil habemus magis proficuum. An in *Lienis affectibus* per urinas evacuandum ſit quæritur? Multi dubitant authoritate *Galeni 13. Meth. Med. c. 17. adducti, ubi dicit, lienem eſſe purgandum per alvum, & non per urinas*; præterea id confirmat ratio anatomica, ſiquidem ad *lienem* ramus inſignis venæ portæ pervenit, per quẽ materia debet transmitti ad jecur, & inde ad venam cavam, ex quâ ad emulgentes. Et ſi aliquando aliqui per lotium copioſum curati ſunt, ut de Bione ſcriptum eſt *2. Epid. ſect. 2.* id vel tanquam rarum, & per vias occultas factum recenſet *Hippocrates*, vel ſanè aliis adhibitis remediis emollientibus & diſſipantibus, & alvum ſubducentibus, cum multa feculenta per venas ſupereſſet materia, quâ foveri & renovari humor ille poterat, per urinas eâ ſubductâ præſervatio potius, quàm curatio facta eſt. Quod imitari Medicus poterit, ubi nigras, craſſas, & feculentas

lentas urinas adeſſe cognoverit; *Diureticis* enim tunc tutò uti poterit, ad antecedentem materiam per eam partem evacuandam. *Vid. Septal. lib. 7. animadverſ. n. 62. Hollerius in ſcholio in cap. 40.* Verùm lienem ſæpè ſeſe exonerare & liberare à lixivioſis ſalinis ſcoriis & tartareis arenoſis cruditatibus, dum attenuantur, & per urinam excernuntur, luce meridianâ clarius eſt. Exindeque Medicus liene laborantibus *Diuretica* dandi occaſionem nanciſcitur; & *Hippocr.* cum curam affert lienoſorum *lib. de affect.* dicit eſſe purgandos per urinam. *Deindè falſum eſt*, nullam à liene ad renes & veſicam viam manifeſtam eſſe. Habet enim lien non ſolùm arterias multas, & ferè quintuplo plures, quã venas, quæ oriuntur ab arteriâ cœliacâ, jam verò à cœliacâ facilis eſt tranſitus ad emulgentes, ſed & vaſa lymphatica per illum diſperguntur, quæ tendunt ad renes, & ex his ad emulgentes, manifeſtè inde patet, commodiſſimè humores è liene per urinas evacuari poſſe. Hinc etiam *Galenus 2. ad Glauc. c. 2. renes & lienem* per urinas evacuari docet. *Tertiò*, falſum etiam eſt, quod ſaltem præſervationis gratiâ & ad materiã antecedentem in venis contentam *Diuretica* ſint exhibenda; cum teſtetur Experientia & ſæpè obſervatum ſit, ab hypochondriacis & lienoſis nigerrimas urinas ex ipſo *liene* & locis circa *lienem* per arterias emulgentes & quidem cum commodo redditas fuiſſe. Id quod etiam *Antonius Valetius* obſervavit, qui in *Exercitat. in modò allegatum caput Hollerii* refert, ſe noviſſe Virum religioſum, cui ter aut quater in Anno, maximè Vere & Autumno ineuntibus *lien* intumeſcebat, quique dolore hypochondrii tum manifeſtabatur, & ſublividus fiebat toto corpore, tandem verò nigricantibus urinis atramento ſimillimis erumpentibus per quinque aut ſeptem dies priſtinam ſanitatem recuperabat. Materia etiam conjuncta morbifica per urinas facilè evacuari poteſt, transmiſſo humore non per venas, ſed per *arterias & vaſa lymphatica*, ut ſuprà diximus, quæ ſunt in *liene*, per quas ad emulgentes transfertur humor. *Vid. CL. Sennert. libr. 3. Practic. Medic. Part. 5. ſ. 1. cap. 6.*

Ubi Obſtructio in gibbâ epatis parte exſtiterit, præſtat Medicamentis *Diureticis* uti, & in Meſenterii obſtructione reliquiæ continuatis aperientibus *ſpecificis & Diureticis* exhibitis ſunt abſumendæ.

In *Ictero* impactos humores, limum mucilaginoſum, arenoſumq; *Tartarum* meatibus infarctum reſerant *Diuretica Martialia & Tartarea Medicamenta*, & per meatus urinarios educunt.

In *Malo Hypochondriaco & Scorbuto*, quæ circa primas vias, & *lienem*

nem eſt materia, ſæpè ſatis commodè per urinas, quæ craſſæ & nigræ tunc redduntur, evacuatur, quo in caſu Medicamenta *Martialia, Tartarea, Salina, & contra Scorbutum pugnantia* utilia ſunt. Unde *Hipp.* ut ſuprà etiam monuimus, *de internis affect. lienoſis, Diuretica clarè præcipit. Et Gal. 1. ad Glauc. c. 11. in omni qvartanâ jubet uti Diureticis; & 2. ad Glauc. 11. Lienem per Urinas purgat, & 7. de ſimpl. Medic. facult. Cappares lienem per urinas purgare ſcribit.*

Communiter ſtatuunt *DIURETICA* in Hydrope eam tantùm materiam ad vaſa urinaria deducere, quæ poteſt decumbere in cavitatem, non eam, quæ jam ibi collecta eſt; hanc enim per urinam evacuari nullo modo poſſe, eò quod materia in cavitate reſidens, ſi per urinam evacuanda eſſet, ut rurſus ingrederetur viſcera, neceſſe eſſet, quod tamen impoſſibile. Verùm hic metus de nihilo eſt, ſed magno cum fructu exhiberi poſſunt, ut quæ non ſolum materiam ſeroſam, quæ in venis adhuc continetur, & ad ventrem confluxura eſt, derivare, ſed etiam illam ipſam, quæ in abdominis cavitate reſtagnat, in venas aut vaſa lymphatica reſorbere atq; evacuare poſſunt. Ita *Rondeletius cap. 36. Meth. cur. Morb. lib. 2. Mulierem hydropicam vidit per urinæ fluxum ſanatam; confirmante illud ipſum Wiero de præſtig. Dæmonum l. 3. c. 35.* ubi etiam hiſtoriam aliam refert de hydropico, quodam inopinatò reſtitutô exhauſto pulvere bufonum, quem uxor ſumptuum pertæſa illi propinârat ad finiendũ tædium vitæ, ſed exoneratâ per veſicam ſaburrâ aqueâ convaluit præter conjugis expectationem. *Eandem hiſtoriam etiam Solenander ſ. 5. conſil. 15. §. 19. refert. Et CL. D. D. Michaëlis etiam obſervavit.* Sed ſciendũ *primò*, Diuretica prius non eſſe exhibenda, quàm corpus purgatum eſt; & fluidũ factum; *deindè* hoc commodi habere debere, ut poſſint unà viſcera ab obſtructionibus liberare, ex quorum cenſu ſunt *Spiritus Salis urinæ, ejusq; Sal volatile Spiritus aperitivus Penotti, Tinctura Nephritica* D. D. *Michaëlis ex Antimonio, Nitro & Tartaro; Tinctura aperitiva* D. D. *Mœbii; Sal abſynthii cum Spiritu Salis coagulatum, fel vitri cum decocto cancrorum fluviatilium &c.* Egregiè huc quadrant, quæ *CL. Helmontius lib. de poteſt. Medicamin. §. 32. notavit, ſenſi,* inquiens, *cuncta ſalia ſimplicia recedere per lotium atque inteſtina, & interim reſolvere ſordes in illis meatibus, ac expulſivam ſui memorem officii reddere. Tertiò* in frequenti uſu eſſe habenda. *Qvartò* ſæpius eſſe permutanda, ne Natura iis adſueſcat. *Qvintò* in pulvere eſſe exhibenda, & denique ab iis eſſe abſtinendum

nendum in anaſtomoſi venarum & colliquatione humorum.

In *NEPHRITIDE* ſunt, qui *DIURETICA* præſcribunt, *Alii* contrà timent, ne videlicet propulſus è rene calculus in viâ ſteterit. Nam omnis calculus vel major eſt ſuo uretere, vel minor, vel æqualis. Si minor, opportuna, nec metuenda, erunt *Diuretica.* Si autem juſto major, *Diuretica* planè erunt evanida ac fruſtranea. At ſi æqualis ureteri reſponderit, præſtat eundem ocisſimè expelli, ne per moram augeatur. Hinc *Crato in Conſil. Medic. 246. A Diureticis* Medicamentis, & quæ calculos pellere ſolent, abſtinendum monet: niſi enim illud factum fuerit, verè calculoſus efficitur, vel gravioribus doloribus, quam vel podagrici ſunt, vel Melancholicæ moleſtiæ, afficietur. Verùm notandum *primò* à *Diureticis* eſſe cavendum ante exactisſimam purgationem, quæ tamen ſit lenis. *Hieronymus Capivacc. in Conſil. Scholtz. 154. deinde Diuretica* quando uſurpantur, renes & veſicam fovendos eſſe balneis, fomentis, unctionibus, & quæ ſimul vias lubricant, quo negotio faciliori operantur. *Laz. Riverius Tom. 1. Prax. lib. 8. cap. 1. Foreſtus lib. 24. obſ. 5. Chol. 25.* Hinc *CL. Helmontius de Lithiaſ. c. 5. §. 16. inquit, quia tranſeunte calculo ureter contractus præ dolore plerunque criſpatur; Diuretica in paroxyſmo danda cum cautelâ. Nimirum propinanda ſunt doloris & contracturæ inde natæ inbibitiva. Quâ de cauſâ Anodyna unà ſunt exhibenda, ſi non magna adſit humorum copia, nã renes ſeu ureteres irritati à calculo continuò irritantur, & ſi Narcoticis motus ille inhibetur, ſimulq; fibræ laxantur, calculus eò facilius deſcendere poteſt. Hujus ſolius incuriâ vel inſcitiâ ſubinde contigit calculos mediâ ſtetiſſe viâ, & miſerandis ejulatibus Nephriticos necuiſſe; idque non tam Diureticorum inſolentiâ, quàm Medentum inſcitiâ. Nec putandum, canalem ureteris eſſe inæqualis ſtricturæ, ut calculus, qui per ureterem primo impulſu deſcendit, tandem anguſtiâ itineris preſſus hæreat, ſed compresſiones poſteræ ſunt criſpaturæ morboſæ, ac ſpasmoides à dolore. Adeoq; tàm externa fomenta, quàm interna, quæ convulſivos illos motus placant, maximè ſunt neceſſaria. Tertiò* à valdè calidis *Diureticis* omninò abſtinendum, ſed potius ea offerenda, quæ vi abſterſivâ ex alkali volatili & acido conſtant, & blandâ ſuâ acredine viarum urinalium ſordes incidunt ac repurgant, tum quæ ſuavi fragrantiâ ferientia renes fraciditatem fermenti inhibent, adeoque occaſionem calculo præcludunt; tum quæ renum dolores demulcentia animoſiores ad expellendum nociva eos reddunt, ut crocus, casſia & Rhabarbarum

rum purgandi virtute ſpoliata &c.

In DYSURIA etiam poſt pituitæ evacuationem tutius fortiora DIURETICA & urinæ propulſioni dicata remedia exhiberi poſſunt; cum enim hæc, & ſtranguria, ardoresque Lithiaſi familiares non aliunde, quàm à vi aceſcente hoſtili in lotio, partibusque illi ſubſervientibus, *Lapis cancrorum Diureticus* optimè corrigit. *Helmontius in tr. à ſede animæ ad morb. §. 25.*

In DYSENTERIA, poſtquam maxima materiæ pars per alvum evacuata fuerit, etiam ea, quæ reliquias ad vias urinæ ducunt & derivant, conveniunt *Diuretica*, additis iis, quæ robur ventriculi tuentur. Nullo verò modo in *Principio* & antequam corpus purgatum ſit, *Diuretica* exhibenda, ne materia, dum ad renes tendens viſcera tranſit, ejus aliquod damnum adferat. Monet quoque *Celſus* iis tantùm *Diuretica* hoc in caſu convenire, quibus alioquin facilè prodeſſe ſolent. Si verò effectum ſuum non facilè conſequantur, malum potius augetur. *Sennertus in Praxi lib. 3. part. 2. ſ. 2. c. 7.*

In *Colicâ Nothâ* ex tartaro, in quã dolores arthritici ſæpè deſinunt, *Hippocr. 6. Epid. ſ. 4. CL. Sennertus in Praxi lib. 3. p. 3. c. 2.* etiam Diuretica ſpecifica ſuum ἐπιβάλλον μέρος conferunt.

In *Fluore Muliebri* an *Diuretica* conveniant, dubitatur, quia hæc menſes movere valent. *Gal. 4. de Simplic. Medicam. facult.* atque ita humores ad uterum movere & fluxum augere poſſunt. Verùm negandum quidem non eſt, *Diuretica*, dum humores fundunt, ſecundariò etiam menſes movere, ſed ſi corpore purgato exhibeantur, nullus metus eſt, ut majorem fluxum excitent, quia humores ad renes non ſpontè ruunt, ſed à vi renum attractrice alliciuntur. Ad uterum verò neque ſpontè ruunt, neque ab eo attrahũtur, ſed à Naturâ eò pelluntur, quod non fiet, ſi maxima pars per purgantia evacuata ſit: tunc enim reliquiæ è *Diureticis* fuſæ à renibus facilè attrahuntur. *Franciſc. Joël. Lib. 8. p. 250. Sennert. in Prax. libr. 4. p. 2. ſ. 2. cap. 12.*

In ARTHRITIDE VAGA SCORBUTICA etiam *Diuretica* proſunt; nihil enim magis ſeroſas humiditates fermento Scorbutico contaminatas, quæ Archéũ ad dictum affectum ſollicitant, per urinas expellit, quàm hæc. Cumprimis ſint ſpecifica anti-ſcorbutica, id quod illorum effectus ſatis docet; nam ab eorum uſu urina clara turbida redditur. Item in PODAGRA quæ ad pedes tendunt, ſæpè à Naturâ per vias urinarias evacuari notavit *Hippocr. 4. aph. 74.* Proinde nec hîc *Diuretica* omittenda. Et quamvis in *Podagrâ* multi crudi humores

mores ſeſe oſtendant, certum tamen eſt, eos nunquam ſine acribus illis ſeroſis & tenuibus ſuperfluitatibus in membra poſſe devehi, nec aliud eſſe præſtantius remedium pro *Podagrâ*, quàm quod urinam movet. *Decoctum Lappæ majoris cum cereviſiâ Foreſti teſtimonio nobilitatum habemus, quo poto Arthriticum à cæteris Medicis pro deſperato relictum, urinam inſtar lactis albã copioſè reddidiſſe, & à doloribus liberatum fuiſſe, ait.*

In aliis *Rhevmaticis affectibus*, quando colluvies ſeroſa, prava & acris ex Organorum ſanguificationi inſervientium intemperie calidâ generata in habitum corporis externum cum dolore ὀστοκόπῳ, vago & ſuccedaneo, caloris & totius corporis, gravitatis ſenſu, nonnunquam etiam in internas exoneratur partes, iſti abſorbendæ *DIURETICA* valdè conveniunt, idque conſilio *Hippocr. libr. de humoribus. Fuſos, inqvit, humores, ne intus intercludas, ſed ſuperfluos reſiccato, qvippe ſive educere velis, ſive ſecus, melius eſt, attenuatoriis uti, quia ſic facilius medicamentis educes, aut per urinam purgabis, quàm ſi adſtringentibus cohibueris, & coëgeris.* Et *conſenſu Galeni lib. 5. Simplic. c. 13. à Diureticis, ait, non attenuatur modo, ſed & funditur ac ſecernitur ſanguis, non aliter, quàm in lacte fit, in quo, qvod ſeroſum & tenue eſt, ſeparatur, qvod craſſum, cogitur in ſe, & exactè unitur.*

Deſumuntur autem *DIURETICA*, vel ex *Mineralium*, vel ex *Animalium*, vel *Vegetabilium* Claſſe.

Ex *Mineralium* claſſe agmen ducit *Spiritus Salis*, quatenus ſtriatus eſt, & volatilis ex Sale Marino, vel Hiſpanico aut noſtro Hallenſi paratus, hic ſummè non ſolum *Diureticus* eſt, ſed & inſuper putrefactionum incommoda impedit, tartaream mucilaginem potenter reſolvit, & ex *CL. Helmontii experientiâ de Lithiaſ. cap. 3. n. 31. ſibi par remedium non habet in extinguendis ardoribus urinæ, & in ſenum ſtranguriis, qvæ difficulter aliàs ſedari poſſunt.* Huic ſummâ exiſtimatione non minimùm cedit *Tinctura ſuprà laudatã aperitiva D. Mœbii*, quæ utiliter etiam adhibetur in omnibus viſcerum obſtructionibus, fermentum roborat ventriculi, ejus appetitum inde auget, & reſolvit excrementa morboſa in itinere obvia. Ex eodem etiam eſt cenſu *Sp. Martis* non venalis iſte, comunis, qui nil niſi acetum minerale adhuc in ſe adulteratum, nec minus rectè præparatum ob reſiduam Salis fixi acrimoniam & vim corroſivam, de quo ob ejus damna, quæ paſſim Doctores Practici annotârunt, *Thom. Bartholin. c. 5. hiſtor 53. Sylvaticus & alii*, juſta eſt cenſura *CL. Conringii de Hermetic. Medic. cap. 19.* injuſta autem de illo volatili ac ſtriato ſcilicet,

licet, qui meliorem puritatis ac ſubtilitatis gradum attigit; Vid. *Gregor. Horſtius decad. 5. qvæſt. 6.* Hic ſanè laudem meretur, quam *Mindererus* ipſi tribuit *cap. 15. lib. de Peſtilentia, inqviens: nulla humorum depravatio, quæ per iſtum non ſuperetur; Sane ſi mihi vitriolatorum Medicamentorum uſus vel interdiceretur, vel inhiberetur, ego ad Peſtis curationem nunqvam, vel ſaltem inermis accederem:* Unde & *Lazar. River. in Synocho febri vel maximè commendat Centur. 1. obſerv. 19. qvia, inqvit, de Putridâ continuâ p. m. 35. inſignem habet ebullitionem ſanguinis ſiſtendi, vaſa obſtructa aperiendi, inflammabilitatem humorum prohibendi & ſitim ſedandi,* id quod eodem jure etiam de Spiritu Sulphuris dicendum eſt, ejusdem cum illo proſapiæ. Attamen hoc diligenter advertendum, *primò* ne hos Spiritus infantibus lactantibus offeramus, quemadmodū hos in Practicorum libris hinc inde commendari videmus cum illorum uſu lac in ventriculo coaguletur, tuto exhiberi nequeunt. Vid. *Balth. Timæus à Güldenklee p. m. 257. libr. 5. de Morb. infant. conſ. 21. Deindè* in *Peripnevmoniâ, Pleuritide, hæmoptoë, phthiſi, cæterisq; Pulmonis affectibus,* (niſi à craſsâ materiâ vaſa illius obſtruente ortum habeat,) *Ventriculi inflammatione, Dyſenteriâ, ſanguinis mictu, renum & veſicæ ulceribus* plurimum nocere, & ab eo abſtinendum eſſe. Ex eodem cenſu etiam eſt *Spiritus aperitivus Penotti, Spiritus Vitrioli philoſophicus,* in quo oculi cancri fuerint diſſoluti, *Crocus Martis aperitivus cum ſalibus famigeratisſimi D. D. Michaëlis,* cui etiam ex *Marte quædam Eſſentiæ liquidæ* ſunt magno cum ægrotantium fructu uſitatæ. *Tinctura Martis Zwelfferi. Sal Tartari volatile. Arcanum Tartari ſoluti,* ſeu *Terra Tartari foliata, Tinctura Salis Tartari. Tinctura Sulphuris Antimonii Solaris. Spiritus Tartari rectificatus. Nitrum præparatum, arcanū duplicatum Mynſichti,* quod etiam in obſtructionibus *D. D. Michaëlis* expertus eſt probatisſimum cum aquis aperientibus, ut cuſcutæ, filicis agrimon. cichor. &c, item in calculo & ſcorbuto. *Spiritus Nitri Anticolicus,* qui eâdem ratione etiam anti-hypochondriacus eſt in flatulentâ hypochondriacâ, & obſtructionibus præſtantisſimū eſt remedium, *de quo vid. Zwelffer. in appendic. ad animadverſ. Pharmacop. Auguſtan. Sal Ammoniacum,* ter ſublimatum ſeu flores *Salis Ammoniaci. Sal hypochondriacum* D. D. *Michaëlis; Spiritus Salis Ammoniaci ſalſus.* Præſtantisſima ſunt *Diuretica* aperitiva unà à putredine præſervantia, fermenta acida præcipitantia, & corrigentia, unde etiam egregia ſunt febrifuga; Sunt, qui *flores Salis Ammoniaci* ſtomachicū

& fe-

& febrifugum *Poterii* eſſe autumant. Verum D. D. *Michaëlis*, ut ut certò non ſciat, putat tamen illud ex Nitro & Antimonio fieri. Alias dicti flores in *Qvartanâ* egregii ſunt, præmiſſis univerſalibus ſcilicet Vomitoriis, in quibus juxta *Riverium* radix evellendæ quartanæ conſiſtit, ſi unà applicetur Emplaſtrum febrifugum, *Strobelbergeri, CL Helmontii* vel *Emplaſtra mea Magnetica* è regione lienis. De jam laudatis Medicamentis notandum eſt, ea ipſa præter egregiam ſuam virtutem *Diureticam*, etiam vim *Digeſtivam & aperitivam* unà poſſidere, quâ materiam morbificam præcipitant, reſolvunt, & cum copioſâ urinâ expellunt, ſicuti certum eſt, remedia præcipitantia ſoleniter inſimul *Diuretica* exiſtere. *Bono autem Medico, inqvit CL. D. Langius, incumbet modum componendi ſcire, & doſin pro neceſſitate indicantis invenire, excogitare & ordinare. Qvot enim capita ſunt, tot ſenſus, qvot ſubjecta, tot circumſtantiæ & variationes.*

De *Acidulis* ſciendum, quod, etſi Tartarum, ubicunq; ſit, reſolvant, & per urinam, per ſudorem, per alvum & vomitum pro diſpoſitione corporis & materiæ morbificæ ratione expurgent, unde in malo hypochondriaco ſummo cum fructu in uſum trahuntur, tamen ratione perſonarum non conveniant ſenibꝰ decrepitis, pueris, debilem ventriculum habentibus, gravidis, tabidis, tympaniticis, dyſentericis, aſthmaticis, menſtruatis, renum exulceratione laborantibus. *Deinde* corpus prius benè præparandum alvi lenitione, Venæ-ſectione, viarum reſeratione & noxiorum humorum depulſione. *Tertiò* poſt illarum uſu corpus moderatè movendum, & attendendum, quò Natura vergat, id eſt, an ſint operaturæ per urinam, an per ſudorem, an per alvum &c.

Thermæ etiam internè adhibitæ, licet per urinas etiam ſcorias expellant ſalinas tartareas, videntur tamen aliquid in ſe habere metallici noxii, de quibus vid. *Rulandum Horſtium, D. D Strobelbergerum, & D. Langium.*

Ubi nec *Acidularum*, nec *Thermarum* copia poteſt haberi Naturalium, factitiæ parentur ex Marte, vel ſecundum *Platerum* ex aceto & aquâ Vitriolicâ. *Clyſſus* ex Antimonio, Nitro & Tartaro paratus *Acidularum & Thermarum* æquat ferè virtutem craſſam & tartaream muci laginem, ubicunque locorum deliteſcat, in corpore attenuando, ac per emunctoria convenientia expurgando in epatis, lienis, meſenterii, uteri obſtructionibus, præcipuè ſi cum cryſtallis Martis acuatur; miſcetur cum aquâ fontanâ vel alio liquore ad gratam aciditatem.

LUDUS Paracelſi ad CL. Helmontii præſcriptum *de Lithiaſi c. 7.*

 paratus

paratus *Diureticum* etiam eſt admirabile, & valet ad Tartarum in omnibus corporis partibus. Per Urinam cum potu vadit integris viribus, atq; diſſolvit omnem calculum, ubicunq; in corpore delituerit, quia eſt Sal volatile, reſolvitur in humido, nec ſeparatur in Digeſtionum officinis; ſed quia guſtum lotii aliquatenus repræſentat, habetque interim amicas proprietates Naturæ noſtræ, lubenter recipitur, ſimulque ad renes dimittitur. In tractu Mansfeldenſi eruitur Lapis ex terrâ fœcundâ nitroſâ ad rivos, quem non nemo pro dicto ludo venditat, & menſtruo ſingulari ejusdem anatomiam tentat; ſed hic Lapis reverâ nihil aliud eſt, quàm *Lapis Piſolithus*, qui in valle *Joachimicâ* Carolinas propè thermas ſummâ etiam reperitur in copiâ, in liquorem vel Magiſterium arte chymicâ tranſpoſitus materiã tartaream urinariis in ductibus coacervatam ſatis feliciter expellit.

Silices ſive ſint in vino extincti & in liquorem redacti, in primis verò illorum Tinctura, non cuivis obvia, cum Spiritu Salis urinæ volatili extracta, ſummè *Diuretici & Lithontriptici* ſunt.

Lapis Judaicus, Lyncis (hic enim non eſt urina Lyncis coagulata, ſed à Naturâ ita in formâ pyramidali productus) *Spongiæ*, & alii egregiam vim *Diureticam* poſſident, ſi vel ſub formâ liquorum vel Magiſteriorũ ægrotis propinentur.

Hîc etiam non prætereundus *Nephriticus ex Hiſpaniâ novâ* allatus *Lapis*, qui vel exterius appenſus brachio urinam cum arenulis ejicere atque expellere eſt deprehenſus, atteſtantibus *Nicol. Monard. Medic. ſimpl.* ex novo orbe delatorum *cap. 31. Johan. Franciſc. Ulmo de occult. Medicam. propriet. lib. 2. cap. 7. Camerario in memorab. Medic. cent. 8. § 34. Matth. Unzero in florileg. de Nephritid. lib. 1. cap. 24.* Majoris tamen erit efficaciæ hic Lapis, ſi pulveriſatus in liquorem redigatur, & interius cum aquâ ſaxifraga adſumatur. Ex illo parat *Magiſterium ſuum Nephriticum* D. D. *Michaëlis.*

Dicto Lapidi ne minimum quidẽ virtute Diureticâ & Lithontripticâ cedit *Cryſtallus.* Hunc, qui rectè præparare novit, felicem deprædicat *Paracelſus.* Communiter parant ex eô liquorem eodem modo, ut ex gemmis.

Sed *CL. Helmontius in tr. Pharmacopol. ac Diſpenſator. modern.* §. *55. inqvit, pudendam deploro ſimplicitatem illorum, qvi Lapides aut gemmas contuſas hominibus magna ſpe propinant, magno vendentes ſuam ignorantiam, ſi non dolum. Quaſi ſtomachus inde vel minimum exſpectet ſubſidii. Subtilior, ideoque magis condolendus eſt error eorum, qvi Corallia, Perlas atque ſimilia, per liqvores*

quores acidos corrodunt, atque diſſolvere videntur, putantq́ hoc pacto intra venas admiſſum iri verè ſuas proprietates nobiſcum communicatura. Neſciunt enim, ah neſciunt, acidum venis hoſtile, ideoq́ peregrinâ diſſolventium ſuperata & transmutatâ aciditate ejusmodi lapides pulverem eſſe, ut ante. Qui utcunque in tenuisſimũ pollinem ſit redactus, nihil tamen à ſtomacho conficitur, aut nobis ſuas virtutes partitur.

Verùm, cum negari non posſit, dictos Lapides teſte Experientiâ in vi *Diuretica & Lithontriptica* maximè excellere, certè ratio aliqua inveſtiganda erit, quâ modus illorum agendi declarari posſit. Nullum autem dubium, illos vel fermentum ventriculi præternaturale acidum vel illius productum præcipitando immutare, vel ipſos à ventriculi fermento naturali ac proprio, cujus virtus eſt inexplicabilis, aliquam ſubire alterationem, quâ poſtmodum urinam reddunt abſterſivam, adnatas ſordes incidunt & excretricem ſtimulant. Quod igitur modò laudatus *Helmontius in tr. Aditus præcluſus ad condum viſcerum* §. 11. *ſtatuit, de aliis Diureticis & fixisſimis oſſifragis, qvod ſcilicet ab acore ſtomachi ejusque nativo fermento reſolvantur per modum acidorum, prout libr. de Febrib. cap. 17. in fine ex profeſſo mechanicè demonſtravit, idẽ & nos de ſuperius allegatis ſtatuimus, eòq́ magis, ſi in liqvores aut Magiſteria reſolubilia ſint redacta*; Si enim Oculi cancri crudi, prout *Helmontius in tr. Adit. præcluſ. ad condum viſcerum* §. 11. *docet*, ab acore ſtomachi ejusque nativo fermento reſolvi posſunt, quid obſtat, quòd minus dicti lapides arte chymica prius recluſi eundem habeant effectum? Nec dictis contrariantur, quæ *de Febribus cap. 15. §. 15. proponit*, Magnam ſcilicet eſſe differentiam inter dictos lapides & oculos cancri, eò quod hiſce inſit ſuccus quidam lacteus & mucilaginoſus, qualem contingit etiam è limaturâ Cornu Cervi elixando extrahi. Experientiæ enim manuali non reſpondet ex oculis cancri & lapide Bezoar ſuccum lacteum mucilaginoſum ſeu gelatinã extrahi poſſe, quemadmodum ex Cornu Cervi, & quod ab *Helmontio* pro mucilagine ab oculis cancrorum decoctis reſiduâ habetur, illud exſiccatum nil niſi pulvis impalpabilis ſeu Magiſterium reſolubile eſt. Et eodem modo, quo *Oculi Cancri* cum aceto vel ſucco Citri diſſoluti operantur, etiam *Perlæ, Corallia* & ſuperius dicti lapides operari posſunt, licet pro diverſo reſpectu.

Ex *Animalium* genere Nobilisſimi ſubjecti præſtantiâ excellit *Lapis Microcoſmi*, qui tàm diureticus, quàm lithontripticus eſt; Et generatur vel in veſicâ, vel renibus hominis, & generatus ac coagulatus

vel naturaliter expellitur, vel artificiosè per ſectionem exſcinditur. Habet enim is ſingularem vim ſui ſimilem coagulatum lapidem in corpore humano reſolvendi ac expellendi, tam internè exhibitus, quàm externè appenſus aut in manu detentus. *Platerus* inde in Praxi pulverem contra renalem calculum componit. Hic Ludus communiter dicitur, ſed non *Paracelſi*, iſte enim, cujus ſuprà mentionem fecimus, verum ac genuinum meretur titulum omnibus reſpondens facultatibus à *Paracelſo* ipſi adſignatis. Ex *Tachenii* Mechanicâ conſtat illum per reſolutionem dare Sal acidum & alkali.

In Urinâ hominis plurima etiam ſunt arcana ad expellendam urinã & calculum facientia, qualia *Spiritꝰ Urinæ volatilis, & Tinctura ſilicum cum Sp.* illo parata, refert enim proprietatem alkali, unde abſterſivus ac diureticus eſt, dum ſub digeſtionibꝰ Naturam ſuam retinet, & quemadmodum *Spiritus Salis Ammoniaci ſalſus* etiam corruptiones cohibet acidas, ex quibus fracidum urinæ fermentum juxta Helmontium facilè oritur. Et mirum ſanguinem humanum, licet ad medendum habeat ſalem mirabilem tàm volatilem, quàm fixum, non tamen proficuum in *Lithiaſi* animadverti. *CL. Helmontius de Lithiaſi cap. 3. & in tr. Spiritus Vitæ* §. 16.

In *Boum* ventriculis & veſicis felleis Lapides etiam inveniuntur contra calculum mirabiles; Divina enim Bonitas in animali familia etiam Lapides creavit ſuis ſpeciebus quidem inutiles & fruſtraneos, penè monſtroſos, imò ſuis individuis moleſtos, ſed nobis utiles & proficuos. Cum igitur univerſa in ingrati hominis uſum ſint creata, multaque ſuis vix proſint individuis; mortalibus quoque nunquam profuerint, niſi in ſuccum lacteum reſoluta: deſtinationem ſuam certè ab uſu, peregrinæ ſuæ petrificationi, petriformi ſuſcepêre. Neque enim in pœnam animali innaſcitur Lapis; ſed ſignaturam ſui doni oſtendit, etiam in coagulationis ſuæ duritie. *Helmontius cap. 7. de Lithiaſ. §. 20. ſplendidiori dignum cenſet præconio liquorem ſaporis, non quidem urinalis, ſed alieni in Veſicula tauri embryonis inventum; & ad uncias circiter binas ſingulo manè cum totidem vini albi propinatum;* Hic etiam in Hydrope Aſcite & tympanitide mira præſtat per urinam ſeroſitates educendo.

Stercus Bubulum menſe Majo collectum miram præbet aquam adverſus calculos, quos ſolvit, & unà urinam movet, quam nigram primâ die pellit, calculis vehementer attritis. Hæc aqua in officinis vocatur omnium florum. *P. Poterius in Pharm. Spagyric. & Pedemontanus.*

Cruor

Cruor hircinus communiter etiam inter *Lithontriptica* pro ſingulari arcano refertur, eò quod & adamanta ſolvat; Vid. *Matth. Unzerus Practic. Hallenſis de Nephritid. lib. 2. p. 181.* Verùm per ſe hoc non præſtat, niſi prius hircus herbis fuerit enutritus *Lithontripticis.* In Embryonis hircini veſicâ etiam reperitur liquor efficaciâ & expellendi virtute præfatum liquorem embryonis taurini ſuperans, *teſte CL. Helmontio l. c.*

In *Suillis Veſicis* interdum etiam cuſtodiuntur *Lapides Lithontriptici* facultate cum aliis certantes, pulveriſati ad ℈ſs. vel gr. xvj. & in vehiculo convenienti propinati.

Lapis Percarum in Capite repertus juxta Spinæ dorſalis initium, *Lapis Carpionum* & aliorum piſcium membra oſſea ſunt lithontriptica multiplici experientiâ comprobata. *Thom. Bartholin. c. 2. h. 63. p. 238.* Cæterùm *teſtæ limacum terreſtrium, Ovorum, & conchyliorum aqvatilium* pro parte, quâ acidum & alkali, proſunt tantum vi ſuâ abſterſivâ diureticâ. *CL. Helmontius de Lithiaſ. c. 3. §. 28.*

Lapides Cancrorũ, qui ineptè vocantur *Oculi*, cum non fungantur oculorum officio, nec extra emineant, nec toto durent anno, vi non ſolum vulnerariâ ac febrifugâ, ſed & diureticâ & lithontripticâ, quæ ab innato illorum alkali dependet, excellunt. *Hi lapides non ſunt extracta Eſſentia à totâ bruti teſtâ; (licet ſic ſtatuerit Paracelſus) Stomachus enim cancri eſt in Capite propè verticem, mares quotannis ægrotare incipiunt à menſis Junii medio, famellæ dein in Julio ante teſtarum exuviũ. Sunt enim per dies novem, & amplius velut ſemi-exanimes ac immoti. Quo tempore ſtomacho illorum exterius obducitur membranula nova, inter quam & ſtomachum veterem eſt liquor quidam lacteus, qui ſenſim exterius in globum ſtomachi convexum, quâ parte attingit, obducitque ſtomachum veterem, contrahitur utroq; latere, in concavum ſtatimq; lapideſcit. Interim nec tunc, nec multò poſt cancer eſitat quicqvam. Ideoq; vetus ſive interior ſtomachus ſenſim in mucilaginem alimentariam abſumitur, exteriorq; ac novus alter ſtomachus in vicem abſumpti ſuccedit. Siquidem iſti lacti ad ſtomachi veteris convexum ſubnato, obtenditur ſtatim pellicula per modum lacti tepenti ſolitum: creſcitq; lac iſtud inter utramq; præfatam membranam utriusq; ſcilicet ſtomachi. Tandem reſidua pars lactis cancro cedit in alimentum. Poſtremo etiam uterq; lapis iteratò ſenſim diſſolvitur & in nutrimentum paulatim abit. Nihil autem cancer edit, aut in ejus ſtomacho reperitur, qvantisper iſti lapides ſunt in ſtomacho ejus, vivitq; circiter 27. dies tam ex veteri ſuo ſtoma-*

cho ſenſim abſumpto, quàm ex uſu reſolutorum poſteà lapidum. Ex hoc Lapide igitur rariſſimum diureticũ, etiam vulnerarium, ac febrifugum colligitur, quod quam ſit excellens, & potens vix cuiquam, quàm perito perſuaderi poteſt. Nihilq; eſt vulneratis, vel poſt partum matribus aptiq, quèm remedium horum lapillorum. Vid. Helmont. de Lithiaſ. cap. 7. Iſti autem non diſſolvuntur à ſtomacho humano, inquit in tr. ad cond. viſcer. adit. præcluſ. §. 12. nec proinde etiam penetrant ad procul diſſita, in materiâ ſui lapideâ, aut lactiformi. Verum ſi non in primum ſui ens reſolvantur, etiam nec in lactis ſubſtantiam remigrant. Sed acor ſtomachi, ejusq; nativum fermentum reſolvit quantum poteſt de ingeſtis lapidibus, non quidem reſolutione retrogradâ verſus ens ſui primum, ſed duntaxat per modum acidorum diſſolvit lapides iſtos, id eſt, in pulverem. Hinc namq; ſi prius diſſolvantur in aceto, potentius præbent auxiliũ, quàm ſi vino priq ebulliantur. In vino etiam acidulo, quia plus diſſolvuntur, quàm in aquâ aut cereviſiâ: ideò etiam potentius ſuccurrunt, quàm ſi in jure carnium aut aquâ potentur; Eò quod acida comminuat lapides iſtos in ſubtiliſſimum atomum, cùmq; cremorem adhuc nativum in ſe habeant à ſtomacho domabilem: ideò & quo ſubtilius moliuntur, eò etiam ſtomachi fermentum plus illius cremoris nanciſcitur. Mirum hîc eluceſcit, inquit CL. Helmontius in tr. à ſede animæ ad Morb. §. 21. quomodò nempè ab oculis cancri curetur Nephritis, Pleuritis, Aſthma, Colica, & ſanetur vulnus in pede, etiam & crure, ſive in maximè remotis ab ore partibus: quorſum tamen nullum alkali acceſſum impetravit unquam. Alkali ſcilicet hujus Lapidis corrigit acetoſitatem, quæ in membris extimis ſive habitu corporis accenſa eſt, & parata accendi. Neq; enim à ſtomacho tranſit vis Alkali per venas usque in digitos pedum, ſed ſufficit, ut ſui proprietatem radicaliter eò usq; diſpergat, modò in ſtomacho, digeſtionum fonte, vitæq; Archivo aciditatem vetuerit. Ac præſtat Alkali horum lapidum potare, quàm ſuprà dicta conchylia; eò quod, etſi juvent, ſitq; alkali longè in hiſce potentius, tamen quia ſub actuali vigore fermentum ſtomachi vitiant, vel ſaltem inclinant; ſed lapides cancrorum non tam in fermentum, quàm in fermenti productum feruntur. Hæc Helmontius.

Lumbrici terreſtres maximè etiam diuretici ſunt, & unà reſerant obſtructiones; Notæ eſt Efficaciæ illorũ *Spiritus & Eſſentia in Arthritide vagâ, Ictericiâ, hydrope &c. Sal* etiam *volatile* exhibent egregium, ſi prius per fermentationem in liquorem fuerint reſoluti.

Aſelli ſeu Millepedes ex vino potæ *dyſuriæ & Regio Morbo* auxiliantur; Utili-

utilitatis præterea peculiaris ſunt in mucilagine tartareâ reſolvendâ, calculoque ad mucilaginem reducendo, & in obſtructionibus viſcerum aperiendis ſummè proſunt. Notus eſt Pulvis ex iis paratus & deſcriptus *à Johann. Hartmanno in notis ad Baſilic. Chymic. Croll. p. 433. & Sennert. Practic. Medic. lib. 3. p. 8. ſ. 1. c. 2.* Si ejus drachma una in unciis ſex decocti cicerum rubrorum manè jejuno ſtomacho ſingulis vel alternis diebus exhibeatur. Ante ejus uſum Enema emolliens injiciẽdum ſuadet: ac eo tempore, quo eo utimur, alvus lubrica ſervanda, abſtinendum etiam à vino & valdè aromatiſatis. Bilioſis pulvis hicce parcâ manu eſt dandus.

Cantharellorum ſeu vermium Majalium ſubcæruleorum igne exſiccatorum pulvis à gr. 4. ad 7. cum caryophylli modico in vino datus manè per tres dies eſt arcanum ad urinas & calculos expellendos ſecretisſimum. *Borellus hiſtor. Medic. phyſic. centur. 4. obſ. 73. p. 337. Hoc erat ex D. D. Oheimii arcanis in Arthritide vagâ ſcorbuticâ non poſtremum.*

A nonnullis magnarum æſtimantur virium membranæ interiores ventriculorum gallinarum, cùm hæ viventes lapides deglutiant & comminuant. Sed *Helmontius de Lithiaſ. c. 7. §. 28. ſpem vocat fallacem in hiſce poſitam; eò quod cum vitâ bruti vis fermentalis viſcerum unà exſtinguatur; & dato, quod ille pulvis primitivam ac priſtinam vim, quam in vitâ habuit, à morte ſervaverit, attamen in culinis noſtrarum digeſtionum prorſus ſpoliatus virtutibus iſtis ad veſicam perveniret, qvanqvam reverà pulveres vix in laticem urinalem vertantur.* Verùm ſtante hâc hypotheſi, etiam ejus adducta Diuretica & lithontriptica eâdem laborabunt difficultate, & amisſioni viriũ in tot digeſtionum officinis, quas ſubire debent, æquè erunt obnoxia, ac illa, quæ jam adducta fuerunt. Abolentur quidem aſſumptorum qualitates in variis iſtis digeſtionibus nonnullæ, ſed ſaltem externæ, non autem internæ, & quæ à ſpecificâ deſcendunt proprietate. *Vid. Excell. Rolfinck in tr. de Calculo cap. 28.*

Illud mirabile eſt, quod *Sal Ranarum & Bufonum* à gr. iij. ad IV. in vino repetitis vicibus exhibitum aqvã hydropicorũ ſine noxâ fortiter per urinas expellat: id quod etiam *pulvis Bufonum* in clibano valdè exſiccatorum ad ʒß. in vino propinatus præſtat. Cujus experimenti inventor primus Mortis accelerationem ex eo quærens inſperatò convaluit. *Marcellus Donatus in hiſtor. Medic. l. 7. c. 7. Petræus in noſolog. Harmonic. T. 2 p. m. 235.* Authores aliquot commendant bufones vivos utrinque renibus alligatos ſolvere etiam hydropem per lotium. *Vidi*

Ruſticum, inquit Helmontius in tr. Ignotus hydrops §. *36. hydropicum ſanatum alligatâ anguium ſenectâ per ventrem & renes.*

Cantharides vulgò inter venena recenſentur; nec tutum illarum uſū internum prædicant, eò quod nimiâ vehementiâ corpus exagitent, & ad grana aliquot adſumptæ ipſum ſanguinē eliciant, ac veſicam exulcerent, cuti etiam extrinſecus alligatæ. *Johann. Paſchal. in Meth. curandi Morbos cap. 44. & Claudius Adolphus Occo in ſuis obſervat. Memini, inqvit CL. Wallaus hîc Lugduni Batavorum Medicum quendam eas ad ſex grana exhibuiſſe & ægrotū fermè jugulâſſe; & Heinricus ab Heer lib. 1 obſerv. 9. Ubi Sexagenarius pro ſalacitate ſumtis cantharidibus probè funeratus à dicto ab Heer fuit reſtitutus. Quâ autem parte venenum illarū veſicæ inprimis adverſum (Galenus lib. 4 ſimpl. c. 17.) lateat, nondū conſtat apud Auctores. Hipp. lib. 4. acut. text. 122. dum hydropico illas offert, abjicit ſingularum tum caput, tum pedes, tum alas, id quod etiam facit lib. de internis affect. num. 41. & lib. de Morb. mulier num. 94. Galenus contra l. c. cum Dioſcoride ſentit ſolum ventrem eſſe venenoſum, & partes extremas eſſe alexiterias, quod & Plinius confirmat lib. 11. cap. 35. Unde & Capivaccius inqvit lib. de venenis cap. 11. In Cantharidibus quadam ſunt partes alexipharmacæ, ut ſunt caput, pedes & alæ. Hac ratione Paulus lib. 7. tit. de Cantharidibus has nonnullos Medicos Medicamentis diureticis admiſcuiſſe affirmat. Mercurialis contrà lib. 1. de Morbis venenoſ. cap. 14. aſſerit venenum horum animalium in capite, pedibus & alis plus eſſe exitiale ac deleterium.* Verùm *Zacutus Luſitanus lib. 2. de M. Ph. 97. alterius eſt ſententiæ & ſtatuit cum Galeno ſolum illarum ventrem eſſe venenoſum, alas autem, caput & pedes eſſe innoxios & facere ad coitus illecebras pharmacis permixtas.* Quod illarum attinet ſelectionem meliores ſunt, quæ ex tritico leguntur cum transverſis alarum flavis lineis, idque magis, ſi ipſas vaſi fictili raro includas linteo, & vas teneas inverſum, donec cantharides ex aceti vapore adſcendente moriantur. Recentiores ſolum corpus reſervant abjectis alis, pedibus & capite. *Unde & Peucerus d. præt. Acad. in 9. Rhaſis iſthoc exhibet modo; Rec. radic. aſari, apii, petroſel. fœnicul. ruſci, ana M. ß pulegii. calaminth. ana ℥ij. ſemin. lini ℥j. cantharid. abſciſſ. capit. & alis num ij. ferveant in ſ. q. aq. abſynth. colentur. Propinetur cyathus unus dilutus Sirup. de 5. radicibus ℥iß. D. Horat. Reſer. in Conſil. Medicinal. à D. Scholtz. editis, ubi in hydrope maximum juvamen per urinæ vacuationem ſperatur, idq; in Naturâ imbecilli, tali uſus fuit pharmaco, quod*

& alvum

& alvum ſubducit, & urinam ciet. Rec. Therebinth. clar. ℥ſs. *aq. adianth.* ℔j. *miſc. & ebulliant ad totalem aquæ conſumptionem, & adde cantharidū abſciſſis alis, pedib9 & capitib9 ſubtiliter pulveriſatarū* ℈j. *Maſtich. cinam. a.* ℈ſs. *rhab. el. & pulver.* ℈j. *c. ol. amygdal. dulc. recent. f. maſſa, cujus* ʒij. *tutò dari poſſunt. Th. Bartholinus c. 5. hiſtor. 82. inter alia ſequentem infuſionem ex cantharidibus factam commendat in Gonorrhœâ virulentâ, lotii ſuppresſione ac calculo. Rec. Cantharid. pulv.* ℈j. *infunde in vini Rhen.* ℥iij. *vel Sp. vini, ſtetq; in infuſione per aliquot dies, deinde per chartam bibulam filtretur. Excolato liquore cochl. j. ſeptem aliis ſeu vini ſeu cereviſiæ admiſce. Ex hoc mixto primô die unum, alterô duo cochlearia, & ſic deinceps propinentur. D. Langius lib. 1. Epiſt. Medicinal. 47. in fine peculiarem exhibendi habet modum, & ſimul docet, quomodo his fures pomorum ſint deprehendendi. Cautelas, quæ in cantharidum uſu ſervandæ ſint, docet & adfert Hieronymus Capivaccius, quibus obſervatis vidit ab omnibus deſertos cantharidum uſu reſtitutos. l. c.*

Animalium Diureticorum hiſtoriā *vegetabilium excipit claſſis*, ubi ſtatim in frontiſpicio occurrunt *radices Ononidis*, quibus felicisſimè utimur in decocto ad movendam Diureſin, Lithiaſin, icterum, & obſtructiones meſenterii. *Radices graminis, aſparagi, ſaxifragiæ, polypodii, apii, petroſelini, liqviritiæ, altheæ, helenii, fœniculi,* propter vim diureticam & abſterſivam excellunt & ſalium etiam acrimoniam in corpore humano obtundunt. *Radices Aſari crudi*, quamvis magnâ cum anxietate Vomitum cieant, in aquâ autem, non in vino incoctæ mutantur in deoppilans diureticum & tardarum febrium remedium, quod occultatum in eo aroma prodit. Ad hoc tanquam ad ſacram anchoram confugiebat *D. D. Obeimius* in febribus diuturnis ab hypochondriorū inveteratis obſtructionibus dependentibus. Vide *Helmontium in Pharmacop. & Diſpenſ. moderno.* §. 46. *Radicum Raphani nativi* uſus præcipuus eſt etiam in Urinâ ciendâ, in obſtructionibus epatis ac lienis, attenuat unà mucilaginem viſcoſam in ventriculo & confert ad diſtributionem chyli. Calculum atterit & expellit. *Raphanus ruſticanus* etiam incidit & attenuat easdémque cum priori qualitates obtinet, ſed fortiores, tartaream mucilaginem incidit, & ſpecificè ſcorbuticis prodeſt. *Radices ariſtolochiæ rotundæ* itidem diureticæ ſunt; abſtergunt & aperiunt, unde ictero medentur & ſanguinem mundificant.

Semina quatuor calida majora & minora Sinapis, Naſturtii, Napi, Rutæ, Petroſelini, Urticæ, Seſelios, Anethi,

thi, milii Solis, Carui, Violarum purpur, Nuclei Ceraſorum, perſicorum, Lapides fructuum, puta meſpilorum, palmitum, perſicorum &c. quos Helmontius de Lithiaſi cap. 7. §. 21. volatiles fecit, absque omni capite mortuo. Et reperit, quod hoc remedii genus reſtauret, non ſecus atque Aroph præſervat. *Quorum amborum hanc facit differentiam, quod reſtauratio ſit inclinationis ſuſcepta abtruncatio, præſervatio autem futuri præcautio per impedimentum materiæ diſponibilis. In verâ autem ſanatione includatur utrumq;.*

In Foliis & Herbis excellunt vi *Diureticâ & Lithontripticâ* ſpecies *Adianthi albi, nigri & aurei. Decoctum veronicæ cum fl. chamæmeli enim ſemine carui & Sale communi in aq. fact. vel vino, & propinatum Crato in Epiſtol. p. m. 217. commendat.* Plurimum, inquit, levantur calculoſi diſcusſis flatibus & aucto calore viſcerum. *Ros Solis* in Spiritu Vini aliquoties infuſus mira præſtat vi ſuâ diureticâ & lithontripticâ.

Cerefolium partium eſt tenuium, *diureticum, ac lithontripticum* ſanguinem coagulatum reſolvit. Extrinſecus etiam ejus uſus inſignis eſt in urinâ retentâ in cataplasmatis formâ impoſitum.

Saxifraga alba evidentisſimè *diuretica eſt & aperit*, unde ejus uſus præcipuus in ſabulo & calculo renum ac veſicæ atterendo, & expellendo, tum in mucilagine eorundem attenuandâ.

Filipendula ſeu Saxifraga rubra præter vim ſuam attenuativam & abſterſivam, *Diureticam inſuper posſidet in tartareâ renum mucilagine valdè utilem.*

Hedera terreſtris uſus eſt celeberrimi in tartaro tum pulmonum, tum renum, aliarumq; partium incidendo, reſolvendo, adeoque confert obſtructionibus indè natis, & ictero.

Urtica omnis partium eſt tenuiũ, aperit, incidit, abſtergit, emollit, diuretica eſt. In olere ſumpta ſolvit alvum, abſtergit renes, calculos expellit; &c.

Matricaria etiam in renum affectibus eſt præſtantisſima; eſt enim ad educendam urinam, calculum & alias impuritates Medicamentum ſecretum, poteſtatem habens ſuper omnia alia, teſte Montagnanâ.

Muſcus terreſtris ſi vino albo incoquatur, eo epoto, renum calculi franguntur. *Matthiol. in Dioſcorid.*

Peucedanum Tartaream etiam educit mucilaginem, hinc uſus ejus præcipuꝰ in obſtructionibus epatis, lienis, renum, ciet urinam, calculum atterit, & expellit.

Vinum alkekengi ab Arnoldo Villanovano maximè commendatur, eoque urinam & calculoſam materiam valdè educi refert. Fitq; hoc Vinum contundendo fructus

alke-

alkekengi cum vino albo & colaturam exhibendo.

Communiter dictarum herbarum ſalia ad Diureſin maximè commendant; ſed maximè errant, *docente Helmontio de Lithiaſi* c. 3. §. 26. eò quod ejusmodi ſalia lixivioſa ad urinam non perveniant, ſed ſtatim acidis ſaturentur, ut lixivialem deponant indolem. Hæc autem Salia qui cum Spiritu Salis aut Vitrioli coagulabit, non tantum lixivioſam eorum artificiosè corriget Naturam, ut ipſam ſalinam ſubſtantiam nativam, ſive Sal alkali deponant, ſed & in aliud eſſe peregrinum transmutabit, ut ex diaphoreticis fiant Diuretica, in febribus intermittentibus, Scorbuto, hydrope & aliis affectibus, ubi Diureſi opus eſt, maximè ſalutaria.

Baccæ Juniperi maximè proficuæ ſunt in ciendâ urinâ, imprimis ſi cū vino Malvatico ex illis paretur aqua deſtillata, etiam in calculo, & mucilagine renum & veſicæ utiles ſunt.

Amygdalæ amaræ & dulces, nuces juglandes eâdem pollent virtute in diureſi exſerendâ.

Ligni Nephritici uſus receptus eſt ad urinæ difficultates & incommoda. Hoc quidem *Lignum* nobis aliquot ante annos innotuit ex Indiâ occidentali & ejus provinciâ florentisſimâ Hiſpaniâ novâ importatum ſed non proindè unquam mihi perſuadere potui, *inquit CL. Helmontius de Lithiaſi c* 8. *Divinam bonitatem Europæis tantiſper denegâſſe, ut etiam pauperi calculoſo ſubveniret, donec multis expenſis tandē remediū poſt ter mille annos ab Indis advolaret, ſatis in ſe pigrum alioqui. Seriò itaq; inqviſivi, annon eſſet Lignum noſtratibus familiare, quod vicem expleret Nephritici tandem nobis à Barbaris miſſi? Quamobrem olim obſervavi Principibus Germaniæ fuiſſe vernaculum, quod contra Lithiaſin quotannis in Majo biberent quotidiè hauſtum liquoris è cortice vulneratæ Betulæ. Hic liqvor in ipſo Lithiaſis tormento ſolatur afflictos tribus quatuorvè cochlearibus adſumptûs. Accipe tenellos & ſubnigricantes ramulos, qui tumentes gemmas nondum frondoſas habent, malleō ſuper lapidem vel incudem conquaſſatos, coque in aquâ ad cereviſiam deſtinatâ: Cui cereviſiæ ſi poſteà Dauci ſemen aut beccabungam aſſociaveris, experieris effectus ad Diureſin & Lithiaſin laudabiles, & potentiores adhuc, ſi iſtî cereviſiæ liquor ille Martialis è ſuperioribus ramis collectus infuſus fuerit poſt ſedationē ebullitionis ſuæ, quam cereviſiæ in cadis ſponte tolerant. Ejusmodi potus è betulâ dolores Nephriticos laxat, itemq; dyſuriis atq; ſtranguriis ſenilibus medetur.*

Indiæ Orientali in uſu familiarie eſt decoctum *ex herbâ Thee Chinenſibus* vocatâ, quæ multùm etiam valet ad urinam & calculos propellendos

teſte Nicolao Tulpio obſerv. Medic. lib. 4. cap. 59. Maximam certè cum noſtrâ veronicâ habet convenientiam.

Reſina Terebinthi ſeu Therebinthina Cypria, & vulgaris noſtra utraq; excellit in urinâ ciēdâ & calculo expellendo, propter balſamicā ac reſinoſam virtutē, quâ etiā in tusſi, aliisque pulmonum, epatis, lienis ac renum vitiis plurimum valet, expectorationi inſuper purulentæ ac Phthiſi incipienti ſuccurrit, arthriticos affectûs juvat & uterum etiam ſaburrâ liberat. *Amatus Luſitanus c. 2. curat. 68. Egregium affert exemplum de Monacho quodam, qui cum Dolore Nephritico & Arthritico freqventisſimè corriperetur, neq; ullo, remediorum genere poſſet curari, tandem uſu Therebinthinæ, quam ſingulis diebus magnitudine nucis caſtaneæ cum paucâ quantitate ſacchari deglutiebat, intra ſex menſes ab his morbis liber evaſit. Ego Therebinthinam, inquit Levin. Lemnius lib. 1. de complex. c. 9. efficacisſimam ſum expertus in eliciendo lotio, in comminuendis calculis, in Stranguriâ & urinæ ſtillicidio. Capivaccius lib. 3. Practic. c. 28. de Calculo renum: Therebinthinæ etiam plurimum, inquit, tribuo, maximè Cypriæ; habet enim inſignes vires leniendi & abſtergendi partes urinarias, omnium penè & Veterum & Recentiorum ſuffragio. Horat. Augenius Tom. 2. lib. 12. Epiſtol. ult. Therebinthina optimè deterget renes, & mirū eſt auxilium, quo non modo ab ulcere, ſed & Lapide multos perfectè ſanatos vidi. Quare autem Therebinthina frequenter uſurpata, ut reliqua Diuretica, non noceat, hanc cauſam reddit Gregor. Horſt. decad. 8. q. 1. de calcul. renum & veſic. affect. quia ejus caliditas temperata & membris coctioni dicatis amica. Sed aliam reddit Lazarus Riverius T. 1. Prax. lib. 8 c. 1. quia hæc urinas movendo ſimul alvum laxat, ita ut craſſiores humores per alvum deturbentur, qui ab aliis Diureticis ad renes deducerentur.*

Zacutus Luſitanus lib. 2. obſerv. 58. Prax. admir. Balſami Naturalis vires ad calculos expellendos mirè prædicat, eoque liberatum eſſe virum Sexagenarium, qui per dies octodecim urinæ ſuppresſionem à copiâ calculorum paſſus fuerat. Si *balſamum Orientale* deſit, *Peruvianū erit ſubſtituendum.*

Ex *Tartaro* parata Medicamenta egregiam etiam præſtant operam in Diureſi ciendâ ac promovenda. *Sic Camphora Tartari ſeu Sal Tartari volatile Ducis MANTUANI. Spiritus Salis Tartari volatilis. Sic Tartarus Vitriolatus, Nitratus, & liqvor Tartari Zobelii ex Tartaro, ſilicibus & Nitro reverberatis & in cellâ in oleum reſolutis, ſummæ virtutis ſunt Diuretica.* De quibus vide ſuperius

alia

alia etiam ex Tartaro parata medicamenta cum aliis conjuncta.

Externo etiam Medicamento urina moveri poteſt; Sic calculo humano & Lapidi Nephritico ex Armeniâ allato in armillis, vel alio modo extrà corpori, in primis arteriis alligato ſtupenda vis adſcribitur *à Johann. Franciſc. Ulmo de Occult. Medic. proprietat. lib. 2. cap. 7. & Anshelm. Boëth. de Booth. de Lapid. & gemm. lib. 2. c. 10.* & EXCELL. D. D. VICTOR SCHNEIDER DE CATARRHIS.

CAPUT XIII.

HUMORES QVANTITATE peccantes qvomodò ſint corrigendi, & primò de VENÆ-SECTIONE.

QVâ ratione corpus noſtrum ab iilis humoribus, qui ſubſtantiâ peccant, purum reddi posſit, docuimus hactenus. Nunc illi ſe nobis offerunt *Humores*, qui *Qvantitate* vitium comittunt. Facit verò hoc & ſanguis cum ejus partibus ipſi ſecundum Naturam affinibus, & alii ab his diverſi excrementitii humores præter Naturam in maſſâ ſanguineâ contenti. Illorum abundantia *Plethora*; horum exceſſus *Cacochymia* dicitur. Sanguis enim in corde è chylo elaboratus & mediante ejus circulari motu in corporis habitum delatus diverſis omninò & heterogeneis adhuc conſtat partibus ſeroſis, fibroſis, ſalinis, terreſtribus, ſulphureis, oleoſis, pinguibus &c. quæ omnes ad ejus integritatem pertinent, & in partium nutritionem diverſimodè abeunt, quod dum non fit, *Plethora* oritur, & ex hâc facilè propullulâs totius maſſæ ſanguineæ ebullitio deprehenditur. Sin autem dictæ ſanguinis partes vel per ſe in aliud ens degenerent, vel ex accidenti exoticum acquirant fermentum, dum non debitam in locis convenientibus habent ſegregationem, materiæ morbificæ induunt Naturam & dictam conſtituunt *Cacochymiam*. Eſt igitur *Plethora* abundantia ſanguinis ſeu humorum alendo corpori utilium mediocritatem excedens modò in vaſis, modo in toto corporis habitu. Et eſt vel *Exqviſita*, quandò ſolum humores boni abundant, vel *Notha*, quandò ſimul humores alii vitioſi aut exotici, qualia ſalia corroſiva aut alia fermenta peregrina, quæ Archéum in furorem concitant, ſunt admixti; ratione Evacuationis per ſe ac primariò huic *debetur Venæ-ſectio*, ut ſanguis ventiletur, & Natura à ſarcinâ liberetur; Sæpè enim fit, ut tanta adſit materiæ morbificæ in maſsâ ſanguineâ ſævities, ut huic ſedandæ ſpecifica paria non ſint Medicamenta, tunc *Venæ-ſectionem* cogimur in ſubſidium vocare.

In omni autem *Plethora* reſpectus

eſt

eſt habendus vel *ad vaſa*, quando ſanguis ita abundat, ut vaſa, quib9 continetur, mole ſuâ diſtendat, & ruptionem minetur; vel *ad vires*, quando quidem vaſis mole ſuâ non moleſtus eſt, ſed vires ſolum, à quibus regi & circulari debebat, ſuperat. Quamvis *CL. Wallæus* videatur hanc excludere velle, dum ſe nunquam in Praxi ſuâ illam Plethoram ad vires inveniſſe dicit, quæ non ſimul etiam fuerit ad vaſa; tamen, *primò*, qui concedit regionem corporis, tertiam id eſt, viſcerum & carnium habitum peculiaribus purgationibus evacuari, concedet etiam illicò dari & *Plethoram* poſſe latè ita ſumptam, quam reſpectivè ad *vires* vocavit Antiquitas. Certum etiam eſt, licet ſæpenumerò ſanguis ſimpliciter copioſus in venis non ſit, ſed ejus mediocris copia, tamen interdum Naturæ moleſtum eſſe, illiq; aliquam minari noxam. Sic iis, qui in Apoplexiam proni ſunt, non ſemel, bis, tervè in anno venas tundimus, ſed pluries, etiamſi ea ſanguinis quantitas, quæ in illorum corporibus invenitur, aliis ſecundū Naturam eſſet, & conſervationem potius indicaret. Par ratio etiam eſt hæmoptoicorum, nam cum in his vaſa ita ſint diſpoſita, ut à levi motu illorum ruptio facilè immineat, ſæpius venas cogimur aperire, ut periculum illud avertamus, licet ſanguis ſimpliciter copioſus nimis haut eſſe videatur. *Mediocre alimentum, inquit Fernelius in Meth. Med. cap. 1. p. m. 32. ſæpè infirmiori Naturæ moleſtum eſt & grave, quod licet per initiū ſit puriſſimum, diu tamen vix tale perſiſtit, à ſed noſtri caloris gubernatione deſtitutū tempore & dierum numero corrumpitur, fitque Morborum cauſa.* In *utrâq;* igitur *Plethorâ* utiliſſimum remedium eſt *Venæ-ſectio*, in illâ autem *qvoad vaſa* celerius accedendum eſt ad ſanguinis miſſionem, & tantum extrahendum, quantum exigit plenitudo, quia in hâc majus adeſt virium robur; In *Plethorâ* quoad vires minus, in illâ enim premunt unà obſtructiones cum ſanguinis vitio, quæ non ita liberali ſanguinis miſſione curantur, cùm aliis indigeant remediis deobſtruentibus & attemperantibus, quare ad ſpatium curationis aliquid debet reponi, *11. Meth. 14.*

Cacochymia alterum ſanguinis eſt vitium, quando humoribus ſalinis, aut ſeroſis, tartareis, Sulphureis ſylveſtribus adeo imprægnatus eſt, ut cum Naturâ in gratiam amplius redire nequeant.

Et eſt *vel Exquiſita*, cum pravi humores bonos ſanguinis ſuccos ſuperant; vel *Notha*, cum ſanguis laudabilis vitioſos humores bonitate antecellit. Prout igitur major vel minor, ſanguinis aut malorum humorum eſt abundantia, denominatio ſem-

tio ſemper ab eo ſumitur, cujus major eſt exceſſus.

In *Cacochymia exquiſita*, ſive ſit in venis, ſive extra venas, non convenit *Vena-ſectio*, At in *Nothâ* inutile non eſt remedium. Talis non exquiſita ſeu nota *Cacochymia* fit, cum citra purioris partis ſanguinis incrementum aliqua vel ex Sulphureis, vel ſalinis, aut tartareis ſuperabundat humoribns cum ebullitione vel ſine ebullitione; Quatenus autem unà cum ſanguine tales vitioſi ſucci augentur, aut à Naturâ ſuâ mutari incipiunt, eatenus Ars non invenit aliud præſidium opportunius Venæſectione. *Horat. Augenius lib. 4. de Sanguin. miſſ. cap. 2. & lib. 7. de Curat. per Sang. miſſ. Mercatus tamen lib. 1. de rect. præſid. uſu Conſil. de Sang. miſſ. addit, vaſorum ſimplicem cacochymiam, quæ purgationi ceſſura non eſt, urgente ſymptomate ſectâ venâ demi poſſe, quatenus duo poſſunt obſtare, quo minus cacochymia medicamento purgante auferri queat. Primò corpus ad purgationem non expeditum. Deinde & humor à purgandi ductibus longe diſtans. Prius accidit, cum noxio humor craſſior & viſcidior fuerit, aut cum tanta jecoris, inteſtinorum, aut venarum obſtructio adeſt, ut vix pateat via, per quam poſſit humor à venis per alvum expurgari, tunc equidem Venæſectione agendum eſt, ne illic furore turgens humor in aliquam partem nobiliorem irruat, aut ibidem majus efficiat malum. Pari modo, dum humor peccans longè diſtat à communi emunctorio, Venæſectione Naturæ ſuccurrendum, cum ſymptoma quoddam gravius urget, quod imminente ſuffocatione propter frigidam fluxionem ad pectus decumbentem, declaratur, ubi licet humori evacuando Purgatio potius debeatur, nihilominus urgente ſymptomate propter ſitũ partis & vaſorum ſocietatem vena ſecatur.* Ideoque ad Sanguinem mittendum vel non mittendum in *Cacochymiâ* reſpiciendum eſt ſcilicet ad ejus qualitatem, quantitatem & locum ſive miſcellam cum ſanguine, ita ut ſi tres omnes adſint, vel ſaltem duo, abſtinendum ſit à *Venæſectione*; nam ſi cacochymiæ qualitas ita intenſa eſt, ut humores valdè recedant à Naturâ ſanguinis vel ad crudum, vel ad uſtum prohibetur Venæſectio. *Unde & Avicenna 1. 4. tract. cap. 39. parùm infrà dicit. Cave, ne perducas ægrum ad cholericorum ebullitionem, vel ad frigidorum cruditatem. Si verò à Naturâ ſanguinis non valdè recedant, Venæſectio imperanda. Deinde quoad quantitatem*, ſi cacochymia multa eſt, & ſanguis paucus, non convenit ſanguinem mittere; ſi verò ſanguis eſt multus & cacochymia exiguæ molis, Venæſectio utilis eſt. *Tertiò* quoad locum ubi continetur Cacochymia, quæ ſi repoſita eſt in vaſis

cum ſanguine permixta, cujus rei indicia ſunt ſigna Plethoræ, urina rubra, craſſa, & eò magis, ſi turbida ſit, initio ſanguinem emittere præſtat. Si verò purus ſanguis & laudabilis in venis conſiſtat, Cacochymia verò extra venas, tunc inutilis eſt Venæſectio. *Gal. 4. de Sanitat. 4.* Sciendum tamen hîc, diſtinguendum eſſe inter *Venæ-ſectionem Revulſivam, Vacuativam & Ventilativam. Revulſiva* ſæpè utilis etiam eſt in Cacochymia pura, uti videmus in *Pleuritide & aliis inflammationibus*, in quibus commodisſimè ſanguis emittitur, ne humores præcipiti lapſu ad partem inflammatam confluant; tunc enim tutisſimum eſt, paulatim vacuare ſanguinem, & per intervalla digitum imponere. *Gal. 5. Meth. Med. 3. Venæſectio vacuativa autem in purâ cacochymiâ non convenit*, niſi ſecundum limitationem ſuprà traditam *à Galeno l. c. Ventilativa* denique ſanguinis misſio etiam *in Cacochymiâ exquiſitâ*, licet non ſit adeò ſanguini permixta, ſæpè prodeſſe ſolet. Hæc maximum præbet uſum & utilitatem, quæ licet humores nō evacuet, ſolam tamen ſanguinis ventilationem procurat, & Naturam ab onere, quo veluti ſarcinâ premebatur, levat, ut quod reliquum eſt, poſteà facilius vincat, atque ſic proprii muneris memor & ſeparet, quod ſeparari eſt habile, & excernat, quod excerni poteſt. Unde teſtatur etiam Experientia, complures Cachecticos felicius *Venæ-ſectione*, qvàm purgantibus ſanitati eſſe reſtitutos. Verùm moderata ſit illa, & intermiſceantur Medicamēta ſanguinem eluentia, alterantia, vel digeſtiva, confortantia ac victus εὔπεπτος uſurpetur, id quod etiam *Galenum* feciſſe ſcimus. Adfert in hanc rem plurimas obſervationes *Botallus lib. de curandi ratione per ſang. miſſ. c. 8. Hoc medio, inqvit CL. Wallæus, Medicum qvendam Gallum, qui Regis Majeſtati nunc eſt à Conſiliis Medicis ſibi ipſi cacochymiā immutâſſe ſcio, dum nempè quindecies vel vigeſies in anno ſanguinē emitteret.* Et ipſe novi in plurimis Cachecticis felici cum ſucceſſu Venæ-ſectionem fuiſſe adminiſtratam. Verùm ipſius non ſolùm Morbi, ſed & conſtitutionum ratio eſt habenda, ſic ad hydropem tendentibus, pallidis, lividis, fluore muliebri inveterato laborantibus ſanguinis evacuatio noxia eſt, cùm Natura tali modo onere non levetur, ſed potius totum corpus debilitetur, & ita vita abbrevietur. *Vid. Gregor. Horſtius in inſtitut. Medic. Diſp. 18. de V. S. q. 9.*

Sed quæritur, annon & aliis Mediis hæc Sanguinis abundantia tolli posſit?

CL. Wallæus inquit, ſi inediâ eam conſumi ſinimus; cum enim calor noſter in-

ſter innatus nunquam otioſus ſit, ſemper aliquid poſtulet, in qvod agat, exinde fit, ut ille, deficiente confecto alimento ipſum aggrediatur ſanguinem, & illum abſumat. Adeoq; inedia ad Plethoram abſumendam & tutò uſurpari poteſt. Et verò in eâ ſententiâ Eraſiſtratus fuiſſe videtur, ſi Galeno fides habenda. Quæ ſententia cum jamdudum à priſcis Medicis ſit exploſa, nos in eâ refutandâ jam non multum deſudabimus: ſed ſaltem dicimus *primò*, Inediâ quidem Plethoram minui, ſed pedetentim, non autem ſubitò, prout vel febris, vel etiam apoplexia, aliique acuti Morbi id requirunt. *Deindè*, ex inediâ, quod omnibus etiam licet experiri vim quandam naturæ inferri. Eſt enim inedia variorum ſymptomatum ac morborum ferax, paucorum ſæpè dierum ſpatio ſeriò necans. Dum in illa vigor fermenti digeſtivi benè diſpoſiti non habens objectum, in quod agat, devaſtat & conſumit proprium ſtomachi alimentum, unde in corpore ſano boni atque utiles non ſolum abſumuntur humores, corpora exſiccantur & conſumuntur, verum etiam in corpore cacochymico & impuro moventur & agitantur unà corrupti humores, ac partem illorum in defectum alimenti boni Natura aberrans transmittit ad ventriculum, qui inde non leviter perturbatur, & per conſenſum cerebrum & cor affliguntur, ita, ut poſtmodũ ſymptomata ſymptomatibus conglomerentur.

Non defuerunt olim, & jamdum non deſunt Medici, qui omnem Venæſectionem damnant, putantes ſolis ſpecificis omnes poſſe curari Morbos. Ex Veterum memoriâ *Eraſiſtrato* ejusque aſſeclis adſcribitur αἱμοφοβία. *Galenus verò lib. de Venæ-ſectione contra Eraſiſtratum cap. 2. Eraſiſtratum excuſare videtur, ejusq; diſcipulos & authores rationum contra Venæſectionem conſtituit Apoemantem & Stratonem. Sunt autem hæ:*

Difficile eſt, venam ſecare, vel ob inter notionem vaſis, vel ob arteriæ inciſionem: nocumentum enim illicò ingens imminet, ſi quando loco venæ arteria incidatur. His accedit, qvod qvandoq; aliqvis præ timore ſit mortuus, & alter etiam ante vaſis ſectionem, alter verò eo jam ſecto refici nũqvam potuerit, tum qvod qvidam irreparabili ſangvinis fluxu defecerit. Sed prætereo illa qvoq;, qvæ à reliqvis dicuntur, nam alii qvidem eorum aſſerunt, vacuationis menſuram conjecturâ aſſeqvi multò eſſe difficillimum, ideoq; neceſſum eſſe, ut aut diminutè evacuanti nihil plus contingat, aut mediocritatem excedenti maxima impendeat noxa. Qvid enim, ajunt illi, Venæſectio modum exuperans à cæde differt. Alii verò dicunt, qvod cum transſultus Spirituum

tuum ex arteriis in venas fiat, neceſſariò inanitionem ſangvinis per oſculorum reſerationem ipſe Spiritus ſeqvatur. Sunt & alii, qvi affirmant, venarum evacuationem inflammationis affectu in arteriis jam conſtituto planè ſupervacaneam eſſe.

Has rationes Galenus non tanti æſtimavit, ut in ſpecie ad ſingula reſponſum dederit, ſed in genere tantum dicit, univerſa talia, qvamvis credibilia alicui appareant, reverà falſa eſſe, & indigna, quibus fides adhiberi debeat. Nos tamen Venæſectionis Patronorum cauſam acturi ſpeciatim ea diluemus. Primò enim cuivis in Anatomicis verſato utique notum eſt diſcrimen inter venas & arterias tàm ratione ſitus officii, quàm uſus, ut inde facilè internoſci queant; neque jam arteriarū ſectio adeò nobis periculoſa eſt, ſed in pluribus affectibus valdè utilis adhibetur, modo arteria debito modo obturetur. Vid. *Tulpius in ſuis obſerv.*

Deindè, poſitò Venæ-ſectionem huic vel illi non profuiſſe, quid poſteà? ſequiturnè, omnem Venæ-ſectionem propterea eſſe rejiciendā? Ex accidenti quæ fiunt, rectum rei non tollunt uſum. Concedamus & hoc, unum ante vaſis ſectionem, alterum eo jam ſecto obiiſſe, an propterea etiam omnis venæſectio proſcribenda? minimè. Qvod enim uni obtigit, illud ſtatim non omnibus uſu venire ſolet. Differt enim corpus à corpore, Natura à Naturâ, temperamentum à temperamento.

Tertiò Galenus libr. adverſ. Eraſiſtrat. cap. 7. Venæſectionis menſuram longè faciliorem, quàm in aliis evacuationibus eſſe aſſerit. Nam & primò coloris mutationem ſæpenumerò diſpicere licet, hocque duobus modis fieri poteſt. Interdum quidem ipſum ſanguinem fluentem, interdum autem ægrotum conſiderando. Ad hæc deinde animi quoque defectio in plurimis affectibus vacuationis terminum obtinet. Tertiò ſanguinis item fluentibus vigor labaſcens, & quartò pulſus mutati, quintò, adde, quod & Medicus hujus ſolius evacuationis liberam habeat facultatē ſiſtendi, quandocunq; illi placuerit, aliorū autem nullius.

Qvartò, Venæſectionem inflammationis affectu in arteriis jam conſtituto ſupervacaneam eſſe, ac nullius uſus, Experientiæ repugnat, quâ conſtat, inflammatione jam vigente etiam Venæſectionem prodeſſe, inflammatâ enim quâdam corporis parte, confeſtim calor in eâ parte augetur, dum humores ibi tanquam in loco non naturali contenti corrumpuntur, corrupti obſtructionem in vaſis inducunt, factâ obſtructione major fit ſanguinis affluxus, quem ſanè nullo remediorum genere melius compeſcimus, quàm Venæſectione, quæ motum ſanguinis præterna-

ternaturalem inhibet, & impactum educit.

Accuratiùs ac ingenioſiùs *CL. Helmontius nobis contradicit*, & ex parte ſolum *Venæſectionis* uſum damnat, in Febribus ſcilicet: ejus rationes, quas *in tr. de Febrib. c. 4.* proponit, primò recenſebimus, & poſtmodùm ad ſingulas reſpondebim⁹.

Primò enim inqvit; ubicunq; non eſt Indicatio Venæſectionis, ibi eſt inutilis ac fruſtranea. In febribus non eſt indicatio Venæſectionis. Ergò in febribus eſt inutilis.

Major ſuâ luce licet radiet, confirmatur tamen ab ipſo, ex eo, qvod finis ſit cauſarum directrix. Minorē probat autoritate Horatii Augenii, qvi libris tribus probat Plethoram ſolam eſſe indicatricem phlebotomiæ: Eam autem indicari non qvidem directè ad ſanationem febrium, ſed ob plethoræ evacuationem. Aſt in febrib⁹ nunqvam ſubſiſtit Plethora. Ergò in febribus nunqvàm indicatur phlebotomia: & per conſeqvens ea eſt inutilis. Concluſio eſt nova & paradoxa, inqvit, attamen vera.

Minorem Proſyllogiſmi, plethoram ſcilicet non adeſſe in febribus, probat primò ex vomitibus & dejectionibus, ex qvibus apparet, febres non pendere ex plethorâ. Deindè, ſangvis in febricitantibus qvi generatur, continuò abſumitur. & vertitur in ſubſtantiam viventis: abſolvitur & reſolvitur etiam ab ipsâ febre. Tertiò in febre parum cibi abſumitur, pauca enim adeſt ciborum appetentia, digeſtio & ſangvificatio: neceſſariò qvoque mox binis diebus Plethora, ſi qua ſit initio, deficiet, & ceſſabit ejus indicatio pro cruoris miſsione in febricitante. Qvartò, qvemadmodum in febribus exſiccantur ulcera è cauterio nec ſolitum pus dant, ita & veriſimile eſt, Pleboram poſſe abſumi. Qvintò, ut vires nunqvam poſſunt peccare abundantiâ, nec in Mathuſalem; ita nec ſangvis, eò qvod vires vitales & ſangvis ſunt correlata: Anima enim ſeu robur vitale eſt in ſangvine: Et ex conſeqventi, nunqvam poteſt eſſe Plethora in bono ſangvine, adeoq; nec ab eâ ſangvinis miſsio in curatione febrium poteſt indicari. Unde & Andreas Knöfelius Archiater Regius in Meth. Med. febres Epidemic. & Peſtil. Exerc. prim. inqvit; Qvæ indicatio ſuppetit, aut cauſa urget cruentationem hanc deleteriam? An fermenti ſeu materiæ febrilis labes? neqvaqvam; hæc enim nil niſi mera antipyreta eaq; appropriata ſine morâ poſtulat, & indicat, non ſangvinis miſsionem, qvem Natura repoſuit in theſaurum & cuſtodem vitæ. Nec obſtat Plethora & ad vaſa & ad vires ſic dicta, qvam ſæpisſimè neglectam Natura ipsa in contrarium Medenti in opprobrium, per hæmorrhagias nariū, & hæmorrhoidum ſpontaneas & largas cum alleviatione ægri edocet. Verum utinam Medicus Naturæ

turæ miniſter extincto in herbâ venenoſitatis malignæ fermento confermentationem hanc virulentam Naturæ ſolius humeris bajulandam non negligeret, & ſub principio in illam ſpumantem ſangvinis ebullitionem; putatitiam illam plethoram tranſire non permitteret, quam tandem Natura ſtudioſa ſuæ conſervationis & ſola medicatrix per vias ſibi ſoli cognitas expedire cogitur, cum levis etiam qvæq; ebullitio vix terminis & vaſe ſuo contineatur naturaliter, qvibus non ſupereminеat. Taceo, qvod innocens etiam ſangvis propter errorē ſuū peregrè ſibi advenientem ſui ipſius & virium internecione non ſit medicandus, ſed illius fermentatio & ebullitio medicamentis peregrinum illud fermentum ſuccidentibus & his placido aliqvo modo ſuccedente tranqvillitate tempeſtivè ſedanda eſt. Quod ſi muſca aut aranea caſu incideret in vitrum vino puro plenū, qvis adeò demens eſſet, ut relictâ muſcâ aut araneâ in vaſculo vinum effunderet, aut ſimul muſcam cum vino ejiceret? annon convenientiꝰ, intacto vino ſolam muſcam aut araneam, qvæ vinum conſpurcavit, ex vaſculo exterminare? quàm unà cū vino muſcam effundere; Qvod ipſum etiam ſuo ſeculo olfaciens monuit ironicè *Paracelſus, part. 1. p. 1033. Scholæ, inqviens, illud totum, in qvod aliundè vitium peregrinum irrepſit, removere & rejicere tentant, putantes utriusq; & boni & mali æqvali remotione rem fore ſalvam, ſi accidens in ſangvine eſt, remove accidens, & ſubſiſtere permitte ipſum ſangvinem intactum. Præter hoc ſub primo eoq; conflagrante æſtu, morbiq; acuti incipientis inediâ & omnimodâ ciborum averſione cum depopulante Morbo, ſi qvæ eſſet, facillimè depleretur Plethora, & ſangvinis illa ſuperabundantia, mentaliter ſic ad vaſa præconcepta.*

Ad vires altera Plethora ridicula eſt; Qvemadmodum enim vires nunqvàm abundantiâ peccare poſſunt ita nec bonus ſangvis peccat nimietate. Vires enim vitales & ſangvis ſunt correlativa: Qvam qvæſo nimietatem boni ſangvinis & virium ſuperabundantiam in longævisſimis & vivacisſimis dabis vitioſam? Cum è contrà, ut modo dictum, deturpati ſive impuri ſangvinis fermenta & accidentia peregrè intrantia non purgantibus, ſed mundantibus & eluentibus arcanis ſalvo bono ſangvine ſeqveſtrentur facilè.

Subſcribent vivacisſimi in ſeram ſenectam omnes populi Septentrionales, qvibus venæſectio & virium & vivacitatis depletio planè inſolita. Et cur ſuperabundanti ſanguini vel Plethoræ ad vires ſuperventuræ provida Natura non æquè diverſorium, ut urinæ & recrementis reliqvis ſuperabundantibus adſignavit? Hactenus HELMONTIUS.

Præterea ſangvis, inqvit Petrus Poterius, eſt Naturæ theſaurus, qvo valente robuſtum fit animal; eſt qvoqve vitæ noſtræ ſedes à Naturâ omnium rerum parente illi deſtinata. Unde, ſi exeat è corpore, ſegnities, langvor & pallor perpetuus, itemq; imbecillitas omnium partium ſeqvitur; id qvod in vulneratis, qvibus ſangvis non ſtatim ſiſtitur, ſatis ſuperq; patet. Aſt objiciunt & dicunt, ipſum nimirum lædere venas nimis diſtendentem & Spiritus aditum liberum cohibentem, ſicq; fieri vaporum evalidorum retentionem, & caloris eventilationis prohibitionem. Verùm hîc duo examinanda ſunt; Primò, ſangvis omnium humorum optimus & temperatisſimus, cujus beneficio vivit animal, in cujus bonitate ſanitas & robur. Secundo ut ipſe eſt nimius; Qvoad primum ſatis manifeſtum eſt, illum nos lædere non poſſe nec ullum generare morbum: Etenim boni acaccesſio malum producere neqvit. Qvoad ſecundum, qvantitas (cujus nulla agendi poteſtas) illius etiam nocere non poteſt. Qvantum enim rei bonitatem non mutat, ſed eandem potius amplificat, & Naturam perficit, & non deſtruit, bonum nunqvam excedit. Si autem dicatur, omne nimium Naturæ inimicum, id de re alienâ intelligendum eſt. Etiamſi qvoqve aliqvod damnum adferat nimius ſangvis, id tamen non facit ratione qvanti, ſed mixti alicujus ſuperflui. Ex qvibus clarè patet, Sangvinis qvantitatem non generare febres, & per conſeqvens ejus diminutionem easdem ſanare non poſſe. Hæc Petrus Poterius.

Hiſce ita expoſitis pergit CL. Helmontius & negat ullum in venis contineri ſangvinem corruptum, adeò, ut nec hoc reſpectu Venæſectio locum habeat. Primò qvia dum incipit putreſieri, non amplius eſt ſangvis, deſinit enim eſſe ſangvis, cum incipit à ſtatu naturali deflectere, & tum potius hic ſtatus diceretur cacochymicus, qvàm Plethoricus. Qvod ſi deinde ita putreſceret, non optare, ait, venæſectionem, ſed potius purgationem, qvæ ſelectivè malum educat, bonum autem relinqvat. Tertiò, Cacochymia in venis, eſt tantùm cruoris turbatio, ad qvam ſublevandam non indicatur turbati cruoris exhauſtio, ſed turbatoris effectus ablatio. Qvartò, in Venæſectione illâ, in brachio qvæ inſtituitur, parcior ſaltem ſangvis per cordis tranſiens centrum ſuam depurationem ſortitus ibidem evacuatur, relinqvitur autem impurus, à qvo febris fovetur. Nec obſtat venæſectionem ventilare ſangvinem, venarum ſarcinam exonerare partem mali humoris unà cum bono demere, fluxumq; humorum pacare, ut reliqvum Natura facilius debellare qveat; nam hoc aliô modô fieri neqvit, qvàm qvatenus calido nativo inde multum detrahitur, qvod ſine noxâ

fieri

fieri neqvit. Deinde, ſi venæſectio eſt remedium refrigeratorium, cur non in hecticâ ſvadetur, ubi refrigerandi indicatio ſummè neceſſaria? Vita gliſcit in ſangvine, ideoq; ille ſine vitæ periculo emitti neqvit, neq; in principio febrium, nec in augmento, nec in ſtatu; Non in principio & augmento, qvia febrilis calor eſt debilis; non in ſtatu, qvia impeditur Natura & Criſis, non in declinatione, qvia jam Morbus eſt victus. Conſideremus, inqvit §. 36. prætereà; qvod in febribus cruor in venis vel bonus eſt, vel malus, vel neuter. Si bonus, debet detineri; malus eſſe neqvit & corruptus, qvamdiu vivitur. Neutro etiam in ſtatu Venæſectio utilis non eſt; cum negatum ſub diſtinctione negari etiã poſſit ſub conjunctione. §. 38. Gremſius lib. 2. cap. 2. de Febrium Naturâ §. 44. hanc Helmontius ſententiam approbat & confirmat. Qvàm & ipſe Galenus lib. 11. Meth. Med. cap. 14. fovere videtur, ex qvo loco patet, neqve in ſynocho putri, neq; in omnibus aliis febribus putridis utilem eſſe venæſectionem. Et Avicenna jubet 1. 4. tract. 2. c. §. 56. Et qvoties videris urinam groſſam &c. in febre pituitosâ ſangvinem non eſſe mittendum, niſi qvando urina fuerit rubra & craſſa. Ergo non convenit in putridis omnibus ſangvinis miſſio. Deindè Galenus etiam lib. de Venæſectione adverſ. Eraſiſtr. 6. monet, ægros maximè offendi ab illis Medicis, qvi omnes in principio Venæſectione indigere putârunt; Ergò ſi in principio non convenit in omnibus venæſectio, multò minus in aliis febribus conveniet, maximè cum doceat Hippocr. 2. aph. 19. ſi qvid tibi videtur movendum, move. Rurſus lib. 12. Meth. c. 3. In febre ſyncopali orta ex ſuccis crudis, ſangvinis miſſionem prohibet; & 1. ad Glaucon. cap. de tertianæ exqviſitæ curatione, ſangvinem non mittit, & cap. 20. ſeqventi, agens de tertianâ nothâ dicit; qvod ſi ſangvinem mittere oporteat, neq; hoc eſſe omittendum, ſignificans in omnibus venæſectionem utilem non eſſe: qvod poteſt etiam deduci ex eodem libr. de Conſtitut. art. Medic. cap. 19. ad fin. firmante, ſolam plenitudinem ſangvinis miſſione curari, reliqvos verò humores coctione, & vacuatione. Ultimò, ſi ſangvinis miſſio in omnibus febribus haberet locum, vel id eſſet ratione febris, vel ratione putredinis; non ratione febris, nam huic ſolum debetur refrigeratio ex Gal. 10. Meth. cap. 10. aliàs in diariis, & hecticis poſſet celebrari, qvod eſt abſurdum: non convenit etiam ratione putredinis, qvoniam hæc, ut ſuprà diximus, venæſectione non curatur. Ergò in febribus putridis ſangvinis miſſio non eſt neceſſaria.

Deniq; ipſe etiam Galenus monet, cavendum, ne dum febrem jugulare conamur, ægrum ſimul jugulemus, qvod tribus Medicis eveniſſe ſcribit

lib. de

lib. de Cur. rat. per venæſect. cap. 12. qvibus non opinantibus pro animi deliqvio Mors obrepſit. Unde & Martinus Kergerus ſect. 3. cap. 3. de Febribus, qvod Sennertus de Tertianâ prædicat lib. de Febrib. p. 271. qvod venæſectio intempeſtivè adhibita plus nocere qvàm omiſſa poſſit, id de omnibus febribus, niſi Plethora urgeat, verum eſſe cenſet. Conſideremus ſaltem, inqvit, annon ſufficiens indicium inutiliter adminiſtrati tam generoſi remedii ſit, qvod paroxyſmus ſeqvens venæſectione non minuatur, ſed ſit omnium vehementisſimꝰ. Sennert. l. c. Et cur laticem illum pretioſisſimum ſtudio exantlamus, qvi à febre, heu nimium! depaſcitur, ut planè in venis abſumptum fuiſſe per febrem obſervatione conſtet? Refert Johann. Argenterius in Galen. lib. 1. de febr. ad Glaucom. cap. 2. in cujusdam febre extincti cadavere, ne guttam qvidem ſanguinis in venis fuiſſe repertam. Ita ſcribit Andr. Spigelius de ſemitert. lib. 1. cap. 15. in quodam febre extincto venas majores circa Epar ſangvine vacuas repertas fuiſſe. Et ibid. c. 16. venam cavam & arteriam magnam ſic vacuam fuiſſe ſangvine, ut non opus fuerit filo venam cavam & portæ truncum, dum exenteraretur, intercipere. Præ cæteris obſervatione conſtat, qvod crebra ſangvinis miſſio homines febri aptiores reddat, inqvit Willis de Febrib. cap. 9. Teſtantur ipſius obſervationes & curationes febrium poſt Venæſectionem ſemper ægros deterius habuiſſe, etſi initio aliqvid contuliſſe videretur. Cap. 11. l. c. Itaq; ego cum ejusmodi laniombus & ſangviſugis non facio, qvi vitæ theſaurum tam inutiliter abliguriunt, cum præſertim in his ſeptentrionalibus oris homines tam freqventem vel largam venæſectionem non benè ferant, & alia remedia in promptu ſint & præſentiora, & jucundiora & tutiora; Hæc Kergerus.

Verumenimverò, quamvis negari non poſſit, ſanguinem noſtrum, ut eſt temperatisſimus, eſſe vitæ liquorem conſtitutivum, nec lædere nos poſſe, neque ullum generare Morbum, adeoque in corpore humano potius retinendum, quàm emittendum eſſe, ut in quo ex quorundam ſententiâ ipſa etiam anima gliſcat, & primò ac principaliter hæreat, atque immodicam ejus profuſionem per quamcunq; tandem partem fiat, ſegnities, languor & pallor perpetuus, itemque imbecillitas omnium partium ſequatur. *Benivenius in obſ. Medic. c. 58.* Quotidianâ tamen Experientiâ notum eſt, artificialem ejus profuſionem aut emisſionem, dum à naturali ſuâ ſymmetriâ deflectit, & abundantiâ morbificâ phalange & occaſione ſtipatâ peccat, eſſe plurimorum Morborum ſalutare auxilium, inter remedia univerſalia præcipuum, & in morbis periculoſisſimis acutis citam præſtare opem

opem, morteque adeò ipsâ ſæpè liberare. Primam itaque rationem à *CL. Helmontio* loco minoris allatā negamus. In Febribus enim omninò dari poteſt utraque Plethora, ad vaſa ſcilicet, & ad vires: Deinde etiam miſta cacochymiæ & exquiſita, teſte ipsâ Experientiâ. Quod autem Plethora hæc ſi adſit binis diebus ſtatim à febris ardore conſumi queat, veritati non videtur conſentaneum. Non enim omnis ſanguis aptus natus eſt, ut in nutrimentum partium abeat, ut monet *CL. Harveius lib. de generat. animal.* Sed ſanguis quoq; eſt pars corporis vivens, nutrit ſolùm alias partes, eâ parte, quæ nuperrimè è chylo fuit elaborata, eâ tamen inſimul ipſe nutritur. Quemadmodum igitur ſubſtantia muſculoſa carnis non ſtatim abſumitur, ſed uno vel altero die in febribus durat; Ita nec maſſa ſanguinea Plethoram ſuam tam ſubito amittere poteſt. *Deindè* raro in principio omnis appetitus ceſſat, ſed aliqualis remanet, vel largiore reſarcitur potu. Sicuti etiam aliàs bruta ſaginata, & homines plethorici paucisſimo nutrimento in ſtatu ſuo conſervantur, ita vanus eſt metus, uno vel altero die in febribus ſub minore appetitu, illicò omnem ceſſare Plethoram. Simile à Fonticulis deſumptū nihil probat; nam eâ facilitate Plethora non exſiccatur, quâ ſerum in fonticulis ceſſat. Fonticuli ſiccantur in febribus abſumptis partibus humidioribus à febrili calore & expultrice partium ſufflaminatâ; unde nec urina mittitur amplius tam promptè, nec alvus & alia emunctoria ſuo ſatisfaciunt officio; non quod recrementa Naturalia à febrili calore ſtatim fuerint abſumpta, ſed quod Natura ſive juxta Helmontium Archéus in ſuo naturali ſtatu turbata, & à conſueto officio revocata ad vitioſorū humorum digeſtionem & eorum criſin ſe accingat.

Nec obſtat, quod vires vitales & ſanguis ſint correlativa; Diverſa enim omninò ratio eſt virium & ſanguinis; Vires vegetæ numquam in vitio. Sanguinis autem abundantia ſæpius; dum vires in Febribus patiuntur damnum vel ab ejus qvantitate, qua copioſus; qualitate, quâ ſalibus ſcatet ſylveſtribus, ut noceat operationibus; vel etiam motu, ad partem dum ruit principalem. Sanguis ſcilicet noſter dum abundat, ſupra debitum, & cum reliquis disproportionatur alendis partibus, Archéum onerat, idemque partes & harum fermenta digeſtiva aggravat; & vaſa diſtendit, undè non tam prōptè circulatur, ſed pigrior in motu factus ſubſiſtit, dolorem gravativum in artubus cauſatur, laſſitudinem ſpontaneam & obſtructiones parit, vaſorum item ruptiones, catharros, lippitudines oculorum, dolores

lores dentium, tuſſes, inflammationes, febres, aliaque ſymptomata graviſſima excludere ſolet. Quod ſi igitur hic ſanguis copioſus ſupra debitum moras in corpore humano nectat, & non debitè circuletur, vel Archéum onerat, vel hoſpitem extraneum peregrè ſibi advenientem adoptat, unde propriâ ſæpe thymoſi accenditur & æſtuat, vel fit grumoſus, uti videmus in *Peripnevmoniâ, Pleuritide, &c.* qui Naturæ inimiciſſimus ob aciditatem coagulantẽ, quam timet Natura, ne reliquus ſanguis coaguletur, & alia præpediat mala, ſpontaneam in nonnullis ſanguinis excretionem ſæpe inſtituere ſolet concitando undique arterias, & cum impetu movendo ſanguinẽ ſummo cum fructu, ut patet ex *Beniven. obſerv. Medic. cap. 4.* ubi mirabilem recitat hiſtoriam cujusdam, cui ſingulis menſibus per cutem, quâ ima pars jecoris ſubjacet, ſanguinis libra quaſi ex venâ apertâ effluebat, quo evacuato vix diſcerni poterat, unde evacuatio facta eſſet, ita nullũ foramen, nulla cicatrix apparebat. Simile exemplũ & inter rara *Jacobi Hollerii* habetur, qui novit quendã, cui è regione hepatis vena per intervalla dehiſcebat, quæ ſanguinem funderet, reſtitante ſanguine veſtigium non apparuit. Vid. & *Horſtius Libro 4. de Morbis infimi ventris obſerv. 5.* Sic etiam diu ac graviter vexati Cephalalgiâ, Melancholiâ aliisque ſymptomatibus, per narium, hæmorrhoidum aliarumque partium hæmorrhagias ſpontaneas, paulo tamen liberiores ab hiſce ſymptomatibus penitus fuerunt liberati. Sic *Petrus Pachequus obſervatione Riverio communicatâ 31. Sibi poſt qvindecennalem hemicraniam venæ in ſuperiori labio apertionem accidiſſe, ex eâq; ſingulis menſibus* ℔ *iv. aut v. ſangvinis ferventiſſimi & ſalſi promanâſſe ſcribit, qvo tandem Hemicrania ſublata fuit.* In honeſtiſſimâ, cujus nomine parco, Matronâ, Magnifici cujusdam Conſiliarii Hallenſis conjuge dilectiſſimâ, aliquot vicibus ingravidationis obſervavi in collo ad dextram aurem Venæ jugularis ramum quendam ſpontaneâ rupturâ guttulas ſanguineas dimiſiſſe, ut, quoties ſupprimerentur, degenerârint in tumorem capitis œdematoſum. Adoleſcentes, qui pleniore utuntur victu, vitamque in otio tranſigunt niſi circa decimum octavum aut vigeſimum ætatis annum (quo tempore ſanguinis copia unà cum corporis incremento accumulari ſolet) aut ſpontaneo per nares, vel loca inferiora effluvio, aut apertâ venâ à ſanguinis onere liberentur, plerunque valetudinarii fiunt. Unde & in ſexu fœmineo Natura adeò appoſitè canales quosdam in uteri orificio conſtruxit, ut typicè per eosdem maximo cum artificio placidè ac tutò

Dd 2 ſan-

ſanguinis ſarcinam illam deponat maximo cum illarum commodo. Adeoque veritati conſentaneum & hîc omne nimium eſſe Naturæ inimicum, nec Medicum à verâ Medendi Methodo deflectere, ſi haſce ſpontaneas Naturæ evacuationes tanquã ejus miniſter ſtudiosè imitetur & ſanguinem Artis beneficio imminuat. Licet admirandas ſemitas quandoque ſibi præparet Natura, quas Medicus invenire non poteſt, tamen eò etiam Medicus ducat, ſi ſcilicet ſit in ægri ſalutem, quo Natura ducit, quum aliquopiam eam rectè operantem vergere videt. Sin autem Natura ſuâ in operatione interrumpatur, aut ſuccumbat, Medici eſt, illam ſublevare, & auxiliatrices afferre manus. Quapropter ſolertisſimus *Galenus* Venæ-ſectionis vim & efficaciam in debellandis affectibus examinans contra Theſſali ſectatores ſtrenuè ſe ſemper oppoſuit: oſtendens manifeſtisſimis exemplis *Venæ-ſectionem* eſſe præſidium omnium optimum, præſentaneum & multiplici rerum uſu approbatisſimum, cum cæteris remediorum generibus ſit opportunius, citius ac tutius. Quod Oleum in Lucernâ, quod cibus in menſâ, quibus ſi debitè, ſi prudenter quis utatur, lumen, vitamque præſtant, & Spirituum exhauſtorum inopiam reſarciunt; ſin perperam, tenebras inducunt, & ſuffocato, præ nimiâ copiâ calore nativo mortem afferunt; hoc ſanguis copiâ peccans præſtat in noſtro corpore; Neque hæc ſemper cum ſpumante ſanguinis ebullitione eſt conjuncta, ſed fit, quando habitus muſculoſus debilis, quantitatem ſanguinis conſumere nequit, hinc copioſior ejus quantitas poteſtates vitales & Archéum ſuffimigat, ut Archéi partium ſeſe exonerent, & fractâ venarũ anaſtomoſi ſanguinem ſpontaneo motu expellant. Accidit tamen etiam, & fit, ut, dum Archéus à ſalibus peregrinis ſylveſtribus ſe liberaturus eſt, à quibus cacochymia conſtituitur, furioſam hanc vim adſumat, profundendo ſanguinem. *Dodonæus obſerv. 13. Freqvens eſt, inqvit, dum Natura Ecthimatum expulſionem molitur, ut eodẽ tempore, vel paulò antè ſanguis è naribus, & ſubinde copioſius profluat. Verùm Latomo cuidam ecthimatis laboranti, non per nares, ſed è gingivis ſangvis erupit, qvod cum inprimis moleſtum eſſet, ore asſiduè ſangvine repleto, remedium adhibet, & ſangvinem illac manantem reprimit. Repreſſus autem ſangvis aliam ſibi qvæſivit viam. Nam ad urinarios meatus converſus unà cum urinâ deſcendit, atq; ſic è gingivis non amplius ſangvine erumpente urina cruenta ſubſeqvuta eſt. Qvæ cum etiam reprimeretur, iterum ſangvis viam ad gingivas affectavit. Ex his autem nec prius deſiit prodire, qvàm ab Ecthimatis*

matis curatus æger eſſet. Hoc in Naturæ motu partim ſymptomatico, partim Critico dicunt adeſſe ſpumantem ſanguinis ebullitionē, quæ vix terminis & vaſis ſuis contineatur naturaliter, quibus non ſuperemineat, à deturpati ſanguinis ſalibus ſylveſtribus provenientem, quæ non purgantibus, ſed mundantibus & eluentibus arcanis ſalvo bono ſanguine eſſent ſequeſtranda.

Verumenimverò, ſi quis Arcanis accinctus eſſet, quemadmodum *Helmontius* & alii, quos nunquàm feſelliſſe ajunt omnes Febres Mercurii diaphoretici unicâ doſi, & Hecticam intra Lunæ ſpatium, & Quartanam unico hauſtu arcani corallini curâſſe, tum Venæ-ſectionis uſum omittere poſſemus: quamvis valdè dubitem, an ejusmodi arcana tantæ ſint virtutis, ut aſſuetos etiam ſanguinis misſioni ab ejus uſu revocare posſint? ſed cum non cuivis datum ſit adire Corinthum, ſi quis deſtitutus erit hujusmodi auxiliis, depurativis, Archéorum ſedativis, & ad eminentem quandam virtutē poteſtativam adſcendentibus, tunc ſatius erit præſidio hoc phlebotomico rectâ cum ratione uti. Etſi malum quid ſit, de theſauro vitæ aliquid demere, quia verò juxta *Helmontium* Archéus pertimeſcens tantam ſanguinis detractionem, ab ulteriori furore aliquantiſper deſiſtit, & inſimul hoſtes rebelles expelluntur, ideoq; laudanda *Venæ ſectio* eſt, per quam Naturæ rebellio ſedatur. Nihil enim eſt, quod nocet, quin aliquando proſit, *inqvit Galenus.* Uti igitur in Republicâ multa permittuntur mala, ne graviora mala ex nonnullis ſeverè prohibitis excitentur; Sic Medicus etiam aliis auxiliis deſtitutus neceſſariò malum facere debet, ne gravius malum ſuccedat. Nec obſtat etiam Cacochymiam in venis non contineri, ſed adeſſe duntaxat cruoris turbationem; impurum enim ſanguinē ſæpè educi confirmat Experientia, quâ conſtat, non omnem purpureo ſplendere in pelvi nitore, ſed modò viridem, modo flaveſcentem, modo cœruleum, modo albicantem deprehendi. Interim negari non poteſt, quod dum fit, adeſſe cruoris turbationem; ſed iſta nunquam fieri poſſet, niſi cacochymici humores eſſent admixti, qui anſam dant Naturæ, ut turbationem inchoet, & bonos à malis ſegreget.

Quòd populo Septentrionali venæſectio planè inſolita ſit, & in aliis regionibus, in quibus Medicina nondum ſatis exculta eſt, vel rarò, vel nunquam adhibeatur, illud legitimo ejus uſui nihil derogat. *Hiſpani, Galli, Itali, aliiq́;* è contrario in crebriore uſu habent *Venæſectionem*, utpote quibus vires ejusdem magis ſunt perſpectæ. Quod autem dicitur, ſanguinis quantitatem nocere non

poſſe,

poſſe, contrariatur Experientiæ, dum ipſa Natura manifeſtum facit, ſanguinem ſæpenumerò quantitate peccare, quæ ideo ſe à ſarcinâ gravante liberatura ſpontaneas ſæpe per criſin inſtituit hæmorrhagias, tum extra eam præſervationis etiam gratia molitur, uti ſuprà audivimus.

Corruptum in venis ſanguinem contineri, quod negat *CL. Helmontius*, à veritate recedit; Peccat autem ſanguis vel qualitate ſubſtantiæ, qui purgationem indicat, vel nudâ qualitate, dum nimis eſt calidus, aduſtus & ignefactus, qui non ſtatim omnem ſanguinis exuit formam. Putredo ſanguinis in febribus non eſt totalis, ſed partialis. Cacochymia in ſanguine per venæſectionem etiam cum fructu expediri & ſublevari poteſt; impurum ſanguinem etiam educi probat in febribus & aliis affectibus ſanguis è thecis ſuis evocatus ejusque extravaſati anatome confirmat. Illud autem concedere non poſſumus, quod in febribus calido nativo per venæſectionem multum detrahatur, cum ſolum ejus exceſſum corrigat, ſubtracto & mitigato febrili fermento, hoc licet interdũ in parte quâdam ſolùm hæreat, toti tamen maſſæ ſanguineæ communicari poteſt, id quod ex pulſu & æſtu totius corporis ſatis manifeſtum eſt. Hinc cum ſanguinis continuò circulari moveatur motu, venæſectione vel in brachio vel alia in parte inſtitutâ utique aliquid materiæ febrilis poteſt unà evacuari, ut Natura deinde reſiduum melius vincere poſſit. Imo interdum ſufficit, quod ſolummodo venæſectione ſaguis ventiletur; *Deinde* abſurdum non eſt, etiam in Hecticâ venæſectionem commendare, in quâ nonnunquam ſummo cum fructu inſtituitur in principio. Vita quidem gliſcit in ſanguine & quidem eminenter; originaliter tamen & principaliter in corde & ſolidâ ejus ſubſtantia cæterarumque partium, non excluſis viſcerum fermentis, id quod ipſe *Helmontius* ſubinnuere voluit, *dum libro de Calore, qvatenus digerat, ait: Non ſeneſcimus ſeu non deficiunt vires, niſi fermentorum aliqvot penuriâ, paupe-rie, extinctione*; Uſu tritiſſima ſententia, anima eſt in ſanguine, multas experitur explicationes; ſanguis vegetatur, & vitalem recipit ideam ab animâ. Inde tamen non ſequitur, nec bonum ſanguinem poſſe peccare nimietate. In longæviſſimis & vivaciſſimis præter boni ſanguinis abundantiam laudabilis etiam adeſt fermentorum conſtitutio.

In *Febribus intermittentibus* nullo non tempore, ſi adſit indicatio, convenit *venæſectio*; In *Continuis* autẽ *acutis* neque *in ſtatu*, neque in *declinatione apta eſt*, ſed *in principio*; nec obſtat, calorem febrilem tunc eſſe debilem; non enim hoc ſemper verum

verum eſt, & ſubtrahendus in tempore fomes calori ſequenti.

Malum eſſe non poſſe ſanguinem, quamdiu homo vivit, non eſt veriſimile. Sanguinis corruptio totalis vitam deſtruit, partialis autem ſalvâ vitâ ſtare poteſt, & ab hâc ſanguis liberabitur effluviis corruptis ſublatis.

Deniq; etiam *motu ſanguis peccare poteſt*, vel quando cum impetu quodam ad partem propter calorem, dolorem vel aliam cauſam ruit, de cujus medelâ infrà ſumus acturi; vel quando ob impuritates craſſas, & validas viſcerum obſtructiones diminutè movetur, variasq; in corpore actiones turbat, tunc evacuationis ergò etiam locum habet venæſectio, motum pigriori ſanguini revocatura. Sic ob nimiam vaſorum plenitudinem ſanguis in renibus ſubſiſtit, ſerum non ſeparatur, & urinæ emisſio ſufflaminatur, ubi *Venæſectione* nullum præſentius eſt remedium. *Riverius in Praxi.* Nec obſtat, *quod CL. Helmontius l. 2. §. 35.* In contrarium affert; motu enim peccare ſanguinem in Pleuritide facilè eſt probatu ex inflammatione, tumore, dolore lateris acuto & aliis Symptomatibus. In ſuppresſione menſium clarius habemus teſtimonium. Verùm, quicquid ſit, in omnibus hiſce erroribus excuſandus videtur ingenioſisſimus ille Vir, eò quod ex infelicitate ipſius ſeculi talem ſcientiæ anatomicæ facem non potuerit videre, qualem noſtro hoc ſumma induſtria Excellentisſimorum ac Experientisſimorum Anatomicorum per inventionem motus circularis ſanguinis accenderit, cujus ope nonnullorum Morborum cauſæ accuratius, quàm olim intuentur. Ecquis dubitet *CL. Illum Virum*, ſi hucusque vixiſſet, & Anatomen meliorem & perfectiorem nobiscum vidiſſet, ultrò ſuos errores non emendâſſe.

Loca ex *Galeno & Avicenna* quod concernit allata, ſciendum ex *Galen. ipſo lib. 11. Meth. cap. 10.* Febrem putridam non eſſe ſimplicem affectum, ſed compoſitum, ex febri & putredine; Sive ut Neoterici loquuntur, ex calore febrili & ebullitione ſeu fermentatione ſanguinis, ex quibus duæ oriuntur indicationes, una ex calore, altera ex ſanguinis perturbatione. Illa dupliciter dividitur, prima ut calor febrilis, quia jam genitus eſt, tollatur, altera, ut id, quod eſt in generatione, prohibeatur; Similiter ab ebullitione duæ indicationes ſumuntur, una, ut id, quod factum eſt, curetur, altera, ut id, quod eſt in generatione, ſiſtatur. Et cum id, quod eſt in generatione ex prohibitâ tranſpiratione dependeat, rurſus ab hâc aliæ duæ emanant indicationes, primò ut id, quod factum eſt, curetur, id eſt, retentum evacuetur; altera, ut id

quod retinendum eſt, prohibeatur; hoc autem fit remediis aperientibꝰ; ubi iterum duæ aliæ inſurgunt indicationes, una, ut id, quod factum eſt, per Medicamenta deobſtruentia evacuetur, altera, ut id, quod futurum eſt, inhibeatur, quod fit, ſi effluxum obſtruentium humorum compeſcamus. *Ludovicus Colladus lib. de Indication. cap. 23.*

Horatius Augenius lib. 4. de Sang. Miſſ. cap. 9. & 10. docet in febribus putridis ab inutili & vitioſo ſanguine ſubortis venam non eſſe ſecandam, niſi Plethora adſit; Et pro authoritate adducit Galen. lib. 11. Meth. cap. 8. ubi curam & evacuationem illorum, quæ putruerunt, proponit, nulla ſectionis venæ mentione factâ: & cap. 9 monet expellenda eſſe, quæ putruerunt, per urinas, alvū, ſudores, & aliqvando per vomitum. Verum citatꝰ *Galenus* præſenti in textu conticuit in particulari Venæſectionem ad vacuationem putridi & corrupti ſanguinis, quam ſatis abundè jam in ſuperioribus commendaverat *lib. 9. cap. 10. & 11. & 8. Meth. 4.* Quo loco ad vacuandum corruptum jubet vacuationem eſſe celebrandam; Vacuationum autem potiſſimam eſſe ſanguinis miſſionem, nemo dubitat, & *ipſe Galenus* eam ſummis encomiis deprædicat. Speciatim autem meminit vacuationis per urinas; ſeceſſum, vomitum & per ſudorem, quoniam de iis hactenus mentionem non fecerat, & ut latenter inſinuaret non ſolam ſanguinis detractionem ſufficere ad evacuanda, quæ putruerunt, ſed aliis etiam opus eſſe. Addit præterea *Augenius, Venæſectionem* evacuare utile, & inutile; quaſi vero purgatio, & ſudorum provocatio utiles cum inutilibus humoribus non vacuaret; interim tamen majus ſequitur commodum ex purgatione putridi, quàm ex evacuatione innoxii & Spirituum diſſipatione, quam Natura facilè reſarcit, detrimentum.

Quicquid igitur eſt factum in obſtructione ortâ ex plenitudine, *Venæſectione* curatur; quod verò factum eſt in aliis obſtructionibus, remediis attenuantibus curari debet; Quapropter in omnibus dictis putridis febribus, etſi Plethora non adſit, convenit *Venæſectio* ratione obſtructionis, revulſionis, & ventilationis, ut corruptus ſanguis educatur, & qui corrumpitur, alteretur, & fluidum reddatur corpus, dum per Venæſectionem humor evacuatur, quo vaſorum cavitates infarciuntur; dummodo nec ætas, nec vires prohibeant, nec aliud ex iis, quæ Venæſectionem remorantur. *Zacut. Luſitan. lib. 4. de M. P. h. 9. Qvid Thom. Willis & CL. Kergero reponendum ſit, ex modo allatis conſtat.*

Quandocunque igitur Morbus magnus cum periculo conjunctus adeſt, ſanguis abundat cum motu ejuſdem

ejusdem præternaturali & inſigni ebullitione, id quod patet *primò* ex urinis craſſis & rubentibus, *deinde* cùm pulſus magni ſunt, *tertiò*, cùm color faciei rubicundus; Et ſi *deniq;* præceſſerit alicujus vacuationis ſuppreſſio, tunc Venæſectio locum habet.

Sciendum tamen hîc, nos non agere de *Venæſectione* in *genere* ſumptâ, ſed in *ſpecie*, quatenus *evacuationis* gratiâ ad *Qvantitatem* ſanguinis tollendam & aliorum humorum ipſi præter Naturam commixtorum detractionem adhibetur.

Ut igitur in Venæſectionis adminiſtratione & ipſe Medicus tutò medicetur, nec crudelis hominis faciat officium, qui ſæpe cum Morbo vitam quoque hominis aufert. *Gal. lib. 12. Meth. cap. 1.* certè *qvantitatem ſanguinis* evacuandi exactè contempletur, & eâ menſurâ evacuet neceſſe eſt, ut unâ inſerviat Naturæ, cauſamque morbificam ſenſim expugnet. Quapropter in *qvantitate ſangvinis* emittendi determinandâ attendamus *primò* ad ejus abundantiam, quam communiter duplicem ſtatuunt, vel πρὸς ἀγγεῖα, *ad vaſa*, vel πρὸς δύναμιν, *ad vires*; & rectè quidem, ſi latè ſumatur, non ſtrictè vocabulum abundantiæ. Utralibet ex his duabus ſi adſit, *Venæſectionem* indicat, largam, ſi magna ſit ſanguinis copia, mediocrem ſi parcior. Unde *Galenus. lib. 1. de Cur. rat. ad Glauc.* *Cum effervescentis, inqvit, ſangvinis copia febrim acutiſſimam accenderit, tunc opus eſt effuſâ, confertâ & repentinâ evacuatione.* Talis convenit in Synochis à ſanguine ortis & ardentiſſimis febribus. Ubi verò *Plethoræ* exceſſus eſt minor, detrahendum etiam largiſſimæ ſanguinis evacuationi. *Deinde* etiam videndum, an cum Ætate florente virium adſit robur, an Temperamentum calidum & humidum, an ægroti latas & amplas habeant venas, tunc largam admittamus ſanguinis evacuationem, quam calidi & ſicci non facilè ferunt. Et *Tertiò* in omnibus cum tempore Anni attendamus ad Regionem, in quâ vivit ægrotus, prout enim hæc vel calidior, vel frigidior, largiorē etiam vel mitiorem deſiderat emiſſionem; Sic Experimento conſtat certiſſimo, *Hiſpanis, Braſilienſibus, Gallis & inprimis Pariſienſibus* licentiosè admodū venas eſſe ſecandas in omnibus febribus; partium principum inflammationibus, aliisque Morbis à *Plethorâ* enatis. Nam in his, ob ſoli cœlique temperiem, & alimenta ubertim nutrientia, ſanguinis ſumma adeſt copia, & turgentibus venis Morbi ab ejus abundantiâ ferè emanant, quem ſi ſectâ iterum atque iterum venâ emittere recuſes, vel ægrotantes in graviora conjicies pericula, vel ignis animalis præ ſanguinis copiâ ſuffocabitur. Contrà in noſtro

ſeptentrionali tractu parcè ſanguis mittendus eſt ob aëris & victus frigiditatem & craſſitiem; Quod ſi modum in his non obſervares, ſed cum *Galeno 9. Meth. 4. & 5. lib. de Cur. rat. per ſang. miſſ. 12. Venæſectionem ad animi usq; deliquium adminiſtrares, vel ægros ad Cacochymiam deduceres, vel exhauſtâ & vacuatâ hâc puriſſimâ ſubſtantiâ, plurimâq; Spirituum copiâ effusâ, ipſos præcipitares in mortem.* Quapropter tutius ſemper eſt & in hâc ſanguinis vacuatione à Mediocritate non recedere; *Omnis enim nimia evacuatio periculoſa eſt. Hipp. lib. 1. aph. 3. & lib. 2. aph. 51. Quod copiosè fit ac repentè, ſeu vacuatio ſit, ſeu repletio, Naturæ bellum indicit, quod verò fit paulatim, tutum. Et Gal. in comment. cauſam addit, quia omne nimium cũ deſtruat commoderationem, unà ſubſtantiam animalis diſſolvit;* Unde ſæpe compertũ eſt, aliquos ex phlebotomiâ copiosâ in morbos incidiſſe longos, poſtquam immodicâ inanitione reſoluta naturalis vis fuit. Aliis, cum immodicæ vacuationis noxas ſarcire non potuiſſent, in omne reliquum vitæ tempus totius corporis temperamentum redditũ fuiſſe frigidius: Ex quâ refrigeratione facilè ex quâvis occaſione læſos, alios decoloratos, ac cachecticos fuiſſe: Alios ex eo ipſo in morbos incidiſſe exitiales, hydropem, dyſpnœam, & epatis ac ventriculi imbecillitatem. *Galen. lib. 9. Meth. 10.* Quo pacto in omnibus affectibus, ubi mittendi ſanguinis flagitat neceſſitas, videndum eſt ad virium robur, quod ubi non ſatis reſpondet, tutius eſt, quantum ſatis viſum fuerit, tantũ principio detrahere, quod defuit, iteratione ſupplere. *Galen. 6. Meth. c. 4. & l. 1. de Cur. rat. ad Glauc.*

Robur autem Virium duplici modo diminuitur; aut enim opprimitur; aut reſolvitur; ſi nulla cauſa externa præceſſerit, indicium eſt, vires eſſe oppreſſas. Viribus non reſolutis, ſed ſuffocatis & oppreſſis convenit magna ſectio venæ, viribus imbecillis mediocris, reſolutis verò, & planè proſtratis nulla. Vid. *Gregor. Horſtius in Inſtitut. Medic. Diſput. 18. quæſt. 6.*

Quod ſi tamen eveniat, ut *Venæſectionem* ſumma poſtulet neceſſitas, vires autem à principio Morbi ad ipſum ſtatum neglectâ ab initio venæſectione ſummè langueant, quæritur, quid tunc faciendum ſit? Sciendum eſt, quod ante omnia vires languidæ ſint examinandæ, utrum ex oppreſſione, an verò ex reſolutione hoc malum oriatur. Si vires oppreſſæ, cùm in ſuâ naturâ nihil patiuntur, tamen ſanguinis miſſio non poſthabenda, ſed repetenda, licet ſtatim ab initio fuerit neglecta. Quâ ratione *Hippocr. lib. 4. de vict. rat. in Morb. acut. & Galen. ibid. in comment. ex ſanguinis interceptione*

&

& venarum occluſione ſanguinem mittendum eſſe monet. Vid. *Valleſ. de diverſ. lipothym. cauſ. & remed. lib. 12. cap. 3. Si verò vires fuerint reſolutæ & ſecundum Eſſentiam patiantur, malim cum D. Sennerto de Febrib. in hoc caſu Galenum ſeqvi, qvi ſuadet, ea auxilia, quæ cuſtodes corporis vires dejicere, Medicoq́ue calumniam conciliare poſſunt, omittere, & prognoſticis uti, quam ancipiti remedio virium reliquias cum vitâ tollere.* Eſt enim contra omnem MedendiMethodum exhauſtos Spiritus vitales magis exhaurire; Et artis Medicæ dignitati melius conſulimus, ſi in ejusmodi caſu inſtemus confortantibus, & expectemus opportunum Venæſectionis tempus. Scuticâ igitur dignus fuiſſet novellus ille Medicus Practicus, qui pronuper in mei abſentiâ ægrotum jamdū à febri petechiali liberatum, & in declinatione conſtitutum, viribus nondum integris Venæſectionem auſu temerario adminiſtravit.

Patiuntur autem *Vires* inſignem à rebus ſecundum Naturam, non Naturalibus & præter Naturam mutationem, qualia temperamentum, de quo ſuprà dictum, Ætas, Sexus, Naturæ Proprietas, Conſuetudo quoad victum, vitæ genus, Aëris conſtitutio, Symptomata quædam.

Quod Ætates attinet, omnes unanimi fatentur conſenſu, eam, quæ inter pueritiam & extremam ſenectutem media eſt, *Venæſectionem* nō reſpuere. Unde quæritur, *an Venæſectio pueris competat?*

Zacut. Luſitan. de Medic. Princip. hiſtor. lib. 1. hiſtor. 80. quæſt. 47. in parte affirmativâ quaſi pro aris & & focis pugnat, prolixè probans etiam infantibus duos annos natis, imò ſeptimo ſextovè menſe venam aperiri tutò poſſe, & graviter impugnans illos, qui in mittendo ſanguine in pueris ante 14. annum adeò timidi ſunt, & plures ægrorum acutis Morbis correptos perire ſinunt, qui ſanguinis misſione ſervari potuerint. In ſpecie HamburgenſesMedicos reprehendit, qui ſancitâ veluti lege cavent, ne ante annum ætatis nonum vena aperiatur; cum ſine venæſectione etiam minoris ætatis pueri in inflammationibus internis & acutisſimis Morbis ſervari non posſint. Quâ in re facit cum *Avenzoar*, cui conſentit etiam *Horatius Augenius & Proſper Alpinus Libr. 2. de Medic. l. Ægypt. ubi teſtatur, Ægyptiis hodiè planè familiare eſſe venas in Pueris ſecare.* Et *Amatus Luſitanus Centur. 3. Cur. 17.* non eſt diſſentaneus, ſcribens ex 150. pueris, qui æſtate quâdam Variolis & morbillis infecti ad manus ſuas pervenerint, omnes illos evaſiſſe, qui evacuati fuerint, cæteros occubuiſſe, quibus parentum culpâ vena ſecta non fuerit. De puello quadrimo Synocho imputri laborante

rante & copioſâ phlebotomiâ levato modo laudatus *Zacutus* obſervationem proponit *in Praxi Medic. lib.3. obſ.3. Braſilienſes Chirurgi* demunt ſanguinem à primâ infantiâ usque ad extremam ſenectutem, citò, tutò, & jucundè, non ponderantes, quæ ætas ſit, neque quid intus in corpore geratur, ſed quæ vires ſint. *Nam ſi vires, inquiunt, ad Venæſectionem ſuſtinendam ſufficientes in puerili deprehenduntur ætate, utique nulla eſt ratio, qvare illa etiam his deneganda, eò magis, ſi qvoddam ex ejus morâ vitæ immineat periculum. Intereſt autem, non qvæ ætas, ſed quæ vires ſint Celſ. lib.2. c.10. Neq; eſt, quod metuamus, pueros, quia eorum corpus ita conſtitutum, ut ex ſe naturaliter vacuentur, aliis vacuatoriis præſidiis non egere. Nam etſi hoc verum ſit tempore ſanitatis, non tamen conſtat etiam tempore Morbi illas Naturales evacuationes aut ſufficere aut ſupereſſe. Neq; venæſectione ſubſtantia corporis abſumitur, facilis enim per cibum ac potum poteſt fieri reſtauratio. Ipſa Natura oſtendit ſæpius viam, per quam venæſectio in Pueris ſit inſtituenda. Sic in Febribus ardentibus, Variolis & morbillis ſæpè obſervamus Naturam in morbi initio hæmorrhagiam Narium, etiam aliarum inconſuetarum viarum ſummo cum fructu ſæpè inſtituiſſe. Schenck. lib. 6. obſerv. 106. Foreſt. lib. 6. obſ. 48. Conſule præterea Moxium l. 1. c.33. Petr. Franciſc. Phryg. comment. in hiſt. 8. ſ. 3. l. 3. Epidem. Joh. Dan. Horſt. in Manuduct. ad Medicin. part. 2. ſect. 1. p. m. 131.*

Verumenimverò, quamvis hæc veritatis & experientiæ ſpeciem quandam præ ſe ferre videantur, mâlo tamen cum *CL. & Doctiſſ. Trincavellio contrarium ſtatuere, qui de rat. curand. affect. part. lib. 2. c. 10. ſcribit*, ſe in valdè teneris venæſectionem nunquam probâſſe, cum id præter rationem fiat, & ejus rei ſæpè malus eventus ſequatur, licet aliquandò res benè ſuccedat, id potius bonæ fortunæ, quàm rationi attribuendum ſit. Vires in tàm tenellâ ætate ſunt nimis debiles, fermenta viſcerum in primo ſunt flore, ex ſale ſanguinis volatili prognata, unde facilè exhauriuntur penitus, nec tam generoſum auxilium ferre poſſunt, habitus præterea corporis eſt tener, & facilè perſpirabilis, cujus beneficio id, quod arte moliendum erat, ſpontè præſtatur, *ut Gal. Meth. Med. 11. c. 14. docet*; atque ita, præcipuè accedente victu tenuiore & inediâ ſanguinis copia facilè minui poteſt. Huc accedit, quod parentum & aliorum adſtantium culpâ, omnes infauſtos eventus remediis adſcribentium, ut etiã prudentiores Medici metu calumniæ ab utilisſimis interdum abſtineant, noſtris in Regionibus Venæſectionem in

nem in

nem in pueris moliri ſæpe non integrũ fit. Differt ſæpe pro confidentiâ ægroti & pro Naturâ locorum Medicina, & aliud eſt *Romæ*, aliud in *Ægypto*, aliud in *Galliâ*, *Braſiliâ*, aliud in *Principe*, aliud in Ruſtico facere Medicinam. Et quod licet in *Venæſectione in Italiâ*, *Hiſpaniâ*, *Ægypto*, non licet in *Germaniâ*, & præcipuè locis magis Septentrionalibus. Vid. *CL. Sennert. in Paralipom.*

SENES quod concernit, iisdem etiam non omni tempore & quovis Morbo vena ſecanda, ſed ſi, *primò*, robuſtarum virium fuerint, quæ cognoſcuntur ex pulſu magno, & ex muſculoſo & benè habito corpore; ſi deinde laborent anginâ, qualem obſervationem habet *Valleriola lib. 6. obſerv. ult*: *Pleuritide*, *cephalalgiâ Zacut. Luſit. lib. 1. de M. P. h. 5. Gal. 12. Meth. 1. ophthalmiâ Foreſt. in obſ. l. 2 apoplexiâ, febri acutâ; &c.* certè in ejusmodi affectibus non omittenda *Venæſectio*. Nam ſi graves & acutos Morbos poſſunt experiri, omninò etiam illorum remedia ferre poſſunt. Summo cum juvamine ſæpe periculum factum in *Apoplecticis ſenibus. Holler. l. 1. exerc. 6. p. 29. Lazar. River. Foreſt. cap. de apoplex. Riolanus in Meth. Med. cap. de Apoplex. Heurn. libr. de Morb. c. 23. Jacob. Fontanus l. 1. Prax. c. 22. Noſter Rolfinckius obſervavit in Apoplectico* quinquagenario, cum annorum numerus ſanguinis miſſionem dubiam faceret, nihil proficientibus clyſteribus & aliis, tandem τὸ ἡγεμονικὸν *Venæſectionem* omne punctum tuliſſe.

Sciendum tamen *primò*, ſanguinem ſenibus non eſſe in tantâ copiâ mittendum, quantam ſolemus præſcribere in ætate juvenili, ſed potius per vices, ad uncias quinque vel ſex.

Deindè videndum, ne decipiamur pulſu magno, & inflatis in ſenibus venis; ſæpe enim hîc fallax eſt â flatibus, non ab abundantiâ ſanguinis ortus, qualem obſ. habet *Zacut. Luſitan. l. c. obſ. 9.* Nec obſtat, Senes eſſe frigidos, ſiccos, debiles, & ob ſanguinis & Spirituum penuriam, *Venæſectionis* noxam vehementer perſentiſcere, ob quam cauſam *Gal. 4. acut. 19. & lib. de cur. rat. per ſang. miſſ. c. 5. 11.* ipſis *Venæſectionem reformidat*, tamen de copioſâ ſanguinis evacuatione eſt intelligendus, quam Senes ſine noxâ non tolerant. *1. ad Glauc 14.* ideoque & in his minus ſemper detrahendum, quam plethora monet; ætas enim annumeranda eſt veluti accidens quoddam, quod prohibendi integram vacuationem vim habet: neq; enim pueri, neque ſeniores hanc ſine noxâ tolerant. Quare hos, ubi affectus expoſcunt, non ſemel, neque ex toto, ſed paulatim vacuare oportet, inediis moderatis, frictionibus, & clyſteribus mollibus, *Gal. 1. ad Glauc. 14.*

Mulier molliore habitu & frigi-

diore temperie prædita *Venæſectionem* minus tolerat, quàm Vir. Unde quæritur, an & gravidis venam aperire liceat nullo morbo præſente, ſed tantum ad abortus præſervationem?

Donatus Antonius ab Altomari in peculiari tractat. de hâc materiâ multis argumentis contrarium probat, & negat, in gravidis ad præſervationem abortus venæſectionem poſſe eſſe ex uſu. *Primò, quia in primis menſibus cauſa abortus non eſt plenitudo ſanguinis, dum fœtus ſanguinem ſenſim abſumit & in nutrimentum convertit, qvantus ſibi neceſſarius eſt, ſed acetabula mucoribus plena hîc accuſanda, ob quam cauſam ipſa diſrumpuntur, nec poſſunt fœtum continere. Hipp. ſ. 5. aph. 45. jam prædicta excrementa non poteſt vacuare venæſectio; Deinde, venæſectio per ſe potius facit abortum, Hipp. 5. aph. 31. quam ab eo præſervare posſit, ſubtrahit enim fœtui alimentum. Tertiò, ſi ex alvi profluvio vacuationis ſolum ratione fœminæ in abortum incidunt Hippocr. ſ. 5. aph. 34. quæ cæterorum humorum à ſanguine vacuatio eſt, qvantò magis ſeqvetur ex ſanguinis emisſione, in quo △ animalis conſiſtit.*

Verùm, cùm Experientia rerum omnium Magiſtra ſatis abundè hactenus manifeſtaverit legitimum venæſectionis in gravidis, etiam primis menſibus, ubi aliàs in quibusdam abortus concitati, inſtitutæ uſum, illi contradicere nefas eſto; ſed potius hujus Effectus quærendæ ſunt rationes, quàm res ipſa evertenda. Fuerunt enim, & adhuc ſunt, quæ, niſi tuſa prohibeat vena, abortire adſuetæ, quarum exempla recenſet *Marcellus Donatus hiſtor. Medic. mirabil. lib. 4. cap. 16. Roderic. à Caſtro lib. 2. Theor. de Natur. Mulier. c. 11.* Deſideras rationes? hæ ſunt. Nam ingens Plethora una etiam eſt ex cauſis abortum faciens potisſima. *Avicenna 21. 3. tractat. 2. cap. 8.* hæc autem nullo auxilio melius ac citius minui poteſt, quàm venæſectione; quemadmodum igitur alimenti defectus fœtum poteſt interimere, ſic & abundantia eum ſuffocare poteſt, & uteri ligamenta rumpere; ſectâ autem venâ fœtus poſtmodum ignis inſtar ſeſe habet copioſâ lignorum ſtrue ſuppresſi, qui demtâ copiâ fulget iterum. Sic fœtus ſanguine detracto reviviſcere dicitur. Et ob hanc cauſam Natura nonnullas in primis menſibus, ut matrem & fœtum tueatur, à ſanguinis copiâ ſublevat per uterum, non obſtante ingravidatione, *Schenck. lib. 4. obſ. p. 632.* per vomitum ſanguinis *Thom. Bartholin. C. 1. obſ. 19. hiſt. rar. anatom.* per nares, hæmorrhoides, & multoties per cutem ſubortis rubris maculis & efflorescentiis, & per univerſum corporis habitum pruritu excitato, qui bilioſus ſangvis, niſi ad partes

reſtagnet

reſtagnet, & ad uterũ confluat, acri vi ſuâ pungit, irritat, & laceſſit Naturã, ut fœtũ intempeſtivè detrudat; vel ad fœtum delatus morbidum & toto vitæ curſu valetudinarum faciat; quare demtâ fervidi hujus ſanguinis abũdãtiâ ab hiſce omnibus dictis malis fœtum præſervabis, ut alacrior potius reddatur, immunis à ſcabie aliisque cutaneis affectibus, quibus alii fœtus in lucem editi defœdari ſolent. Neque metuendum, ne fœtus alimento deſtituatur, & reddatur debilis, dum quædam gravidæ, quemadmodum & mihi notæ ſunt, ſpontaneum patiuntur menſtruum fluxum, juxtà *Hippocr. ſ. 5. a. 60.* Venæ enim aut potius arteriæ uteri, per quas ſanguis expurgatur, quædam ad fundũ illius perveniunt, aliæ ad ejus cervicem: *ex quibus, inquit Galenus, poſſe in prægnantibus ſanguinem effundi.* Propterea non colligitur, ſi ſanguis effundatur in paucâ copiâ, mulierẽ non eſſe gravidam, id quod etiam contingere poteſt, quandò uterus non benè clauditur à conceptu, idcoque per vaſorum apertionem illud tantum, quod ſuperfluum eſt, minimè verò, quod ad fœtus nutritionem neceſſarium, evacuatur. *Hippocratis aphoriſmus* intelligendus de copioſis illis ſanguinis effuſionibus ad animi deliquium antiquis uſitatis, quæ faciunt, ut fœtus ſuo privetur alimento, & extinguatur. Hîc obſervandum, conceptus quibusdã mulieribus aliquandò adeò tenaciter hærere utero, ut nullâ quantumvis extremâ vacuatione ſectæ venæ vel pharmaci exhibiti poſſit removeri. Vomitoria ſæpè gravidis nauſeabundis, & vitioſis humoribus in primis viis reſtagnantibus propinata fuêre, etiam purgantia minus fortia pro ratione conſtitutionis corporis, cauſæ morbificæ & aliarum circumſtantiarum. Neque id adeò contra conſuetam Medendi Methodum, quâ Naturam imitari jubemur. *Hippocr. ſ. 1. a. 21.* Medicus Naturæ miniſter eccur Naturam non ſequatur? dum gravidæ primis menſibus ſæpè continuis, imò perpetuis per omne gravidationis tempus cruciantur hæmorrhagiis, quædam vomitionibus, nonnullæque diarrhæis afficiuntur ſalutiferis. *Quædam, inquit Rodericus à Fonſecâ Olyſiponenſis Tom. 2. Conſult. Medic. 52. & Primeroſ. de errorib. vulg. l. 4. c. 27. ut abortirent, ex Saphenâ usq; ad ℔ iv. ſanguinis detraxêre, & validiſſimis medicamentis expurgatæ non potuerunt tamen voti compotes fieri.*

Ad *primam rationem* ſuprà in partem contrariam allatam notandum eſt, ſi in primis menſibus abortus contingat ob mucoſa excrementa in acetabulis uteri imbibita, abortus præſervationem omninò non in *Venæſectione*, ſed in *purgatione*, & reſolutione

ſolutione illorum excrementorum conſiſtere; contra autem, ſi plenitudo fuerit cauſa abortus, tunc ſanguinis miſſio eſt neceſſaria, quæ celeriter plenitudinem demit, nec fœtui alimentum ſubtrahit; nam plurima alias copia ſanguinis in corporis habitu abundat. *Deindè*, quamvis ex attractione fœtui periculum non eveniat, accidit tamen, ut, eò quod reliquæ partes in uterum ſeſe exonerent, ſic ſanguinis copioſi ad uterum affluxu, fœtus ſuffocetur, & acetabula disrumpantur.

Ad *ſecundam* ſciendum, *Venæſectionem* ex ſe abortivum auxilium non eſſe, per accidens autem aliquando contingere, dum immodica eſt, & citra virium robur adminiſtratur. Sic *venæſectio* ad animi deliquium tantoperè celebratur *ſ 1. aph. 23. & 9. Meth. 4. & 5.* ex quâ intempeſtivè celebratâ plures pereunt *Gal. lib. de curand. ratione per ſang. miſſ. cap. 12.*

Tertiò diverſisſima eſt comparatio *Venæſectionis* cum alvi fluxu; ex hoc enim abortum concitari poſſe notum eſt, tum ex experientiâ, tum ex rationibus. Experientiam confirmat *Hipp. l. 2.* Rationes patent, nam commoventur inde vitioſi humores ad uterum, fermentantur, tormina excitant, & ſurgendi adſiduitatem conciliant, quâ de causâ partes vicinæ laceſſuntur, irritantur, & demum fœtus periclitatur, imminetque ſummus virium languor, & cum inteſtino recto incumbat, uterus ob vicinitatem non ſolum trahitur in conſenſum, ſed & à fœtido excrementorum vapore fœtus extinguitur. De quorum ſymptomatum vehementiâ nullus in venæſectione eſt metus, quæ citò, tutò & ſenſim, gravidis ſæpè non animadvertentibus, ſanguinem exhaurit.

Medicus tamen Practicus circa hoc negotium ſedulò perpendat; *primò* Gravidæ Morbum, quo laborat; ſi enim is ob vitioſum ſanguinis oriatur motum, & concurrat plethora, ut febres acutas, aut alium graviorem minetur affectum, tunc venæſectio tutò adminiſtrari poteſt. *Deindè* examinet vires: hæ ſi validæ fuerint, vitio ſanguinis ſatisfaciendum, ſin debiles, aut *Venæſectio* prorſus omittenda, aut vacuandum parcius, quemadmodum præſente ſymptomate vires proſternente in minori quantitate ſanguis eſt detrahendus, quia aliquid ſymptomati eſt relinquendum. *Gal. l. 1. ad Glauc. c. 14.* Sic & in gravidis tunc temporis *venæſectio* parcè celebranda eſt, quo aliquid relinquatur fœtui, *lib. de Venæſect. adverſ. Eraſiſtrat. in cap. 5.* aut iterata ſanguinis detractio inſtituenda, aut loco Venæſectionis ſcarificationes cum cucurbitulis in dorſo & ſcapulis faciendæ, cum hâc ratione peccata omisſionis ſemper leviora

leviora ſint peccatis commisſionis, ſatiusque ſit in re dubiâ infrà ſubſiſtere, quàm ultra debitos limites excedere. *Tertiò* ponderet complexionem & habitum corporis; nam quæ ſucci plenæ ſunt, multoque abundant ſanguine, Venæſectionem facilius ferunt, quàm his contrariæ. *Qvartò* venarum habeat rationem, & eæ communiter, quæ ſunt in brachiis & manibus, eligi ſolent, quàm quæ in pedibus; licet ad præcavendum abortum aliquando etiam Saphena ſecari posſit, in gravidis robuſtis tempore gravidationis menſtruatis, & ob menſtruum ſuppreſſũ aliquando abortientibus, neque id ſine ratione & experimento, ſic enim demptâ particulari plenitudine uteri, vel copiâ ſanguinis ad eum fluentis ad originem fluxionis vacuati, felix tempore imminente ſæpe ſuccedit partus, qualem obſervationẽ habet *Zacut. Luſitan. lib. 2. Prax. Medic. admir. obſ. 160. & 144. Antonius Santorellus Medicus Neapolitanus lib. 18. antiprax. cap. 10.*

Unde non immeritò quæritur; *An in gravidis è talo aliqvando mittendus ſit ſangvis?* id quod *cum Excultisſimo Medico Zacuto Luſitano de M P. h. Lib. 3. q. 22 affirmamus,* ducti ratione & Experientiâ; ſi ſcilicet in uteri cavitate ſanguinis copia nimia ſtabuletur & fermentetur, à quo tetra aura in cerebrum excurrit, epilepſiam aut ſuffocationem uteri effectura, aut ſubſtantiâ ſuâ convolet in cerebrum, unde Apoplexia; Poſſe autem inferioribus venis ſectis particularem uteri plenitudinẽ exhauriri, fatentur omnes; nam uterus venas habet grandisſimas. *Galen. 6. Epid. ſect. 1. comm. 2. imo univerſalem deponi. lib. probat de Cur. rat. per ſang. miſſ. cap. 18.* Ab hirudinibus hæmorrhoidalibus venis admotis idem beneficium præſtari poſſe monet *Avicenn. 4. 1. cap. 21.* Quod autem crurum ſcarificatio, ſi vires ſint debiles, plenitudinem minuat, *conſtat ex Galen. 2. aph. 17.* Tantùm abeſt, ut ex ſaphenæ ſectione ſequatur periculum abortûs, ut potius deonerata Natura, & vacuatâ particulari uteri plenitudine fœtus alacrior fiat, dummodo gravida ſit carnoſa, quadrata, ſucculenta, venis turgentibus prædita, & adſueta tempore gravidationis fluxum menſtruum pati, aut ſanguinem excernere per os, nares aut aliam regionem; tunc enim neceſſe eſt demere copiam, quâ remanente fœtus ſuffocaretur. Neque obſtat quavis ſectâ venâ totum corpus poſſe exhauriri, *Gal. 2. acut. comm. 11.* ſi ſcilicet Plenitudo in toto corpore adſit, quæ omninò citiùs ac tutiùs ſuperioribus ſectis venis tollitur; quàm inferioribus; ſin autem, uti dictum, tantùm reſtagnet in utero ſanguinis abundantia, præſtat ad originem fluxionis revellere, & ab utero ſcil.

vacuare, qui horum malorum ſcaturigo eſt. Præterea non deſunt Mulierculæ, quæ gravidæ ſtatim à primis menſibus ad ultimos ſanguinis excretionem per uterum citrà ullum abortûs periculum patiuntur, aliàs ſuffocaretur fœtus, in iis, ſi urgentibus dictis morbis ſanguinem ex talo non emitteres, ſymptomatum ſævitie oppreſſæ ſuccumberent. *Zacutus lib. 2 Prax. Medic. admir. obſ. 139. in gravidis bubone venereo laborantibus & talo miſit ſanguinem, ſummo cum ſanitatis emolumento; & obſ. 27. gravidas Epilepſiâ ab utero correptas eodem remedii genere feliciter reſtituit. vid. Schenck. lib. 1 obſ. tit. de Epilepſ. gravid. & Solenandr. in Conſil. Medic.*

In *Venæſectionis* quantitate menſurandâ conſideranda etiam ſũt ſymptomata, ut dolores, vigiliæ, & evacuationes; vigiliæ enim & dolores vires reſolvunt, ita ut *venæſectione* planè uti non liceat, niſi ægrotũ in vitæ periculum præcipitare velimus: ſed in his potius ad confortantia & anodyna confugiamus, donec de ſuâ vehementiâ aliquantisper remittant, non imitaturi illum Medicum, *qui teſte Benivenio obſ. Medic. c. 50.* febricitanti mulieri licet viribus admodũ debilibus tantam ſanguinis copiam detraxerat, ut exinde Mors ſubſequuta fuerit. Si tamen tempore ſanguinis mittendi Natura per menſtruum fluxum ſive per hæmorrhoides ſufficienter *οἷα δεῖ καθαίρεσθαι* ſe purget, actio non eſt interturbanda. Si imperfectè agit, Medici eſt, Naturæ titubantis defectum ſupplere, exiguam ſanguinis portionem detrahendo. Ita mulieri Pleuriticæ quandoq; ſimul menſes fluunt, quorum impetus ſi Morbi vehementiæ accuratè reſpondeat, Naturæ totum opus committere licet. Si verò ejusmodi vacuatio non ſufficiat, Natura venâ in cruribus ſectâ eſt juvanda, ac ſi nec hoc modo debitâ menſurâ effluat, vena etiam in cubito ſecari debet. Sæpè verò Pleuriticæ Menſtruus fluxus mox inſtat, tunc vena in crure aperiatur, quo Natura irritetur, & ſimul materia à parte affectâ revellatur.

In *Evacuationibus Criticis* mox inſtantibus, & morbo non urgente, ſequantur præceptum *Hipp. ſ. 1. a. 20.* *τὰ κρινόμενα καὶ τὰ κεκριμένα ἀρτίως, μὴ κινέειν, ἀλλ᾽ ἐᾶν.* In *Symptomaticis* verò natura juvanda, quò eò facilius noxia expellatur materia. Sic in febribus malignis, variolis, morbillis, Petechiis, maculis item Scorbuticis Natura aliquando excretionem materiæ morbificæ ad corporis habitum inſtituit, & hinc variæ in cute maculæ apparẽt. Quæritur igitur, *An jam apparentibus variolis, morbillis, petechiis aut aliis exanthematibus Venæ-ſectio locum habere poſſit?* Multi exiſtimant piaculum

piaculum eſſe maculis hiſce apparentibus venæ-ſectionem adminiſtrare, eò quòd tunc temporis humores ferantur à centro ad circumferentiam, qui motus omninò adjuvandus eſſet, per venæſectionem autem contrarius omninò motus humoribus concilietur, ſanguisque trahatur à circumferentiâ ad centrum, cum factâ partium interiorũ inanitione neceſſarium ſit ſanguinem in exterioribus partibus contentum ad interiores recurrere, *Gal. 9. de ſanitat. tuend. cap. 10. diſertè docet, ſangvinem ſectâ venâ à corporis mole universâ ad internas remigrare partes. Deinde* Medicus Naturâ operante nihil moliri debet *juxta Hipp. lib. 1. aph. 20.* Si enim aliquid molitur, vel Naturæ opus impedit, vel auget, unde utroque modo nocet; ſi impedit retrocedens materia partes principes occupabit cum vitæ diſcrimine; ſi auget, virtutem exhaurit, & ultra *modum* evacuat.

Verùm ad *primum* ſciendum eſt, hunc metum de nihilo eſſe, ut materia vitioſa ſectâ venâ ad interiora revocetur: ſed pro certo credendũ eſt, Venæſectionem potius à centro humores trahere ad circumferentiã: nec motum illum ad cutim inhibere; quemadmodum non inhibet circulatio ſanguinis naturalis, quæ tamen à circumferentiâ ad centrũ tendit. *Deindè* probè videndum, utrum à Naturâ moliente dictæ maculæ erumpant, ſymptomatibus remittentibus die ſeptimo, aut alio die critico, & hic motus non interturbandus, an verò ob inſignem ſanguinis ebullitionem & humorũ malignorum ac putreſcentium fervorem ſtatim in principio morbi appareant, ibi corpore præprimis exiſtente plethorico, lotio apparente craſſo ac rubro, mox in principio ante quartum diem, dum vires adhuc conſtant, ſanguis detrahendus eſt, cùm vix Natura tantam humorum copiam ſuperare posſit, & periculum ſit, ne illi in partem aliquã interiorem irruant, in eâque pernicioſam inflammationem generent. Quamvis & criticè provenientibus exanthematibus non omninò *venæſectionem* denegat *Botallus de Sang. miſſ. cap. 5.* Si enim Natura criſin imperfectam aggrediatur, aut tardè operetur, ut Morbum non posſit plenum vincere, id quod fit vel ratione materiæ, vel virtutis, quæ ex imbecillitate opus perficere nequit, ibi non amplius Medicus ſpectator otioſus eſſe debet, ſed auxiliatrices Naturæ offerre manus. Cum verò Natura integrè judicat, tunc Medicus ſolùm ſe præbeat ſpectatorem. *Johann. Fiſcherus in enarrat. lib. 1. §. 20. Hippocr. Rodericus à Fonſec. in lib. 1. §. 20. Hipp.* Et licet in quibusdam dictis exanthematibus laborantibus infauſtè *venæſectio* fuerit

inſtituta, hoc tamen non factum eſt propter *venæſectionem*, ſed propter *venæſectionem* inconvenienter adminiſtratam; nec *venæſectio* inſtituitur ad tollendam malignitatem, ſed ad fervorem ſanguinis minuendum, ut natura deonerata in expellendo juvetur, & Spiritibus ſuppresſis ſubveniat. Id quod nobis in Medicinâ faciendâ, *inqvit Laz. Riverius de febrib. peſtil.* pasſim innoteſcit, dum ſæpè eâdem die, quâ ſecatur vena in acutis febribus, imò paucis interdũ poſt *venæſectionem* horis, copioſos ſudores, eosque criticos ac ſalutares erumpentes conſpicimus. Imò verò quamvis ſatis valida eſſet Natura, ut totum illum ſanguinem redundantem regere ſufficienter valeret, cum in corporibus plethoricis ſanguis plerunque crasſior eſſe ſoleat, & per hujusmodi ectymata tenuisſima tantum ſanguinis portio exhalet, crasſior in venis remanens magis ac magis computreſceret, & longè periculoſiorem Morbum efficeret. *Deniq;* ſi parotidibus ſiniſtri judicii apparentibus *Venæſectio* tantoperè profuit, *atteſtante Riverio l. c. p. m. 145.* quidni & indictis maculis eundem præſtaret effectũ? *Hanc verem Methodum, inquit Zacut. Luſitan. lib. 1. de M. P. h. h. 80. q. 47. docuere Avicenna, & juniores docti, & Medici Itali, qui in ſanguine mittendo adhuc erant timidiusculi, nunc in variolis & aliis exanthematis venæſectionis utilitatem, uſu ipſo edocti feliciſſimo eventu experiuntur. Vid. Gregor. Horſt. lib. 1. de Febrib. p. m. 39.*

Eadem ferè eſt ratio *Febrium malignarum miliarium* (*vulgò* das Frieſel) *in puerperis Lipſienſibus* familiarium per *venæſectionem* curandarum; Nam in his etiam non rarò ob materiæ morbificæ copiam aut malitiam, & inſignem ſanguinis ebullitionem inter initia talia tubercula ſeu exanthemata apparent; ibi omninò Natura coacta hunc motum inſtituit. Sic ergò Plethora præſens, lotium craſſum ac rubrum, aliaque *venæſectionis* indicantia adſint cum virium robore, cur non utiliter & in his vena aperiatur? Sic Natura onere levata reliquum faciliùs vincet, & nimia ſanguinis ebullitio temperabitur; & ſeminarium venenoſæ qualitatis intus circa cor hærens longius ab ipſo trahetur & ex parte evacuabitur. *Vid. Moxius lib. 2. de Morb. acut. cur per v. ſ. in fœtu c. 21. & 33. Petrus à Caſtro de Febrib. malign. ſ. 6. §. 1. D. Welſchig in diſcurſ. de Febr. miliar.*

In *maculis* etiam *ſcorbuticis* ſanguinem educere piaculum cenſent multi, Anti-Scorbuticis ſolum intenti, ob malignitatem ſcorbuticam, quæ generoſum hoc auxilium excludere judicatur. Verum, quamvis venæſectio malignitati ſcorbuticæ per ſe non competat, non tamen video,

deo, quare conſtantibus adhuc viribus in initio, ubi morbus totã maſſam ſanguineam nondum corrupit, ob aliorum ſymptomatum ſyndromen per accidens in ſcorbuto nequeat vena ſecari, ſicut aliàs in cæteris cacochymiis, quo parte quâdam vitioſi ſanguinis demtâ levetur corpus, ut reliquum facilius edomari & vinci poſſit; præſertim illud monſtrante Naturâ non ſolum in hæmorrhoidibus, menſibus, ſed & per alias venas ſanguinem quandoque in ſcorbuto effundente, ut per nares, pedes &c. Largiorem tamen ſanguinis miſſionem Morbus hic reſpuit, præſtatque repetita ſectio, & in variis locis tentata, idque ter ad minimum, ſed iteratis aliquot diebus.

In *PESTE* corpore jam peſtiferâ lue infecto *Venæſectio* videtur damnoſa Ægris & Medicis; exoptatam ab ægris ſanitatem vertit in interitum, & in infamem Medicorum gloriam. *Fallopius teſtatur, ſe obſervâſſe, qvotqvot ab Anno 1524. usq; ad annum 1530. venam Chirurgis incidendam admoviſſent, è Medio fuiſſe ſublatos. Alios verò, qvi detrectâſſent, ut plurimùm convaluiſſe. Vid. Foreſtus, Bauhinus, Roderic. à Fonſec. Septal. Sennertus & alii. Huc pertinet & alvi fluxus, de qvo quæritur, an venæſectionem poſſit impedire. Vid. Johann. Garmers Annotat. ad Fr. Rubei Exerc. 18. p. m. 471.*

Denique & in Venæſectione Naturæ proprietatem contemplari debemus, majori enim cum circumſpectione tractandi ſunt ii, qui citra evidentem cauſam repentè animi deliquium patiuntur. Nec poſthabere debemus illos, qui Veneris exercitio nimis ſunt dediti, ne nimio venæſectionis uſu magis debilitemus; Nam venæſectio aliàs Veneris uſu exanimatis exitio eſt; cùm enim ſemen ſit quaſi quinta Eſſentia & flos ac cremor ſanguinis in toto corpore optimi, & ſucci nervoſi proles, totaq; ferè Medicorum ſchola *Avicennæ* ſubſcribat dicenti; plus decedere homini effluente unâ ſeminis unciâ, quàm ſi quinquaginta educantur ſanguinis. IdeoqueVeneri deditis parcius ſanguinem detrahere debemus, ne nobis eveniat, *qvod Henric. ab Heer lib. 1. obſ. 18.*

Quoad *Conſuetudinem*, conſideranda & illa; *primò*, quoad vitæ genus; in otioſis, ubi magnus adeſt pravorum humorum apparatus, minus tuta *venæſectio*; Laboribus autem dediti tutius eandem ferre poſſunt. *Deindè*, quoad victum, qui tenui utuntur victu, minori cum emolumento tolerant *venæſectionẽ*, quam ii, qui liberaliter ſeſe invitant. *Tertiò*, quoad evacuationem; qui ſanguinis miſſioni adſueti ſunt, ac ſingulis annis eam repetunt, non tam majori cautione admittuntur, quàm ii, qui nunquam aut

rarò *Venæ-ſectione* uſi fuerunt.

TEMPUS Venæſectionis inſtituendæ conſideratur vel ratione *curæ Prophylacticæ*, vel *Therapevticæ*. In illâ diſpoſitiones corporum non ita urgent, ſed ſæpè commodum Tempus expectare jubent.

VER inter Anni tempora ad *Venæſectionem* ob temperatam ejus qualitatem eſt opportunisſimus, cui interdum reſpondet *Autumnus*, qui etiam aliquid de calore remittit, quare nonnulli per hoc tempus ſanguinis misſione futuros Morbos anticipare ſolent. *Æſtas* non ita apta, propter corporum diſſolutionem, neque *Hyems*, quia humores tunc temporis non ita mobiles in profundo potius latent corporis.

Obſervet itidem *Medicus* quatuor *menſis partes*, & conſideret *Aſtrorum ortus & occaſus*, inprimis *Lyræ, Canis, Arcturi, Hyadum & Plejadum: Solſtitia, Æqvinoctia, Planetarum coitus, Lunæ motus, Ecclipſes & malos Planetarum aſpectus* ſtudioſè examinet. De quibus ſequentes Obſervationes tum Generales tum ſpeciales *Aſtrologicæ-Medicæ* benè perpendendæ ſunt.

I. *VENÆ-SECTIO* extra caſū necesſitatis inſtituta in *Lunæ augmento* efficacior eſt, & comodior, quàm in ejus decremento celebrata, quia Natura priſtinas tunc temporis citiùs recolligit vires. Vid. *M. Abdiam TREW in compend. compendior. Aſtron. & Aſtrolog. Regul. 3.*

II. Præſente aut imminente Malefico in illo temporis puncto, quo venæſectio adminiſtranda, abſtinendum eſt ab hâc, usque dum Beneficus dominatus fuerit.

III. *Venæ-ſectio* erit proficua, ſi Luna cum Jove conjūgatur in bono ſigno, vel in ſextili, aut trigono, aut ex oppoſitione Jovem vel Venerem amicô adſpiciat vultu.

Hîc notandum *Primò*, hanc Regulam non ſimpliciter de horum aſpectuum diebus eſſe intelligendā, ſed de Lunæ appulſu ad dictos aſpectus. Diſtinguendum enim eſt, inter Appulſum & Defluxum; Appulſus eſt, ſi Luna accedat ad alium Planetam aut illum aſpiciat. Defluxus eſt, ſi ab alio recedat. Si Appulſus fiat cum Beneficis, valet hæc Regula. Sin autem Luna ante horam, in quâ *Venæſectio* fuit adminiſtrata à bono ad malum perveniat aſpectum, *Venæ-ſectio* mala erit, licet Luna propior adhuc ſit benefico, quàm malefico; ratio eſt, quia Venæſectio hoc inſtituitur fine, quò maſſa ſanguinea poſt illam defecetur, ac emendetur, hoc autem fieri nequit, ſi Luna accedat ad maleficum. Hoc effatum uti ſuprà adductæ regulæ maximè conforme, ita & Aſtrologiæ eſt conſentaneum, id quod apparet ex Thematologicis; ubi ſimpliciter adſeritur (absque ullâ determinatione) Thema bonum

eſſe,

eſſe, ſi Luna ad beneficum; malum autem, ſi ad maleficum appellat, præprimis ſi in ejusmodi appulſu ad beneficos non maleficus, & ad maleficos non beneficus occurrat.

Deindè etiam obſervandum eſt, oppoſitionem quoque Lunæ ad beneficos, Jovem ſcilicet & Venerem bonam eſſe; unde apparet, etiam quadratos ejusmodi Aſpectuum nō eſſe malos, licet in genere mali bonorum vocentur. Diſtinguendum autem eſt inter malum & vehemens.

Tertiò, idem etiam eſt Judicium cum lenibus Aſpectibus malorum Planetarum, quos vulgus Calendariographorum inter bonos *Venæ-ſectionis* aſpectus refert; ſed perversè. Minima enim doſis alicujus veneni æquè interficit, atque magna, licet non adeò vehementer & ſenſibiliter; v.g. Phlebotomiæ tum temporis inſtitutæ incommodum licet non ſtatim animadvertatur aut ſentiatur, temporis tamen progreſſu moram maximo ſanitatis cum diſpendio compenſat.

IV. Signa Zodiaci ne minimum quidem valent ad legitimum Phlebotomiæ uſum, quia jam aliquot viginti gradus à priſtinâ ſuâ ſtatione receſſerunt, in quâ olim Venæ-ſectionis uſui fuêre deſtinata.

V. Partitio Membrorum corporis humani in diverſa Zodiaci ſigna quemadmodum abſurda eſt, & phãtaſtica, ita etiam metus in V. S. in dictis ſignis contrariis celebratâ de nihilo eſt, quia omnia contra Rationem & experientiam ſunt.

VI. Lunâ in accommodato licet ſigno exiſtente, & unà in quadrato, aut oppoſitione Solis, tredecim gradus ante & poſt; duodecim item gradus ante aut poſt caput Draconis aut ipſius caudam, tamen *venæſectio* periculoſa eſt, niſi Luna ſit in defluxu ad beneficum aſpectum; Ratio eſt, quia tranſitus Lunæ per iſtiusmodi lineam non fit ſine Naturæ commotione.

VII. A V. S. abſtineas, ſi Saturnus cum Marte in quadrato vel oppoſitione fuerit; hi enim aſpectus omnes ſunt fugiendi.

Hîc etiam ſciendum *primò*, Dictorum Planetarum curſum eſſe tardum, ut ſæpè plurimum dierum intervallo tam propè ſe invicem non attingant, atque Luna unius horæ ſpatiô. *Deindè*, maximè dubitatur, an illorum curſus tam exactè moderno tempore adhuc ſit cognitus, ut ſciamus, quô die iſtiusmodi Aſpectus in propriis concurrant minutis; Inde ſequitur, illorum operationem non ſaltem diem unum, ſed plures ante & retrò duraturam. Hoc in Calendariis communiter non obſervatur.

VIII. In Conjunctione Jovis & Veneris, vel in horum aſpectu cum ſigno temperato venæſectio bona eſt; Et adhuc melior, ſi Luna et-

na etiam dictos adſpiciat Planetas.

IX. Mercurii violentis adſpectibus, quadrato ſcil. & oppoſitionibus in Venæ-ſectione minus fidere debemus, quia facilè ſymptomata concitant capitis, ut apoplexiam, epilepſiam, vertiginem &c.

DIES ſanguinis miſſioni deſtinatus ſit ſerenus, minimèque turbidus. Hora ſit matutina, quia tunc temporis peracta eſt concoctio, & Solis ortus animum reddit hilariorem, ut poſtmodum ſanguis fiat fluidior.

In *VENÆ-SECTIONE Therapevticâ* ſi itidem per Morborum ac Symptomatum ſævitiem liceat unà ejusmodi certas cœli conſtellationes obſervare, cura expeditior fuerit, ſin minus, ſpectemus ſaltem corporum complexionem, Morborum tempora, ac Naturæ actionem; Et ex illorum obſervatione Remedia modo hæc, modo illa, quæ varia variis temporibus morbus exigit, præſcribamus.

Ratione temporis Morborum in continuis & acutis Febribus commodiſſimè ſtatim ab initio vel ſecundo aut tertio die ſanguis detrahendus eſt, &, niſi virium infirmitas prohibeat, ut in febre ſyncopali, Cardialgiâ, ab humore acri & mordaci in os ventriculi ex maſsâ ſanguineâ defluente, aut ſi cruditates in ventriculo regurgitent, hæc ſymptomata ante phlebotomiam prius corrigenda ſunt, *hîc locum habet Hipp. ſ. 2. aph. 29. Incipientibus Morbis, ſi quid movendum videtur, move; In ſtatu autem melius eſt quieſcere; tunc enim Natura coctioni eſt intenta, quã debilitare & factâ eo tempore phlebotomiâ diſtrahere piaculum eſt. Galenus in comm. ſuper l. c. In hunc ſenſum intelligendus eſt ipſe lib. 4. aph. text. 10. In Acutis eâdem die vacuandum humorem noxium præcipiens, hoc eſt, in initio antequàm robur corporis diſſolvatur, vel calor febrilis ingraveſcat, vel ad aliqvod membrum præcipuum decumbant per corpus vagantes humores* Poſt quartum diem in acutis dictis Phlebotomia plerunque minus commodè & tuto adminiſtratur, cum vires Morbo augmentum jam ſumente magis deficiant. *Unde Celſus lib. 2. cap. 10. elegantiſſimè dicit; Sanguinem mittere poſt qvartum diem nunqvam utile eſt, cùm jam ſpatio ipſo materia & exhauſta eſt, & corpus corrumpit, ut detractio imbecillum id facere poſſit. Quo pacto & Medici ante Hipp. ultra qvartum diem venam non ſecabant, ut videmus ex Galen. lib. 3. Epid. ſect. 3. comment. 39.* Verùm quamvis hæc omnia recto ſtent talo, & fateamur *Venæ-ſectionem* ob dictas rationes in principio celebratam præſtantiorem eſſe, cur tamen etiam in Morbi progreſſu non ſit aliquando exercenda, etſi non ita copioſè, ob imminutum virium robur,

robur, non video. Medicum enim non dierum numero, ſed uni virium robori attentum eſſe oportet. *Gal. lib. 9. Meth. cap. 5.* ideòque ſi vires adſint, nec immineat proximè criſis, cur tũc temporis *Venæſectio* ut ſalutaris non ſit judicanda? & maximè in Augmento, in quo licet coctionis ſigna evidentia appareant *ex Galen. lib. 1. Criſ. cap. 17. tamen in eo ſanguinem mittit lib. de Opt. ſect. c. 37.* Quamvis enim coctio intendatur hoc tempore à Naturâ, & illa judicii celeritatem portendat, *Hipp. lib. 1. Epidem. ſect. 2. text. 45.* tamen ſanguinis evacuationem tum adminiſtrare præſtat, ut brevior fiat Morbus, neve in deterius remigret malũ. *Valleſ. lib. 4. Meth. cap. 2.* Prætereà conſtat, in ſeptimo, qui plurium non exactè acutorum Morborum eſt terminus, *Gal. lib. 2. criſ. cap. 12.* & ante ipſum coctiones fieri, quo tempore facta V. S. tempeſtiva eſt, quæ ſi ſit cum virium tolerantiâ celebrata maximam utilitatem afferre ſolet: dum Natura deonerata materiam morbificam melius coquere & expellere poteſt. Et ſi hæmorrhagia narium in ſtatu cocto morbo ſuperveniens febres ſolvit *Hippoc. & Galen. lib. 4. acut. text. 10.* cur Medicus tunc miſſo ſanguine non ſit Naturæ miniſter? Aliud eſt, quandò Natura in vigore perfectè & abſolutè ad expulſionem movetur, *tunc locum habet Hipp. lib. 1. aph. 20.* Quod ſi autem illa in vigore infra modum languidius agat, omninò quod deficit, imitando eam Venæſectione ſupplere debemus. Quid? quod juxta rei veritatem & ipſius Galeni decretum coctio humorum neutiquam ſanguinis detractionem prohibeat; cum illa cacochymiæ debeatur proximè, imo tantum abeſt, ut humores turbet, ut eorum ebullitionem potius ſiſtat. *Gregor. Horſt. in Inſtitut. Medic. diſp. 18. de Venæſectione q. 8.*

In *Febribus Intermittentibus* etiã non tam ad paroxyſmorum numerum reſpiciendum, quàm ad virium præſentiam, ſanguinis abundantiam & humorum motum. Sic in Tertianâ intermittente etiam poſt tertium, imò quartum paroxyſmum, & ultrà commodè ac tutò venam ſecare poſſumus. *Ut Avicenna 1. 4. tract. cap. 39. monuit;* Quia in hâc febre interdum cacochymia à principio multa eſt, & ſanguis paucus. Si verò ſanguis à principio copioſus fuerit, & cacochymia exiguæ molis exſtiterit, tunc *venæſectio* in principio utilis erit. *Deindè* reſpiciendum eſt ad locum, ubi continetur cacochymia, quæ ſi repoſita fuerit in maſsâ ſanguineâ, cujus rei indicia ſunt, ſigna Plethoræ, urina rubra, craſſa, & eò magis ſi turbida fuerit, initiò ſanguinem emittere præſtat. Si verò purus ſanguis & laudabilis in venis conſiſtit, extra

verò venas cacochymia, tunc inutilis eſt ab initio Venæ-ſectio. Vid. *Zacut. Luſitan. in Prax. hiſtor. Lib. 4. cap. 15.*

In *Continuis legitimum tempus eſt remiſſio*; *in intermittentibus ἀπυρεξία*, quia hoc tempore Natura vim ac impetum materiæ morbificæ non perſentiſcit. Inſtante tamen in intermittentibus paroxyſmo venâ ſectâ acceſſio febrilis ſæpè ſublata fuit, cujus rei exemplum habet *Adr. Spigelius lib. 1. de Semitert. cap. 15. Et Paulus Pereda in ſchol. ad Praxin Paſchalii lib. 2. cap. 2. hanc rationem reddit, quia in paroxyſmo ſeu tempore acceſſionis materia febrilis à Naturâ expellitur in maſſam ſanguineam, ideoq; V. S. facilè tunc exhauriri poteſt.* Verùm ſummâ hîc opus eſt prudentiâ, ne nobis idem imitaturis eveniat, quod Medico ægrum jugulanti per V. S. in acceſſione factam. *Zacut. Luſit. in Prax. Medic. admir. lib. 3. obſerv. 56.* In Morbi vehementiâ cum ſimul & ſemel ob virium jacturam *Venæſectio* non eſt celebranda, eam partitis vicibus faciamus ex modicis intervallis in Morbis univerſalibus; In particularibus verò affectibus longiori intervallo partitiones ſunt ſejungendæ; exceptis partium peſtilentibus inflammationibus. Si igitur evacuationis gratiâ inſtituatur *Venæſectio*, eâdem die fiat, præcipuè in acutis, ubi ſubitò corpus in alium ſtatum transferendum eſt, ac ſæpè evenit, ut Morbus mox principium percurrat, ut poſtmodum *Venæſectio ambigua* fiat. Si *Revulſionis* causâ, diverſis diebus repetenda eſt, ut in principio inflammationum, hæmorrhagiis &c. ubi reſpicimus ad motum, qui rectius fit, ſi diverſis vicibus, & intervallo interjecto Natura contrario motui quaſi adſveſcat, & intervallo temporis incumbens partibus humor regurgitet in venas, & iteratâ *Venæ-ſectione* utiliter extrahatur.

In *Febribus acutis* urgente *Venæſectionis* adminiſtratione quæcunq; diei vel noctis hora, quâ vocatus fueris, admittit; Aliàs extra caſum neceſſitatis hora ad *venæſectionem* eſt accommodatiſſima, in quâ æger à febre eſt immunis, vel in quâ febris minus affligit. Quod ſi manè Febris mitior, ea hora eligenda. Si autem manè ſcilicet & veſperì Febris intermittat, vel in Febri ſynochâ, ubi nulla eſt remiſſio, hora matutina eligenda, quia tunc omnia corpora vegetiora ſunt. Neque ſemper Laxativa aut Clyſteres, qui alvi ſordes eluant, præmittendi ſunt, præſentibus præſertim Morbis acutis; nam nonnulli ita ſunt comparati, ut niſi iis Venæſectione ſubitò occurratur ægrum in præſentaneum conjiciant periculum; quod ſi in iis crudorum ſuccorum in inteſtinis exiſtentium copiam priùs velles

les tollere, non tantùm opportunũ Medendi tempus prætermittes, verum etiam, Morbus ut capiat incrementum, efficies; *Vid. Conring. in diſcurſ. de V. S. ſect. 3. theſ. 12. Greg. Horſtius in Inſtitut. de V. S. diſp. 18. qvæſt. 10. & 11.*

Satis hactenus, ut arbitramur, oſtenſum fuit, quod Vena ſit ſecanda, ex quâ causâ, in qvibus ſubjectis, & qvo tempore inſtituenda; Reſtat jam, ut breviter exponamus, quibus ex locis ſanguis educendus, & quo modo illud fieri debeat.

LOCUS triplex eſt; vel enim ex venâ, vel arteriâ, vel carne ſanguinem exhaurimus.

LOCUS ad Plethoram tollendã ex veterum ſententiâ eſt accommodatisſimus *Baſilica brachii dextri*, ſi Hepar affectum; *Siniſtri*, ſi Lien laboret; In cujus affectibus etiam *Salvatellæ* apertionem commendant: cujus rationem *Adr. Spigelius libr. 5. de humani corpor. fabric. c. 7. hanc reddit, qvod Lienis fervor ſic ventilari, & per ſucceſſionem arteriarum ſanguis effervescens ſecurè evacuari nonnihil posſit; Adeòq; hoc fieri per conſenſum κτ̀ κοινωνίαν ſanguinis arterioſi, qvi propter anaſtomoſes arteriarum huic venæ ſectæ proximas unà effunditur. Et cum in Liene ſextuplo plures ſint arteriæ, quàm venæ, plurimùm profectò adjumenti accedere ipſius affectibus neceſſe eſt, qvod ex iis vaſis, in qvibus peccavit, ſanguis evacuetur. Nec mireris hunc conſenſum, inquit Zacut. Luſit. lib. 1. de M. Ph. h. 54 q. 27. Nam hi multi in noſtri corporis partibus reperiuntur, qvorum etiam cauſa non ſatis patet; qvalis eſt labii inferioris ad diaphragma; nam illo attacto, aut titillatis blandè plantis pedum, ridemus, quod ad tenuitatem cutis referri non poteſt, quia cutis plantarum pedum non eſt tenuis. Sic cauterium in Aurium extremitatibus, vel retrò ipſas factum Iſchiadicis plurimum prodeſſe ſolet, cùm ab unâ parte ad aliam magnus non videatur adeſſe conſenſus; qui deprehenditur etiam in viſceribus, cum illa malè habent, ſtatim manus afficiuntur, dextra qvidem, malè habente jecore, ſiniſtra, malè affecto liene.*

Verùm circa Venarum electionem ſtante circulari ſanguinis motu non amplius tam ſuperſtitioſi ſumꝰ; nulla enim hîc ordinis prærogativa ſpecialis, communi omnes venæ fruuntur fato. *D Rolfinck in Meth. cognoſc. & curand. febr. general. cap. 81.* Sed potius acquieſcimus in *Caſparis Hoffmanni eruditâ deciſione in Inſtitut. Medic. lib. 2. cap. 106. §. 6. dicentis, conſtituto primùm ex habitis ſcopis eo, venam eſſe ſecandam: conſtituto dein illo etiam ex ſuperioribus ac inferioribus artubus, brachio, an pede ſanguis ſit eliciendus? conſtituto deniq; tertio ex majoribus, an minoribus vaſis v. g. in flexurâ*

brachii, vel poplite, an verò in manu, aut ſummo pede ſanguis ſit emittendus? non refert, quæ ſecetur: perinde enim eſt, ſi v. g. in brachio ſecetur, ſive baſilica, ſive mediana, ſive Cephalica vena, utpote ab uno ramo ſubclavio propullulantes, atq; unam eandemq; matrem, nempè truncum venæ cavæ agnoſcentes; imò ſecuri in cæteris illam aperire jubebimus venam, quæ & prominentior eſt, & minus periculi habet propter vicinos nervos, aut ſubjacentes tendines.

Notandum eſt, accidere interdū, ut inſignis dolor capitis à calidisſimo ſanguine retento copioſo, acriori reddito, erodente ac perforante membranas cerebri oriatur, capite proprio hoc & primario affectu laborante, tunc Cephalæa in fronte ſecanda, cucurbitulis cum ſcarificatione occipiti adhibitis. *Qualem obſ. habet Zacut Luſit. Prax. Medic. admir. lib. 1. obſ. 11.*

MODUS ad rectam *Venæſectionis* adminiſtrationem etiam pertinet. Ante *Venaſectionem* vitanda nimia corporis exercitia, immoderatus Veneris uſus, & aliæ evacuationes immodicæ. Si Ventriculus nimiâ ciborum ingluvie aut crapulâ obrutus, aut alvina regio excrementis onuſta, & Morbi Natura ferat, prius coctio expectanda, & alvus clyſtere vel alio laxativo die antecedente à ſordibus liberanda; Contrà autem, ſi Morbi ſævities, uti ſuprà audivimus, non patiatur moram, ſtatim ad *Venaſectionem* properandum, quolibet tempore fuerit.

In ipsâ *Venaſectionis* adminiſtratione omnes abſint animi affectus, ne ſanguinis motus turbetur & obſervanda deligatio. Faſcia ſupra cubitum injicienda, ſi Mediana aperienda, & arcta quidem, quo & ſubjecta arteria tangatur, ſed tamen nō planè comprimatur. Venâ punctâ tollenda faſcia. Et ſi virium immineat languor, reficiendæ iſtæ ſunt internis & externis, vel ſupinus inclinandus. Sanguis tribus eſt excipiendus vaſculis, ut varius obſervari posſit ejus color.

Si craſſior peccet ſanguis, ut in quartanâ ex artuum venis educendus prævio fomento cum aquâ calidâ. Si ſanguis ex magnis educitur venis, foramen amplum faciendum; Si Melancholicus, mediocre; ſi pituitoſus, minus ſufficit foramen; ſi biliosus fuerit, & qui facilè fluit, tenuis.

Si partitis vicibus educendus ſanguis, digito ſolùm foramen eſt claudendum, eoque remoto rurſus aperiendum.

Educto ſanguine claudatur vulnus extenſo brachio, & ſanguine abſterſo linteum vino madidum imponendum, faſciâque lineâ ſtringendum, brachiumque in mediâ figurâ detinendum.

Finitâ *Venaſectione* Patiens aërem

rem hauriat temperatum, binis horis elapſis aſſumat cibum & potum, ſed modicè, ne coctio lædatur, & anſa novæ vitioſorum humorum ſaburræ adminiſtretur; Animi & corporis motus ſint moderati, & demum ſi arridet, ante vel poſt cibum, ſomnus iniri poteſt, modo adſtantes ſedulam adhibeant operam, ne faſcia aperiatur. *Alias notum eſt, poſt Venæſectionem vulgus ſomnum totâ die planè prohibere, ut piaculum ipſi habeatur poſt V. S. dormire.* Verum hic metus de nihilo eſt, licet enim per ſomnum foramen nondum coalitum iterum aperiri poſſit, tamen diligenti adſtantium curâ, & probè factâ deligatione id præcaveri poteſt. Neque etiam à ſomno abſtinendum, ne calor exiguus interiora petens ſuffocetur; hoc enim non eſt verum, niſi forſan immodica fuerit ſanguinis evacuatio, aut timiditas acceſſerit, quæ animi deliquium inferre poſſit. Et ſolet omninò in ſomno ſanguis redire in præcordia, non tamen ſine maximâ Naturæ recreatione, dum calor unitus humores morbificos melius cōcoquit, ut ſæpè remediis uti cogamur ad illum provocandum. Notum quidem eſt in viſcerum internorum inflammationibus, in Morbis peſtilentibus, & paroxyſmorum initiis ſomnū non adeò utilem eſſe: & in ejusmodi affectibus à V. S. non ſtatim eſſe dormiendum. Præterea contingit interdum in febribus quibusdam ſomnum adeſſe præternaturalem, qui vix excitari poteſt, & tamen ſæpè in ejusmodi febribus ſanguinem mittere utiliſſimum eſt. Sin igitur actu dormienti ſalutariter ſanguis mitti poteſt, quid nocebit ſomnus ſtatim poſt ſanguinis miſſionem ſuccedens? Somno poſt ſectam venam in continenti febre non interdixit Galenus lib. 9. Meth. Med. cap. 4.

CAPUT XIV.

De Arteriotomiâ.

Non novum eſt *Arterias* ſecare, ſed & *Galeni* tempore jamdum in uſu fuit, qui commendat earum inciſionem in Capitis calidis affectibus, quorum materia morbifica humoroſa, aut vaporoſa ab inferioribus per arterias, in quibus ſanguis magis ebullit & fervet, adſcendit; ut in *vertiginoſis & Cephalicis, in ophthalmiâ* & aliis oculorum fluxionibus; Sed accuratè videndum, quænam arteriæ talem materiam contineant. In internis enim carotidibus ſi exiſtat, & per eas caput petat, fruſtrà externæ ſecantur. *Hinc conſtat, inqvit Gal. 3. de loc. affect. cap. 8. non omnes hujus beneficii ope curatos; Etenim aliæ arteriæ iis majores ad cerebrum ex ipſius baſi per retiformem plexum adſcendunt, per quas hujusmodi affectionem fieri, rationi conſentaneum eſt, elato per ipſas*

ipſas vaporoſo, calido, cerebrumque implente Spiritu.

In *Diuturnis Capitis doloribus* calidis & ſpirituoſis, in faciei rubore & aliis capitis affectibus inveteratis, in *vertigine* &c. pone aures ſecantur, *Paul lib. 3. cap. 1. & lib. 6. cap. 4. Avic. 4. 1. cap. 10.* In calidis & acribus oculorum fluxionibus aperiuntur in temporibus. *Proſper Alpinus de Medicin. Meth. lib. 9. c. 7. ab Ægyptiis in doloribus capitis vetuſtis arteriam etiam frontis aperiri ſolitam tradit. Thadæus Dunus refert in Miſcell. cap. 12. Chirurgum qvendam ſibi ipſi ſuſtuliſſe omnem hemicraniæ recidivam arteriæ transversâ ſectione audaciſſimâ poſt aures. Marcus Aurelius Severinus ProfeſſorNeapolitanus in tr. de Efficac. Medic. p. 41. obſervationem affert de Jeſuitâ arteriæ ſectione à decennali hemicraniâ liberato, & p. 46. de Muliere, quæ per biennium Cephalalgica hujus unius beneficio in integrum fuit reſtituta.* Ego ductu *CL. Rolfinckii in diſp. Pathologic. de Dolor. Cap.* in tribus Cephalalgicis arteriæ temporalis ſectionem feliciſſimo cum ſucceſſu per noſtrum Chirurgum inſtitutam etiam tentavi. Aderant dolores fixi temporum, cum pulſu arteriarum notabili juncti à ſalibus æſtuantibus ſylveſtribus; fluxit ſanguis arterioſus ad uncias duas.

CL. Heurnius libr. de Morb. Pector. c. 22. Si licuiſſet, inqvit, inPleuritide, in quâ calor, tenſio ac tumor arteriarum pulſatilium tangenti ſe offert, in ſanguineâ ac floridâ corporis benè q; temperatâ conſtitutione, ſe plus levaminis in ægrotum ex arteriotomiâ, quàm Phlebotomiâ derivare voluiſſe. Arteriæ in temporibus inciſæ maximè etiam proficuæ erunt, quando fluxiones oriuntur à temporibus ad dentes, & à dentibus viciſſim ad tempora. Verùm non eſt, quod nimis ſimus curioſi in arteriis eligendis, cùm pro diverſo ſanguinis vitioſi poſitu indicari poſſint.

Tantum ex Arteriâ emittimus, quantum ſanguinis effluit, niſi nimium illud ſit, id quod ex actionibus ægri facilè eſt colligere.

Arteriotomia nunquam in uſum trahenda, niſi reliqua jam probata nihil profecerint.

Circa electionem *Arteriæ; primò* digitis inveſtigemus pulſum, & ubi is maximè debilis eſt, ibi ſectionem adminiſtremus. *Deinde* deraſis prius, ſi opus eſt, capillis Arteria phlebotomo aperiatur; non enim opus eſt, ut arteriam acu comprehendamus; ſupponamus flocculos, & transverſam inſtituamus ſectionem, ſuperpoſito ſectione factâ & ſufficiente ſanguinis quantitate emiſſâ emplaſtro ex aloë, olibano, ſarcocollâ, bol. Armen. & pilis leporinis cum ovi albumine exceptis vulnus citò coaleſcit. Vid. Phylacter. phlebotom.

botom. & arteriotom. *Johann. M. CASTELLANI. Phil. & Med. D.*

Hic tamen benè notandum eſt, *Arteriotomiam* non niſi in difficiliſſimis & inveteratis Morbis, qui aliis non cedunt auxiliis, eſſe exercendam, & non niſi urgente neceſſitate, & univerſalibus præmiſſis præſidiis ad earum ſectionem eſſe accedendum: Et hanc etiam in debilib9 celebrandam non eſſe, quos præſtat aliis auxiliis curare, quàm partibus ſanguine & ſpiritu privatis in certum periculum deducere. *Zacut. Luſit. de M. P. h. 43. lib. 2. dub. 30.* Quæ autem cauſa ſit, quod Arteriotomia inveteratos aliosque p. m. Affectus citius *Venæſectione* tollat, *author. Gal. de Anatom. viv. c. 28. has reddit; primò, qvia Arteriæ omnem omninò diſtribuendo expellunt ſanguinem, Venæ non item. Deinde quia Arteriæ velocius evomunt, quod habent. Tertiò, his velociter evacuatis vacuatio citior venarum ſeqvitur. Qvartò, apertæ nõ à ſanguine proſiliẽte ut venæ mox occluduntur. Qvintò, à flatulento & calido ſanguine arterioſo plurimi producuntur & foventur Morbi. Sextò, Natura omnem ſarcinam per arterias expellit & ejicit. Septimò, manifeſtius refrigerant evacuatæ. Octavò, promptius calor ad partes emaciatas & refrigeratas moderatus adduci & derivari poteſt. De Arteriotomiæ utilitate vid. Altimar. lib. de human. corpor. mal. medend. cap. 17. Menam. in comm. Gal. lib. de ſang. miſſ. Chriſtophor. à Vegâ lib. 2. art. Medic. ſect. 5. cap. 2. Mercat. lib. 1. Indicat. c. 4. Montaltus tr. 15. de Cerebri affectib. cap. 10. Heurnius lib. 3. Meth. ad praxin cap. 9.*

CAPUT XV.

De Hirudinibus.

Vidimus hactenus, quomodò ſanguis nimiâ qvantitate peccans tum Phlebotomiâ, tum Arteriotomiâ corrigi poſſit: Reliquum jam eſt, ut de cæteris, quibus idem fieri poteſt, tractemus modis. HIRUDINUM ſcil. ſuctione, Venarum hæmorrhoidalium fluxu, uterinâ evacuatione, & cucurbitularum uſu cum & absq; ſcarificatione. De ſingulis acturi ſumus in ſpecie; & primò DE HIRUDINIBUS.

HIRUDINES Græcis βδέλλαι *dictæ* ἀπὸ τοῦ βδάλλειν *ſugendo; Sanguiſugæ aliàs nominantur.*

Angli mirificè eas extollunt; contrà verò *Belgæ* non magni æſtimant. *Unde, ut verum fateamur, inqvit CL. WALLÆUS, earum uſus neceſſarius non eſt, ſi enim ſanguinem totaliter evacuare lubido eſt, commodò illud Venæſectione peragitur, ſi particulariter, ſcarificatio ſufficiens eſt. Afferunt inſuper Belgæ tria incommoda, quæ ex earum uſu provenire poſſunt. Primum eſt, quod ulcuſcula relinquant ſæpè maligna, id qvod præprimis diebus canicularibus, dum Sirius*

Sirius ardet, facere ſoleant. Secundum, quod pro venâ ſæpè nervum adjacentem aculeo ſuo pungant. Tertium, quod non ſufficientem copiam exſugant.

Verùm allatæ rationes tanti non ſunt momenti, ut nos à verò ac ſaluberrimo illarum uſu revocent, qvi antiqvorum & noſtro ævo ſatis cõfirmatus eſt, ſed potius in univerſum cum aliis expertis ſtatuimus Medicis, fœcundam Manum Domini, qvæ nec effœta eſt, nec abbreviata, per illarum modernum uſum partẽ priſtini vigoris Arti Noſtræ Medicæ ex perenni liberalitate reddidiſſe. Præterqvam enim, qvod cucurbitularum operationem multis antecedant paraſangis, dum paulatim & ſenſim evacuando minorem moleſtiam creant, plus inſuper afferunt emolumenti, cum Hirudines naturâ ſangvinis ſint appetentes, cucurbitulæ verò ſæpè loco ſanguinis aquoſos tantum & ſeroſos tenues humores evacuent. Quo fine tum Plethoram tollere, tum variarum partium, quibus applicantur, morbis mederi poſſunt. *Galenus* quidem putat, eas ſolum ægritudines ſubcutaneas tollere *Libr. de Hirudinib. Revulſ. Cucurb. &c. cap. 1.* Verùm adminiſtrari non ſolum poſſunt in cutaneis morbis pro particulari auxilio, ſed & pro univerſali & præſentaneo ſanguinis emunctorio. *Unde & Valeſcus de Taranta, lib. 1. cap. 19. ſcribit, Medicum quendam, cum in Apoplectico obeſo nullas venas obſervare potuiſſet, cuti per totum ferè corpus Hirudines applicuiſſe, ſicq; ægrotum priſtinæ ſanitati reſtituiſſe. Idem confirmant à Conrado Geſnero adducta hiſtoria lib. 4. de Hirudinib. in hiſtor. animal.* Quapropter in earum applicatione circumſpecto opus eſt judicio, & videamus, an propter morbum Membri alicujus privatum, an totius corporis evacuandi gratiâ, *monente D. Sennerto lib. 5. Inſtitut. p. 2. ſ. 1. c. 16. eas admoveamus.* Sin igitur ob diminuendam Plenitudinem iis utamur, ut & interiorem, non ſolum cutaneum evacuent ſanguinem, electæ, rectè præparatæ, exhauſtæ & inanitatæ grandiori venæ, partique molli applicandæ ſunt, qualis communis, *ut inquit Fernel. 2. Meth. 19. vel baſilica ſub flexura cubiti, quæ cum cavâ venâ maximam communionem habet;*

Hirudinibus uſa fuit antiquitas, ſi Veterum monumenta conſulamus, tanquam vero Topico remedio, unde poſt adhibita univerſalia ad has tanquam ſacram anchoram confugiebant. Sic in omni arthritide has ſuper locum affectum imponebant, *teſte Cœliô Aurel. lib. 5. tard. Paſſ. cap. 15. Oribaſ. 7. collect. c. 21. Pluribus noſtri corporis partibus eas applicat. Paulus lib. 3. cap. 77. Coxæ apponit, qvando malum cucurbitulis levari*

levari non poteſt. Sic & eas ſummo cũ emolumento ad ipsã lienis regionẽ imponit Aëtius tetr.3. ſerm. 2.c.11. Sic in abſceſſibus, cutis fœditatibus, malignis tumoribus, vulneribꝰ, morſibꝰ virulentis impoſitæ ſunt efficaciſſimæ, ut docet Iſaac.l.4. Pract.c.37. hæ enim triſido inflicto vulnere altius penetrant, venenum exſugunt, & à parte jam læsâ ſangvinem manifeſtius exhauriũt. Fernel. lib. 2. de V.S. cap. 19.

Qvantitas Sangvinis, quem exſugunt, *triplex eſt. Primò minima*, ſi tantum bibant, quantum poſſunt, & donec ipſæ decidant. *Secundò Medica*, ſi quatuor uncias ſanguinis exhauriunt. *Tertiò ſumma*, ſi decem uncias.

Cùm autem, ut ſuprà Belgæ etiã innuerunt, *Hirudines* quâdam malignitatis ſuſpicione non careant, neceſſe eſt, antequam iisdem utamur, quandam electionem & præparationem illarum inſtituamus.

Et *primò* quidem caveamus ab his, quæ magnis capitibus virides nigræ ſplendent, & nitedularum more micant, cœruleum ac lanuginoſum dorſum habent, quæ in fracedine infectis ac cœno obſitis locis degunt; hæ enim morſu violento peſſima ulcera, animi deliquium, hæmorrhagiã lethalem & alia ſymptomata producunt. Hæ verò optimæ ſunt notæ, quæ teretes & tenues, parva capita habent, cum ventre rubeo, & caudam parvam tenuem, in aquis puris ac limpidis degentes.

Deindè recens captæ non ſtatim imponendæ ſunt, ſed ante uſum ad dies aliquot ſervandæ in aquâ purâ, ſic enim mucilaginem ſuam, & ſi quã habuerint, malignitatem deponere poſſunt; adde, quod ob defectum terreſtris & limoſi nutrimenti extenuatæ poſtmodum eò avidiores ſint ad ſuctum. *Tertiò*, aſſveſiant ſuctioni, & aſſvefactæ ita applicentur venæ. *Qvartò*, ſi multum ſugere debent, compreſsâ caudâ ſuctum elicimus cruorem, ſic enim depoſitâ ſanguinis attracti copiâ ex venis noſtris eò copioſius ſugere poſſunt. Non tamẽ prius hoc tentandũ, quàm eas ſugere cœpiſſe certi ſimus, aliàs enim ſtatim deciderent. *Qvintò*, ſi nimium ſugunt, conſpergendæ ſunt Sale, quo deguſtato ſponte ab opere ceſſant. Non ſunt vi abripiendæ, ne affixa relinquant capita. Ulcuſcula ab illis inflicta abluimus cum vino addito pauxillo Theriacæ.

CAPUT XVI.

De Hæmorrhoidibus.

MEdici ſemper contentionis ſerram inter ſe traxerunt, & adhuc trahunt; *An ſcilicet HÆMORRHOIDES ſint aperiendæ? CL. Wallæus putat ad univerſalem evacuationẽ præſtare Phlebotomiam, & pro particulari concedi poſſe earum apertionem, non tamen ſemper, non usq; adeo neceſſariò*

ceſſariò, nec tutò. Ubi obſervandum, pergit, qvod uterus cum venis hiſce majorem habeat conſenſum, qvàm cũ Liene, qvia ex retentis Menſtruis & Lochiis totaliter non expurgatis hæc vaſa valdè intumeſcunt. In uteri affectibus eas non neceſſariò aperiendas eſſe apparet, qvia ſangvis in hâc parte redundans per propria vaſa expurgari poteſt, & multò tutius.

Verùm accidit ſæpè, ut hæc vaſa ſint obſtructa, & uterus ſit gravidus, tunc certè ad venarum hæmorrhoidalium apertionem neceſſe eſt, ut transeamus; *Zacut. Luſitan. lib. 1. Prax. Med. admir. obſ. 28. Deindè inqvit: licet facilè venæ iſtæ aperiantur, difficulter tamen rurſus claudi poſſunt: Et ſi Lochia non ſuccedunt, poſſunt illa propriis uterinis Purgantibus excerni.*

Qvod in Lienis Affectibus eas ſemper aperire conceſſum non ſit, ita patebit; In lienis affectibus, vel ex ipſo viſcere, vel ex vicinis vaſis humores ducimus. Si ex ipſo lienis parenchymate; tunc fruſtra eſt vaſorum horum apertio; valvulas enim habent, qvæ impediunt effluxum ſanguinis lienoſi, qvicqvid ſanguinis hîc educitur, illud omne provenit ex Arteriâ Cœliacâ, nihil ex ſplene.

Si ex vicinio evacuare animus eſt, etiam non ſemper venarum harum apertio prodeſt. Triplices enim dantur Melancholici: Priores in toto corpore triſti, & craſſo illo ſucco abundant. Poſteriores appetitu deſtituuntur. Ultimi appetitum habent. Illis duobus, qvia totus ramus ſplenicus & arteriæ cœliacæ obſtructus eſt, nihil emolumẽti exinde paratur. Poſtremis verò non rarò multum levaminis. Nam dum hæc vaſa aperiuntur, poteſt arteria cœliaca abundantem ſuum ſanguinem per illa expurgare, & lien de ſuo pondere multum in hanc expurgatam deponere. Ita infert modò laudatus WALLÆUS hisce ultimis Melancholicis poſſe qvidem aperiri, verùm absqve omni neceſſitate. Unicus enim vomitus plus facit, qvàm vel decies repetitæ hæ apertiones. Verùm cùm Natura ſponte ſuâ ſæpè hæmorrhoidales venas ſummo cum ſanitatis emolumento reſeret, cur non & imitatrix Ars idem tentare debet? Natura enim hiſce apertis fæcem ſanguinis deponere ſolet, quaſi aliquâ purgatione factâ, quæ per intervalla rediens non ſolum à Morbis Melancholicis, ſed & ab aliis periculoſiſſimis præſervat, *Lienem induratum ſanat, 6. Epid. ſect. 6. t. 8. Atram bilem ſolvit 6. aph. 11. & 21. 28. & omnis humorum abundantia illius vi repurgatur;* quæ cauſa etiam, quod Melancholiâ & Nephritide laborantibus hæmorrhoides ſupervenientes utiles ſint, *ex Hippocr. præſcripto; Nam pellente Natura partes ignobiliores, eos, qvi inſaniam efficiunt, humores, & præſertim cum Melancholici fuerint ac craſſi, hæmorrhoidum ſeqvi-*

tur

tur generatio, & inſaniæ ſolutio, cujus eſt maximum remedium ſanguinis ex his venis effuſio, qvam etiam, ſi futura ſit, prohibet. Gal. lib. 4. aph. comm. 25. Et proprio exemplo probat lib. 6. Epid. ſect. 5. comm. 29. illorum, qvi clauſis hæmorrhoidibꝰ in inſaniam ſæpè inciderunt, qvos reſeratis his ab eâ evaſiſſe refert. Moxius l. 1. de Morb. Mulier cap. 45. Antonius Zimara in comm. cap. 10. libr. de Somn. Ariſt. Veſal. lib. 5. Fabric. hum. corp. cap. 15. Pectoris etiam Morbos fluxus hæmorrhoidalis tum in actu Curationis, tum Præſervationis ſublevat. Amatus Luſitanus Centur. 5. Curat. 3. refert, qvibusdam, qvi his evacuationibus adſveti fuerant, ſanguinem ſine tusſi per os ſubſiliisſe: rediiſſe autem ad locum, cùm Hæmorrhoides eſſent apertæ. Et cum hæc ita ſint, nos cum aliis Doctisſimis ſtatuimus *Hæmorrhoidalem Fluxum* ad univerſalem etiam evacuationem præſtare. Nam *Hæmorrhoides* aliæ ſunt *externæ*, aliæ *internæ*; quæ cum utræque cum jecore cohæreant, univerſum corpus evacuare poſſunt: ita tamen, ut externæ, quæ à cavâ oriuntur, Plethoræ minuendæ inſerviant, & depleant venam cavam, hepar per accidens, Arteriam verò magnam, Cor primariò, imò earum evacuatio Morbos ſanguineos curet. Internæ autem, uti ſuprà dictum, in affectibus Melancholicis, iis inprimis, qui ex hypochondriis oriuntur, Affectibus lienis, Menſenterii aperiri posſunt; Et deplent venam portæ ſucceſſivè, primariò verò Arterias ſplenicas.

An autem per venas haſce humores in hæmorrhoidali fluxu evacuari posſint? qværitur; cum venæ ſtante circulationis ſangvinis doctrinâ, ſangvinem in partibus à nutritione reſiduum revehant, non verò excernant, qvæ cauſa eſt, qvod CL. Harveius etiam venarum hæmorrhoidalium ipſis adſignatum officium derivet in arterias vicinas.

Verùm *ad hoc Excell. Rolfinckius Lib. 6. cap. 27. Diſſertat. anatomic. meth. ſynthetic. reſpondet*, non eſſe neceſſe, ut quemadmodum omnis humorum excrementitiorum affluxus per arterias celebratur, ita etiã effluxus contingat. *Veriſimile eſt ait CL. Conringius libr. de ſang. generat. & mot. cap. 38. Eos, qvi ſecundùm Naturam ſunt effluxus apertis venarum orificiis fieri; eò qvod ſolæ venæ videantur ad extrema partium hiare, arteriarum finibus per venas conjunctis. Confirmat ſententiam à modo effluendi, non enim effluxio fit per ſaltum, qvemadmodum effluit ſangvis ex arteriâ vulneratâ. Stabilit Highmorus dictam ſententiam, & ſtatuit, fieri poſſe has evacuationes per venas in magnis Naturæ luctibꝰ, mutato aut permutato ſangvinis curſu. Lib. 1 part. 2. cap. 6. Et qvidem à locis vicinis hepate, liene, Pancreate in Naturæ*

 luctibus

luctibus medicamento irritante, & humore à ſangvine ſeparato, & unito, dum ad excretionem omnes intendit nervos, viamq́; breviſſimam adoritur: & qvamvis contra motum ſangvinis fiat Naturalem, tamen non ideò ſtatim via hæc excretionis eſt explodenda. Motus enim ille Naturæ in humorum expulſione eſt præter Naturam & violentus, viamq́; non ſemper illi conſuetam qværit, ſæpiusq́; & aliæ actiones Naturales Naturæ cedunt, ut in Vomitu &c.

Quod autem *CL. WALLÆI* rationes ſuprà allatas concernit, ſciendum eſt ad *primam*, quòd qualis conſenſus uteri, talis & ſit lienis cum venis hiſce, quia συμφύσει venarum & arteriarum κατὰ κοινωνίαν & communicationem materiæ vaporoſæ & humoroſæ invicem junguntur. *Nec deinde* valvulæ impediunt effluxum ſanguinis lienoſi; ſangvis enim iſte, qui fluxu hæmorrhoidali evacuatur per venas ex arteriis Meſentericis, quibus adſociantur, provenit, adeòque inde ſucceſſivè & ſecundariò non ſolum lien & vicina vaſa, verùm etiam totum corpus evacuari poteſt. Ut enim interna hæmorrhoidalis ſpeciali ſanguinis fæculenti evacuationi inſervit, ita totius corporis deplendi gratiâ externam hæmorrhoidalem à cavâ, quæ totum hominem tranſit, venâ deductam eſſe, Authorum quorundam ſententia eſt.

Tertiò ad Melancholicos, quorum *CL. VIR.* triplicem facit rationem ſubjecti generationis & ſymptomatum reſpectu differentiam, dicimus non neceſſariam eſſe hoc in loco hanc diſtinctionem. Cùm enim omnis Melancholiæ præſertim, quæ per conſenſum hypochondriorum fit, licet etiam temporis diuturnitate per Eſſentiam fieri poſſit, ſubjectum generationis ſint Meſentericæ & Cœliacæ arteriæ, ut & venæ ejusdem nominis in vicinio lienis ſitæ, id quod continua & vehemens illarum pulſatio & inſignis calor facilè perſuadere poteſt. Quæ etiam cauſa eſt, quod *CL. Spigelius*, dum viveret, ſolebat ægros hoc morbo affectos ſolis Clyſteribus humectantibus & moderatè frigefacientibus curare. Subjectum inhæſionis eſt totum corpus, dum craſſus & à fecibus ſuis in liene non ſatis depuratus ſanguis per arterias defertur & abripitur in totum corporis habitum & cerebrũ, ibi non ritè in venoſos ductus transſumptus, ſed circa anaſtomoſes ſtagnans Spiritus inquinat, eorum puritatem comtaminando, & naturalem temperiem alterando, Melancholiam excitat. In quâ *hæmorrhoides* ſumo ſanitatis cum emolumento aperiuntur. *Galenus 4. aph. 25. & 6. aph. 12. 20. 21. 25.* Et negamus vomitũ plus facere, quàm vel decies repetitas has apertiones; Licet etiam vomitus præſertim fortior totum

tum venoſum genus æqvè ac purgantia Κάτω repurgare poſſit, adèoque cauſam occaſionalem Morbi quandoque tollere queat, ſi ſcilicet materia morbifica jamdum à ſanguine ſeparata ſit, Eâ tamen nondú ſeparatâ plus noxæ, quàm commodi inferet, & tunc venarum *Hæmorrhoidalium* apertio ſummè juvabit, non ſolùm inſuper à Melancholicis Morbis, ſed & ab omnibus aliis præſervans. *Hipp. 6. Epid. ſect. 3. t. 37.* Notandum igitur, cum corpus Melancholicis iſtiusmodi humoribꝰ eſt onuſtum ſenſim & paulatim progenitis, ut tota maſſa ſanguinea, parteſq; ſuperiores illorum copiâ turgeant, prius purgationem præmitmittere debemus. *Gal. lib. de cur. rat. p. V. S. 19.* Nam, cum iſti humores valdè craſſi ſint, & in motu peccent, commodius primum vacuatione factâ medicamentis attenuantur, fermentantur & ad alvum concitantur, unde convocatis hiſce humoribus ad alvum venæ hæmorrhoidales magis intumeſcent, & tunc demum tempus erit tutiſſimum haſce aperiri, & Natura poſtmodum aſſuefiet, ut ſemper ad haſce partes ignobiles humores hoſce vitioſos deponat. Cave tamen, ne harum venarum apertionem ſcalpello inſtituas, cum exitus minus fauſtus eſſe ſoleat, (*quicquid Franciſcus Friſimelica authore Baptiſtâ Theodoſio Epiſt. 27. aliter* contendat,) ſequuntur enim immedicabiles hæmorrhagiæ & fiſtulæ. *Dionyſius Daca Hiſpanus in ſuo libro 3. de apoſtem. c. 188. refert, D. Dominum Johannem Auſtriacum Caroli V. filium mortuum fuiſſe his phlebotomo apertis hæmorrhagiâ incompeſcibili. Ingenuus qvidam Juvenis, teſte Zacuto Luſitano lib. 3. Prax Medic. admir. Melancholiâ ex ſuppreſſis hæmorrhoidibus laborans, plurima expertus fuerat auxilia, ex qvibus levamen vix ſenſit ullum.* Chirurgi cujusdam conſilio, ut ſanguis craſſꝰ promptius purgaretur, has venas aperit lanceolâ. Sed quo eventu, exſpecta. Sectione factâ tantum ſanguinis emanavit effluvium, ut nullis unquam auxiliis, nec cauterio ſiſti poſſet, ſed ſanguine nimiùm fluente, viribusque exhauſtis exanimis æger occubuerit. Tutior apertio *Hirudinibus* quæ fit, ſi igitur ſanguinem craſſum ab Hæmorrhoidalibus demere volueris, ut vena portæ exoneretur, verſus Coccygem & magis introrſum ad inteſtinum Hirudines admovebis. Si Venam cavam duntaxat deplere cogites, à lateribus podicis, & verſus perinæum ac ſuperficietenus ſanguinem educes. *Riolanus in Anthropograph.* Ut autem venæ internæ hæmorrhoidales ad hirudinũ impoſitionem melius emineant, admovenda prius cucurbitula, quæ totum comprehendat anum, & ſic venarum orificia, quæ intus latebant eminebunt, ut hirudinum ope lar-

gior ſequatur ſanguinis effluxus.

Hirudines igitur non venenoſæ, ſed præparatæ linteo albo & mundo, ne iracundiores & patienti faſtidioſæ fiant, comprehenſæ ac tam internis, quàm externis tumentibus *Hæmorrhoidibus* ſanguine prius illitis applicandæ ſunt. Applicatæ verò vel ſpontè decidunt, ſanguine ſcilicet repletæ & turgidæ factæ, vel Sale aſperſæ coactæ. Si ſpontè decidunt, & modicè ſanguis evacuandus eſt, ſanguinis fluxus tamdiu permittendus, usque dum ex ſe ipſo ſiſtatur. Si majore quantitate, aut Hirudinibus ex præmorſâ carne pendentibus cauda præſcinditur aut æger vel ſuprà ſolium ferventis aquæ deſidere debet, cui vaſculum iñatet, quod ſanguinem percolantem recipiat, aquam non attingens, vel permittere, ut aliæ *Hirudines* ſubſtituantur, vel cucurbitula de novo ano affigenda, cujus ope ſanguis in debitâ excerni poſſit copiâ. Quod ſi ſanguinis ſtillicidium per earum ſuctionem ſit excitatum, dimidiâ fabâ vulneri appreſsâ, donec per ſe hæreat, ſiſtitur, vel linteo uſto cum ſplenio impoſito. Adeoque & iſte metus *CL. WALLÆI* fruſtraneus eſt, ſanguinem poſt vaſa hæc aperta determinare in noſtrâ non eſſe poteſtate. Loco hirudinum utiliter etiam aperiuntur harum venarum ora Venæſectionis ſaphenæ ope, mordentibꝰ & acribus medicamentis, ut ſucco cæpæ, mercuriali tritâ, millefolio, felle bubulo, panno aſpero, foliis borraginis aut ficus indicæ aſperis, ſucco Centaurii minoris, felle porci & aliis, præmiſſo tamē aliquo leniente decocto. Fontanella etiam hujus vacuationis defectum mirè ſupplet; huc faciunt etiam Clyſteria acria, ſuppoſitoria ex hiera &c. *Fabric. Hildanus lib. de valetud. tuend. Alphonſus à cruce de Melanchol. obſ. 6.*

TEMPUS eſt, inqvit CL. WALLÆUS, quando reliqua nihil profecére, hinc nunquam in Principio, nunquam in augmento, nunquam in ſtatu conveniunt, ſed tum demũ, quando Natura prorſus ſuccumbit, & res eſt deſperata. In Declinatione non opus eſt; morbus enim jam receptui canit. Verùm illarum apertio quovis tempore, quando Natura non ſuccumbit, convenit inprimis, quando Hæmorrhoidalis fluxus ſtato tempore aliàs excerni ſolitus jam inhibitus, vel novas prorſus affectat vias, vel aliorum Morborum cauſa exiſtit, ut ſuprà audivimus. Sic & notum eſt, ut ſuprà etiam ex *Amato Luſitano Cent. 5. cur. 3.* adduximus, quod *Johannes Baptiſta Propola conſtrictis hæmorrhoidibus, nec ſolito modo fluentibus, (contingere autem ipſi ſolebant ſingulis menſibus, ut mulieribus Menſtrua) ſanguinem absq; tusſi & febri, ſubflavum & rubrum multũ coacervatim per os emiſerit,*

ſerit. Medicus Naturæ æmulus minus errat, ſi eam in priſtina veſtigia artificioſâ venarum hæmorrhoidalium apertione reduxerit.

CAPUT XVII.

De Menſtruorum Provocatione.

NUlla eſt commoditas, quæ non etiam ſuam habeat incommoditatem. Utramque experiuntur Mulierculæ. Si uteri genius jucundè ſe gerat, memor etiam eſt ſui officii, & omnem vitioſorum humorum ſaburram, quæ ſæpè Morborum cauſa eſt occaſionalis, poteſtate peculiari fermentativâ & ſibi inſitâ vi expulſivâ per purgationes menſtruas è corpore ſubducit, ſecus atque in ſexu virili, quò fit, ut felicius ſæpenumerò degant, quàm Viri. Hoc tamen vice versâ etiam incommodi habent, quod ſæpè inſtar inteſtini ſanitatis hoſtis uterum foveant, qui ceu famoſaPoëtarum Pandora è pyxide ab Epimetheo delectâ exitioſam malorum lernam emittit, gravis *Democriti* calculo calamitas & ſexcentarum ærumnarum author. Sepoſitis innumeris aliis ſolam Menſtruam ſanguinis ſuppresſionem, affectum ſequiori huic ſexui communisſimum ſi conſideremus, utramq; implet paginam. Uterus admiranda eſt corporis humani pars cum omnibus aliis partibus habens ſympathiam; cum cerebro conſentit per nervos. *Galen. 6.Epid.ſect.1.comm. 2. Mercatus lib. 1. de Virg.& viduar. Morbis cap. 4.* Cum corde per arterias; cum hepate per communicationem materiæ morbificæ; unde ſanguis iſte menſtruus ſuppreſſus, prout in diverſis partibus decumbit varia intus miſeris mulierculis pathemata concitat, *Cephalalgiam, Melancholicam, Epilepſiam, Apoplexiam, Hæmoptoën, Diſpnœam, Pleuritidem, Peripnevmoniam, Cordis palpitationem, Febrim albam, Suffocationem Uteri, compresſionem Stomachi, Cachexiam, Hydropem, Atrophiam, Articulares dolores, aliaqve Symptomata gravisſima.* Ad hæc, ſi menſes in ipſis vaſis uterinis ſubſiſtant, dolores uterinos, tormina & alios cruciatus intolerabiles inducunt, qui ſæpè in nervorum diſtentiones & motus convulſivos degenerant. *Gal. lib. 6. de loc. cap. 5. & Aëtius tetrab. 4. ſerm. 4 cap. 56.* Quare Medicorum officium eſt, ut ſedato prius partium Archéali furore, vaſa uteri aperiant, id quod nō commodius, niſi per *Venæſectionem* fieri poteſt; In hâc igitur una ſpes medicandi, atque curandi mulieres, & ſanitatis earum tuendæ fiducia conſiſtit. Hæc autem commodior fit, quando ob retentionem ſanguine abundant, & V.S. ſolito fluxus tempore inſtituitur; nam ſi Medicus Naturam mulierum in novilunio excer-

excernere conſuetam in plenilunio ſtimulare vellet, tunc in caſſum laboraret, niſi vehementisſimis uti vellet Medicamentis, in quibus tamen plus noxæ, quàm commodi miſeris illis accerſitur.

CL. HELMONTIUS in tr.Lunar. cum Franciſc.Oswald. GREMBS lib. 2. c. 1. §.12. de Defect. Organ.human. generat. Menſtrui qvinq; gradus facit; Primus eſt, cum cruor à præcedenti Lunæ curſu eſt ſuperfluus. Secundus qvando per ſingularem fermentationem ſeparatur à reliquo.vid. Kerger. de fermentat.p.m. 214. Tertius, dum ad uteri vaſa recedit. Qvartus, dum inibi aliqvantiſper hæſerit, & vicem mortis ſubierit. Qvintus, dum cadaver eſt. Peccari ergò dicit à Scholis, dum virgines ex fluxu menſtruo ſuppreſſo palpitationem ſentientes per Phlebotomiam curare ſatagunt ſine ullâ diſtinctione. Nam qvanquam menſtruum primi gradus per Phlebotomiam curetur, in tertio tamen menſtrui gradu exitiale remedium eſt, eò qvod inanitis brachii aut poplitum venis retrò trahitur menſtruus ſangvis à viciniis uteri in venas: ſiqvidem hæ non manent inanitæ, ſed communione continuitatis replentur iterum: Sicq; poſt ingentes palpitationes, pulſuumq; intermiſſorum pauſas, vel poſt ſubſeqventes laterum dolores acutisſimos ex utero virgines repentè extinctas propter phlebotomiam inſtitutam obſervavit CL. HELMONTIUS. In primò qvidem gradu demitur abundantia cruoris. At minus malum, licet pars effœti cruoris ſuperſtes relinquatur. Malim eqvidem Naturam in ſeqveſtratione & expulſione juvare, quàm indiſtinctum cruorem hauriendo Naturam debilitâſſe. Hæc modo laudatus Author.

Verùm præſupponendum eſt hîc, ut ſuprà etiam monuimus, nos non de Menſtruorum provocatione in genere hîc agere, ſed in ſpecie, quatenus ob plethoram ſanguis menſtruus retinetur, ut non poſſit debitam inire fermentationem & à reliquâ maſsâ ſanguineâ ſeparationem. Per venæ-ſectionem enim deoneratur Natura à copioſiore ſaburrâ, propter quam illa opprimitur, ut reliquum poſteâ facilius attenuare, edomare, vincere, & per uterum expellere poſſit. Hinc & ipſe *Helmontio fatente Grembſio libr. 2. c. 3. de Febr. Variol. & Morbill.* in nullo caſu libentius *Phlebotomiam* admiſit, quã in fœminis plethoricis. Sin igitur obPlethoram ſanguis ſubſiſtat menſtruus, coacervari poteſt, vel in vaſis circa uterum, vel coacervatus regurgitat, & hinc inde vagans partium principalium vel minus principalium fermentis negotium facesſit, vel in parte quâdam decumbit, vel etiam aliis in locis vaſa perrumpit & inconſuetas vias quærit, ut quibusdam per oculos; *Mercatus lib. 1. de Morb. Mulier. cap. 2,* per

lacrymas

lacrymas; *Dodon. c. 5. obſ. Medic.* Per aures; *Braſavol. comm ad aph. 15. lib. 4.* Per eliſi dentis alveolum. *Ruſſeus libr. de homin. Primoroſ. & hyſteric. affect. cap. 28.* Per gingivas *Zacut. Luſitan. l. 1. de Prax. admir. obſ. 91.* Per ſputum & Vomitum. *Langius lib. 1. Epiſtol. Medicinal. 40.* Per nares *Amat. Luſitanus. cap. 2. c. 17.* Per mammas *Salom. Alb. in anatom.* Per minimum manûs digitum & per annularem ſiniſtræ manus; *Ludov. Mercatus lib. 1. c. 7.* Per umbilicum *Zacut. Luſitan. lib. 2. Prax. admir. obſ. 102.* Per hæmorrhoides *Pareus lib. 23. c. 12. exiiſſe compertum ſit.*

Deinde quod *CL. HELMONTIUS* veretur, ne inanitis brachii aut poplitum venis retrò tractus ſanguis menſtruus à viciniis uteri in venas lethalia excitet Symptomata, fruſtra eſt; Medicus enim rectâ Medendi Methodô inſtructus periculũ noverit, quod inde reſultat, ſi ſanguinem ad inſueta loca contra Naturæ ordinem violento motu attraxerit. *Zacut. Luſitan. de M. Ph. 77. obſ. 56.* Sed potius hanc Medendi normam obſervabit, quam ipſa Natura præſcribit. Unde & Divinus Parens, cujus dictio eſt tanquam à DEI voce prolata, in retentis menſtruis cum Plethorâ, ſanguinis vomitum concitante, menſtrui per uterum eruptionem ſummoperè laudat; *auctore Gal. lib. 1. de Uſu part. cap. 9. lib. 5. aph. 31.* in quâ ſententiâ non ſolùm vacuationes per uterum eſſe approbandas docet, ſed & conſuluit, ut menſtruis retentis, prava & periculoſa ſymptomata minantibus, eas moliamur vacuationes, quas Natura certis legibus utens celebrare ſolet, ſi verum eſt, Medicum Naturæ operantis eſſe imitatorem. Id quod & *Galenus confirmat libr. de V. S. adverſ. Eraſiſtrat. & lib. de cur. rat. per V. S. cap. 11.* *Deindè*, cum ſanguis naturaliter per venas uteri minores ab arteriis in cavam propellatur, nec hic ullam à venis minoribus in majores retractus adferet noxam, ſed commodè hâc ratione non ſolùm plenitudini mederi, ſed & ſanguinem ad uterum attrahere, & qui obſtructus eſt in minoribus uteri venis ſectâ venâ poplitum proximè inde quodammodo derivare poſſumus, quo fit, ut ſanguis menſtruus liberè rurſus à minoribus uteri venis ad majores meare, & effluxio ex illis liberius fieri poſſit; iis enim Natura ad hunc fluxum abutitur. *Non ſemper illæ revehunt, inquit Excell. Rolfinckius in Diſſert. anatomic. Meth. ſynthetic. l. 6. c. 29. quem vehunt, ſed ſæpè etiam evehunt ſanguinem eundemq; effluere permittũt.* Hoc eſt arteriæ huic officio inſervientes plus ſanguinis naturaliter in venas hasce effundunt, quàm per illas transmitti poterit ad cavam. Venarum itaque diſtenſarum ora, ut ab onere leventur, aperiuntur, &

 ſangui-

ſanguinem evomunt. Hæ ſi obſtruuntur, ut ſanguis menſtruus liberè ſurſum à minoribus uteri venis ad majores meare nequeat, non commodius niſi per dictam phlebotomiam reſerari poſſunt. Ideoque venæ poplitis aut malleoli, quæ eſt ſaphenæ propago, ſectio in menſiũ ſuppresſione eſt accommodatisſima & utilisſima. Cùm autem rarò inveniatur, acquieſcere poſſumus in hujus propaginibus circa malleolũ internum, ubi veram ſaphenam Arabum conſtituunt. Hæc tutò inibi ſecari poteſt, quia caret comite arteriâ, nervus etiam ab eâdem remotior eſt; ſi non compareat ad votũ, vena in dorſo pedis aperiatur. Hæc ſecari poteſt in curabili & in incurabili ſuppresſione ad præſervationẽ à gravioribus malis. *Cæterum hæc loco qværitur? Utrũ mulieribus aut virginibus antiqvâ menſiũ ſuppresſione laborantibꝰ ſuperveniente Morbo acuto qvalis Angina, Pleuritis aut Peripnevmonia, vena in brachio, an verò in poplite aut pede aperienda ſit?* Non deſunt, qui nullâ habitâ diſtinctione, aut ullo reſpectu ſemper inferiorum venarum ſectionem commendant in ejusmodi caſibus à menſium ſuppresſione dependentibus; hâc enim ratione duos unâ fideliâ, quod ajunt, parietes dealbari, ſanguinem ad uterum attrahi, adeoque plenitudini hâc ratione obviam iri. Verùm cum dicti affectꝰ acuti ſint, urgeant, & cauſam habeant antiquam, & vitæ minentur periculum, certè obſervatis hiſce, licet vitium ab antiquâ menſium ſuppresſione dependeat, tamen fas eſt venas ſecare ſuperiores. Nec miretur quiſpiam; Acuti enim morbi id requirunt, nec moram ferunt, donec rurſus menſes fuerint provocati; ſi enim prius in illis provocandis laboraremus, fieri poſſet, ut ægræ vehementiâ morbi jugularentur. Et niſi prius fieret ex brachio evacuatio exiſtente plethorâ in partibus ſupernis, & ſecaretur venâ tali, demiſſâ ſuperiori, certè periculum eſſet, ne augerentur obſtructiones in vaſis uterinis. *Hanc doctrinam confirmant Mercurial. in comm. hiſtor. Epidemic. 21. Ludov. Mercat. l. 4. de nutric. & puerper. affect. c. 11. Roderic. à Caſtro lib. 4 de Morb. Mulier. cap. 16. Sennertus lib. 2. Prax. part. 2. cap. 16.* Sciendum tamen, Phlebotomiam eſſe alternatim faciendam ex brachio & crure. Sic enim & parti mandanti & recipienti optimè conſulimus; evocatis etiam eo tempore menſibus per frictiones, ligaturas, cucurbitulas inferioribus partibus adhibitas, quibus irruentis ſanguinis impetus citius trahatur deorſum. *In Anginâ tutior etiam eſſet cephalicæ ſectio, inqvit Zacutus Luſitanus lib. 1. de M. Ph. 77. qvam baſilicæ, qvæ magis ſurſum promovet menſtrua; & majorem communionem habet cum partibus inferis.*

Verùm

Verùm ſtante circulari ſanguinis motu, nos nullum agnoſcimus iſtarũ venarum delectum, cùm omnes eodem gaudeant privilegio. Hîc jure merito increpandi illi Medici, qui in puerperis ſuppresſis menſibus ob ruſticum timorem, vel forſan vulgi calumniis perterriti ſaphænarum ſectiones illicò imperant celebrandas, cum Angina, Phrenitis, Pleuritis acutisſima, & alii affectus pernitioſi urgent, qui poſthabitâ indicatione menſtrui citisſimam particularem ſanguinis vacuationem poſtulant Hi autem talẽ ſectionẽ iterãntes, cubiti verò, frontis, naſi & aliarũ partiũ ſectionem nonmagni æſtimantes in irreparabilia damna muliercuías conjiciunt; *vid. Zac. Luſit. l. c.*

Ultimam demum *CL. HELMONTII* inſtantiam quod attinet, non aliis, ſed ſibi perſuadeat, ut credat, nos tantæ fore dementiæ, ut ſolâ phlebotomiâ omnes curemus menſium ſuppresſiones, adeò ut Naturam in fermentatione, ſequeſtratione, & expulſione unà non juvemus. Quem in finem enim tot adeſſent καταμηνιάγωγα? cur inſtituerentur crurum lavacra, ligaturæ, frictiones, quæ dolorem concitant, irritant, Naturam & ſanguinem ad uterum provocant? cur applicarentur peſſi uterini & alia? *vid. Galen. libr. 5. de Simplic. Medic. facult. cap. 20. Paulus lib. 7. cap. 24.*

Quapropter videndum eſt *primò*, utrum menſiũ ſuppresſio diuturna, & antiqua ſit, an verò recens; In diuturnâ & antiquâ purgatio primũ imperanda ſecundum Methodum Hippocraticam *lib. 1. de Morb. mulier. num. 11. & num. 55.* nam ſanguis diu retentus ob prohibitam diſſlationem facilè ſuam formam deponit, & in alium tranſit humorẽ ab ipſo planè diverſum, qui purgatione demendus eſt; *Galen. lib. 3. de humorib. comm. 32. & lib. 4. de ſanit. tuend. cap. 4. Valleſius lib. 5. Controv. 19. Fernel. lib. 4. Patholog. 5.* Si verò menſium ſuppresſio recens fuerit, venæſectione ſolâ prius exhauriri debet, quia adhuc ſuam formam ſervat, & in quantitate ſolùm exſuperat. *Galen. lib. 9. Meth. cap. 5. & in libr. de V. S. adverſ. Eraſiſtrat. & libr. de curand. rat. per ſang. miſſ. Deindè* quarto aut quinto die ante ſtatutum tempus ſolitæ fluxionis ter aut quater ægra collocanda in ſolium aquæ dulcis calidæ paulò ultra umbilicum per ſemihorulæ ſpatium, in quo inſeſſu herbæ ſint coctæ uterinæ emollientes & aperitivæ. Opportunisſimum autem tempus ſecandæ venæ eſt primus dies ante tempus conſuetæ fluxionis ex conſilio *Gal. de cur. rat. per V. S. cap. 18.* ut acquiſito motu, ſi torpeat ſanguis, majori impetu feratur ad uterum. Alio autem tempore ſi Medicus id tentet, operam luſerit. Natura enim in motibus ſuis certas peri-

odos & ſtata tempora obſervare ſolet, neque niſi graviſſimis de cauſis ea mutat, quæ & Medicus obſervare debet. Sed cum ut plurimum ignoretur illud tempus, adoleſcentibus circa novilunium, adultioribus circa plenilunium educendus, juxta tritum illud:

Luna vetus veteres, juvenes nova Luna repurgat. *Tertiò* antequam Phlebotomia inſtituatur, prius oportebit pedes ab inguinibus usque ad talos vel malleolos, aſpero ac calido linteo probè confricare. *Quartò*, ſi primâ vice ſectio venæ non ſuccedat, id eſt ſi nihil ſanguinis aut parum profluat, & ſecundo & tertio reiteranda erit, cùm ex dextro, tùm ex ſiniſtro pede.

Quantitatem ſanguinis excernendi pro ſanguinis copiâ & virium ratione reſpectu temperamenti, ætatis, diuturnitate & brevitate ſuppreſſionis definimus. Naturalis igitur & valdè pauca illa eſt quantitas, ſex unciæ. Legitima & mediocris, libra una. Quicquid excedit quantitatem hanc, id minimum videtur. Sic quædam libras tres, quatuor, imò integram urnam implent. Quæ igitur naturaliter duas libras deponit, illa ad tres Medicamentis incitanda, quæ libras tres, ad libras quatuor irritanda. Sed quomodo extracti ſanguinis quantitas poterit explorari, ſi ſanguis in aquā calidam effunditur, ipſique permiſcetur? Sciendum, Medicum rationalem expertum conjecturâ ſtatemicâ hoc facilè adſequi poſſe; Vel ſcias Medicum curioſum & circumſpectum prius aquam, & poſteà ſanguinē cum aquâ confuſum ponderare poſſe.

Quoad Modum nihil eſt peculiare, niſi quod inferiores partes debeant eſſe calidæ, ſuperiores frigidæ. In hoc peccant fœmellæ non rarò, cùm totum corpus ſtragulis degunt, hincque omnes partes ſimul & ſurſum & deorſum trahunt.

Poſt *Venæſectionem* rurſum per quatuor dies in Balneum deducenda eſt ægra, & ſemper vel ante deſcenſum, vel ubi ex lavacro egreſſa eſt; & in mollem lectum collocata, Remedia menſes moventia ſunt offerenda, ſemper incipiendo à lenioribus ad vehementiora deveniendum Quanquam peſſaria magis conducunt, quàm Medicamenta per os adſumpta; maximè arridet Glauberi inſtrumentum uterinum quod habet *in Furn. Philoſ. part 2. c. 88 propoſitū.*

CAPUT XVIII.

De Cucurbitulis & Scarificatione.

RESTANT jam *Cucurbitulæ & Scarificatio*, quæ ex ipsâ carne ſanguinem exſugunt, & plethoram imminuere poſſunt; cum enim propriè ſanguinem ex cute evacuent, eoque effuſo alius è vaſis majoribus in capillaria effundatur, hàc ratione etiam

etiam totum corpus evacuat.

Applicantur autem *Cucurbitulæ vel cum Scarificatione* inciſâ cute, *vel ſine Scarificatione* integræ. Hæ parùm operantur, & ſanguinē tantum ab uno loco in alium transferunt. Sic in Lethargo, ſic in magnis nervorum doloribus à ſanguine ebulliente iis utiliter utimur. *Scarificatæ* ipſum extrahunt ſanguinem, nec ullum habent periculum.

Utraq; variant quoad *materiam compoſitionis*, quoad *qvantitatem & figuram. Qvoad materiam ſunt vel ſtanneæ, vel argenteæ vel vitreæ, vel corneæ. Hæ ultimæ* ſatis trahunt, *vitreæ* fortiter, *ſtanneæ & argenteæ debilius.* Curant nonnulli haſce conſici cum foramine, ut operculo remoto calorem tractionem & dolorem mitigare posſint.

Qvoad qvantitatem molis, prout majori vel minori evacuatione egemus, ita etiā aliæ parvæ ſunt, aliæ mediocres, aliæ magnæ, imò maximæ. *Qvoad figuram*, qvædam circulares ſunt, quædam oblongæ; item quædam orificium magnum habent, quædā parvum. Omnes tamen rotundæ ſunt quodammodo & circulares, quæque ſunt majori orificio, trahunt fortius.

Sunt autem Cucurbitulæ Scarificatæ materia & genus remedii ſanguinem non confertim & cum impetu, ſed ſenſim & paulatim ſenſibiliter evacuantis.

Applicantur autem *Cucurbitulæ cum Scarificatione* ut genus remedii vel *totum* evacuans citra validam totius corporis commotionem; Et ſic Phlebotomiæ & Arteriotomiæ ſunt vicariæ; vel *partem determinatam* reſpiciens.

Phlebotomiæ vicariæ adhibentur, cum virium adeſt languor, ut *Venæſectionem* minus tolerare posſint: & tunc proſunt ut *remedium evacuatorium, derivatorium & revulſorium.*

Poſſe autem *cucurbitulas* evacuare totum, & proindè ſubſtitui *Venæſectioni*, ſaltem cum numeroſæ, tum profundis Scarificationibus, ac ſæpius repetitæ cruribus, natibus, femoribus adhibentur, confirmari poteſt præter autoritatem *CELSI lib. 2. cap. 1.* etiam ex *ipſo Galeno; is enim Malleolorum Scarificationem non ſolum totū expurgare ac idem valere qvod V.S. affirmat lib. 3. de Meth. 5. lib. 4. de tuendâ ſanitat. Sed etiam in menſium ſuppresſione Phlebotomiæ ex Saphenâ præfert. lib. de cur. rat. per ſang miſſ. cap. 11.*

Uſum *Cucurbitularum Venæſectioni* vicarium indicant ſanguinis vitiū vehemens & Morbus magnus debilitate, uti dictum, virium Venæſectionem prohibente; nam cùm non confertim, ſed ſenſim evacuent, non facilè virium inferunt jacturam & diminutionem.

Aliàs *Scarificatio* in genere aliis valdè ſuſpecta eſt; unde & *Grembſ.*

in A. R.t.& J. lib.3.cap. 1. de brevit. vit.human. n. 48. improbat & rejicit Scarificationem, prætendens, eſſe etiam inter impedimenta vitæ longæ non parvam cauſam & illam, pravam ſcilicet conſvetudinem V. S. & Scarificationis, qvæ adeò invaluit, ut vix in urbe domus, in domo Paterfamiliâs, ubi non menſtruatim Scarificationes & bis in Anno V. S. celebretur, adeò prodigaliter profundunt vitæ noſtræ theſaurum inæſtimabilem.

Verùm experientia dicit contrarium; dantur enim ſexagenarii, imò novi & ſeptuagenarios, qui à teneris unguiculis ad hoc usque tempus ſine ullo damno hoc præſidii genere uſi fuêre. Nec verum eſt, ut vulgò dici ſolet, illum ſcilicet, qui ſemel ſcarificaverit, per totam vitam illud continuare neceſſe habere, niſi in vitæ periculum ſe præcipitare velit. *Novimus quendam, inqvit D. Mœbius, qvi adhuc puer octo annorum crebrioribus opthalmiis, & oculorum fluxionibus obnoxius, ſuaſu periti cujusdam Medici Scarificationibus per ſingulos menſes bis uſus fuit, easq; ad decimum ætatis annum feliciter continuavit. Ceſſantibus autem hisce affectibus abhinc ceſſavit etiam ab ipſarum uſu absq; ullâ Morborum invaſione, & adhuc vitali veſcitur aurâ cæteroqvin ſatis ſanus & vegetus in hiſtor. de Febrib. petechial.*

Quoad *qvantitatem ſanguinis* extracti variat etiam hæc pro Morbi vehementiâ & cauſæ morbificæ ratione. Parva & minima ſunt unciæ duæ: Mediocris, unciæ quatuor, quinque; Summa, tredecim unciæ; Ubi Morbi magnitudo urget, applicandæ cucurbitulæ copioſiores & majores, & jamdum ſanguine repletæ iterũ atq; iterum removendæ, ac denuò poſt repetitas ſcarificationes imponendæ, & foramina altius infligenda. In minori affectu minores & paucæ Cucurbitulæ ſufficiunt, nec eas cum *Scarificatione* repetere opus eſt. *Galen. lib. 2. ad Glauc. cap. 7. Scarificationem triplicem facit. Primam levem in ſuperficie tantùm, qvæ debile auxilium affert in tenui ſangvine, & pueris utilis, ſolumq; evacuat ab eâ parte, ubi ulcuſcula facta ſunt. Secunda longa & profunda, qvæ plurimum ſangvinis exhaurit, & aliqvandò ferè usq; ad animi deliquium evacuat, qvâ Galenus ſibi ipſi crure ſcarificato duas ferè libras ſanguinis extraxerit, teſte Oribaſio lib. 7. collect. cap. 20. Cum enim vehemens Peſtis Aſiam prehenderet, & ipſe Morbo hoc afficeretur, facto auxilio vitavit periculum, ſicuti & pleriq; alii, qui illud fecêre, evaſerunt. Erant enim plenitudinis ſigna. In regno etiam Neapolitano hæ Scarificationes dominantibus malignis febribus magni æſtimantur, ut liberetur cerebrum à deliriis & cor à langvoribus. CL. Rolfinck. in de Meth. cognoſc. & curand. febr. general. cap. 80. Braſiliani eas inſtitu-*

inſtituunt in femoribus, ſuris, brachiis, & omnibus Muſculoſis partibus. Hoc modo multas ſangvinis libras evacuant, & ita plurimos ſæpè morbos curant deſperatos. Wilhelmus Piſo de Medic. Braſil. lib. 1. cap. 1. Tertia Scarificatio eſt inter levem & profundam media, hæc tutior eſt, & in Medendi uſu frequentior, non tamen habet locum, niſi in cucurbitulis, quibus nos Germani utimur incalefactis oris earum ſevo illitis absque flammâ. *Belgæ* cum flammâ eas uſurpant, quæ quidem potentius trahunt, ſed majorem ægris cauſant timiditatem, quàm in illis eſt, quæ tamen ſuo munere ſat benè fruūtur. De Malitioſis *Scarificationibus* conſul. *Horſtius Libr. 9. in Chirurgic. caſibus obſerv. 2. ſeq.*

Humidæ Cucurbitulæ ſiccis ſunt fortiores, tum ex majori tractu ratione vacui, tum ex majori calore flammæ fundente & juvante tractionem. In illarum applicatione præſente Plethorâ notandum, ut pars non ſolum numeroſis *Scarificationibus* obducatur, ſed *Scarificationes* etiam longæ & profundæ adhibeantur. Et ſi contingat, ut ſanguis nimium ſit craſſus, quo ejus facilior fiat evacuatio, ante *Scarificationem* fricando ac ſpongiâ madefactâ in aquâ calidâ fovendo attenuandus eſt.

Cucurbitulæ, niſi toto prius evacuato, nunquam ſunt admittendæ, ſecus enim ſi fiat, cum à centro ad circumferentiam trahant, cauſam morbificam facilè ad partem affectā trahere, obſtructiones inde conciliare, Morbum fovere aut augere poſſunt. In Morbi vigore raro conducunt, aut conceduntur, aliàs omni Morbi tempore, diei, & anni conveniunt, quod tamen intelligendum, dum vires, ætas & cætera conſentiant.

Qvoad Locum hîc quidem omnis commodus operationi huic Chirurgicæ, ſed more receptum eſt, ut præprimis in dorſo, collo, brachiis, & pedibus applicentur vacuationis ratione. In Febribus brachiis, maximè verò natibus, femoribus, ſuris tutius conveniunt. In prægnantibus brachiis ſunt affigendæ.

Et hæc de *Cucurbitulis Evacuationis gratiâ* adhibitis ſufficiant: Nam quibus *partibus Revulſionis & Derivationis* gratiâ ſint adhibendæ, infrà dicturi ſumus.

CAPUT XIX.

De Alteratione.

PErſpectum itaque à nobis eſt, quomodo *HUMORES* ſint emēdandi, qui *Subſtantiâ* peccant & *qvantitate*; Siſtit ſe jam nobis illud vitium, quod in *qvalitatibus* fundatur. Hoc *ALTERATIONEM* poſtulat.

Ariſt. lib. 1. de Generat. & corrupt. cap. 4. t. 23. ALTERATIONEM definit

definit per *motum* ὅταν ὑπομένοντος τοῦ ὑποκειμένου αἰσθητοῦ ὄντος μεταβάλλῃ ἐν τοῖς αὐτοῦ πάθεσιν ἢ ἐναντίοις οὖσιν ἢ μεταξύ. Vel, ut Conimbricenſes: *Alteratio* eſt *motus*, quo re integrâ eodemque ſenſibili manente ſubjecto contrariæ aut mediæ qualitates immutantur. Vel *ſecundum alios: ALTERATIO eſt motus*, ſecundum qualitatem patibilem, quo non fit ἄλλο ſed ἀλλοῖον. Et eſt vel *Corruptiva, vel perfectiva. Corruptiva* eſt, quâ qualitas prior aboletur, & deterior inducitur, ut fit in Morborum generationibus. *Perfectiva* eſt, quâ ſubjecto ſuperinducitur alia nova qualitas, ut perficiatur.

Hæc ultima hujus loci eſt, ac deſcribimus per *motum*, quo exoticæ & peregrinæ qualitates, fermenta viſcerum, maſſam ſanguineam & alias corporis partes depravantes & corrumpentes, juvantibus Medicamentis alterantibus abolentur, domeſticæ corriguntur & ad naturalē æquabilitatem & ſymmetriam, à quâ receſſerunt, quoad fieri poteſt, reducuntur, ut ſanitas inde exſurgat exoptatisſima.

ALTERATIO igitur eſt *MOTUS*, quia ducit ad eſſe perfectius, hoc autem non eſt forma ſpecifica ſubjecti, quia hæc ope illius non acquiritur perfectior, nec forma mixti, quia nec hîc acquiritur mixtio major; ſed ſunt *qualitates* naturæ convenientes à *Medicamentis alterantibus* reparatæ, ut ſanitas inde oriatur perfecta.

Per *qualitates* autem haſce ſubintelligimus non ſolùm Elementares primas activas & paſſivas, calidum ſcilicet, frigidum, humidum & ſiccū, nec ſolum ſecundas, & quæ à modo ſubſtantiæ fluunt, ex variâ partium in ſanguine texturâ, quæ quibusdam potius nil niſi Morbi aut materiæ morbificæ producta, ſive Archéi noſtri niſus conans peregrinum expellere hoſpitem variamque ipſi induere veſtem videntur, quorum receſſus à naturali ſtatu facilè reparabiles ſunt; ſed & qualitates occultas admittimus, quæ ex fermentis fluūt, quibus anima noſtra utitur ad actiones ſuas obeundas, quæ ſunt ejusmodi *Accidentia*, quæ immediatè in ſubjecto cujus ſunt, & à quo immediatè dependent, & cum quo transmutantur. Sic v. g. impoſſibile eſt, ut acidum, vel amarum, vel ſalſum aut aliæ qualitates in maſſâ ſanguineâ contentæ immutentur, non immutatis ſimul illorum ſubjectis à quibus tanquam fermentis dependent, & in quibus tanquam accidentia ſunt. Quæ etiam cauſa eſt, quod *ipſe Hippocr. libr. de Priſc. Medicin. non tam voce* ἀλλοιώσεως, quàm τῆς μίξεως καὶ πέψιος utatur, quibus mediantibus, quæ intemperata ſunt, reſtituenda. Unde & Medico multum ſanè intererit primò noviſſe, ex

quibus

quibus Principiis ſeu fermentis ejusmodi qualitates immediatè eleventur. Deindè, quomodo una in aliam ſit transmutanda, v. g. quomodo ex acido fiat dulce, ex dulci acidū, ex amaro & acido acerbum, ex inſipido ſalſum, ex maligno benignum, &c. Qui enim hoc noverit, harum qualitatum fermenta præternaturalia facilè corriget, quæ inde oriūtur, cum à debitâ quantitate, qualitate, & motu ab aliis abſcedunt & virtutibus ſuis fermentativis, vel conjunctas diſſymbolicas invadunt, vel obvias ſimiles ſecum rapiunt, vel ipſæ, ubi vel à potentioribus ſuperantur, vel debiliores ad ſe trahunt, aliam atque aliam Naturam induunt. In ſtatu ſanitatis multa incorporantur nobis & ſubiguntur, ſin minus, degenerant in ſordes, violant vitale initium, fermenta partium immutando, unde Archéus diverſimodè commovetur & vitalis œconomia jacturam patitur.

Quemadmodum igitur *dictæ qualitates* primis ſolum qualitatibus ceu nudis Morborum & cauſarum Morbificarū accidentibus non ſunt definiendæ, ſed potius *δυνάμεσι Hippocratis* ſunt inſtructæ, ita nec ipſa *Medicamenta Alterantia* Naturam Elementarem ſimpliciter referunt, ſed ſubſunt & aliæ nobiliores & occultæ, quibus totâ ſuâ ſubſtantiâ & appropriatione huic vel illi affectui aut Morbo contrariantur. Unde non ſolum reſpiciamus ad calidum vel frigidum, humidum vel ſiccum, ſed & ad acidum, ſalſum, amarum, & alias potentias, occultas & peregrinas ex fermentis reſultantibus, quibus homo afficitur, & ſi fieri poſſit, Morbis cunctis ſua ſpecifica ſimplicia iaveſtigemus remedia. Quapropter cum & ipſe *Divinus Senex à δυνάμεσι*, ut ſuprà dictum, homini affectus venire doceat, *lib. de Priſc. Medicin.* & per illas intelligat *τὰς τῶν χυμῶν ἀκρότητας καὶ ἰσχύς*, videamus, ut illis convenienter etiam & appoſitè oppoſita remedia adhibeantur, etiam ſuis *δυνάμεσι* ſeu fermentis ſpecificis inſtructa. Si igitur febris adſit maligna & venenata, ſanguis inde nimium efferveſcat, ob fermentum febrile ac venenatum, certè *Alterantia* tunc adhibenda ſpecifica talia, quæ non ſolum fermentum febrile figant ac præcipitent, ſed, quæ etiam ſimul hujus malignitati reſiſtunt, & alexipharmaca ſunt.

Hactenus de *Formali ALTERATIONIS* causâ; reſtat jam, ut inquiramus, quænam ejus cauſa efficiens ſit? Et ſtatuimus fermentalem viſcerum calorem, qui adjuvantibus *Medicamentis Alterantibus* ſuis etiā fermentis inſtructis materiam morbificam ſubigit, tranſmutat, & debitâ ratione poſtmodum exterminat. Quod ſi enim hujus caloris fermentalis vis, & balſamica ſalſedo

forſan alterata, aut ſuppreſſa aut aliàs debilis fuerit, à dictis alterantibus immutata, aucta & reſtituta facilè poſtmodũ materiam vitioſam ſubigere, evincere, hoc eſt, ita fluidam reddere poteſt, ut ſine difficultate poſtmodum eliminari posſit.

Quomodo igitur Medicamenta Alterantia ſecundũ vires internas & ipſam Naturam ac Subſtantiam tum ad fermenta viſcerum, tum ad cauſas morbificas & Archéum ſeſe habeant, inveſtigandum reſtat?

Sciendum autem *MEDICAMENTA ALTERANTIA* ſua obire munia *qualitatibus* partim *manifeſtis*, partim *occultis*. Manifeſtæ operantur mediante quâdam *Præcipitatione*; cujus vocabulum hîc non ſumitur ſtrictè, & pro omnibus requiſitis, quæ ad actionem hanc tanquam Spagyricam requiruntur, ſed latè, prout disſolutionem tantummodo denotat, & talem diſpoſitionem, quæ non fit ſine præviâ fermentorum Morbificorum reſtitutis naturalibus à Medicamentorum fermentis factâ deſtructione, humorum à ferocibus productorum fermentis edomatione, illorũ continuorum & heterogeneorum diviſione, contiguorum ſegregatione & ſuccorum contra homogeneorũ congregatione; totius denique Naturæ corroboratione. Deſtructis enim & extinctis furioſis humorum fermentis, & mitigatâ illorum inde productorum ferociâ, fermentorum Naturalium activitas & virtus anteà languida *Medicamentorum Alterantibus fermentis* in ſubſidium vocatis jam quaſi iterum emergit, materiæ morbificæ ſubactionem promovendo, ut debitâ deinde ratione turgendi ſævitiâ per Præcipitationẽ planè depoſitâ facilè poſtmodum vel ſenſibiliter per alvum, vel diureſin, vel diaphoreſin, aut inſenſibiliter per ἄδηλον διαπνοὴν exterminari posſit, unde Natura ſuas iterum recolligit vires, quæ anteà inſigniter turbabatur ac opprimebatur. Nam ipſi humores, quatenus tales, non ſemper cauſæ Morborum ſunt, ſed malignum aliquod in illis fermentum & prava humorum διάθεσις, quodque in minimâ etiam quantitate magnas obtinet vires, illud ſi extinguatur, & qualitas illa ſi tollatur, Morbi ceſſant. *Sennertus de Conſ. & Diſſ. cap. 18. p. 345.* Nos enim exiſtimamus omnem ferè Morborum progreſſum, vitioſo cuidam deberi fermentorum ortui, hæc enim vel in viſceribus chylificationi & ſanguificationi deſtinatis propullulãtia, vel ad totam maſſam ſanguineam & partes alias ſub alimentorum involucro & ſchemate delata quantas excitant tragœdias? quantas turbas? ipſa autem horum ſtatim in primo germine extinctio lætam ſanitatis ſæpè promittit ſpem. Quod enim Apoplexiæ, Epilepſiæ, Cachexiæ, dyſpe-

dyſpepſiæ, anorexiæ, cruditates, &c. proveniant, hoc à corruptis digeſtionum fermentis; quodq; maſſa ſanguinea quandoque nimis exaltetur, in vaſis ebulliat,& exinde febres diverſi generis & Naturæ accendantur, hoc interdum à fermentis febrilibus, interdum autem ipſa fermenta febrilia ſunt producta ſpontaneæ ſanguinis thymoſeos.

Quod ſanguini non rarò diatheſis acetoſa& auſtera accerſatur, qualis in ſcorbuticis, hydropicis, cacheсticis & aliisMorbis chronicis laborantibus obſervatur, hoc ab acidâ & ſalinâ fermentorum proſapiâ. In horum autem everſione tota curationis ratio conſiſtit, hiſce perſeverantibus Morbi non ceſſant, & fruſtra propter hæc ipſa ſolùm *Purgationes & Venæſectiones* inſtituuntur, ægrique purgantibus macerantur, niſi & hæc prius antè omnia fuerint ſublata, *ſemper enim præſtat, inqvit CL. Sennertus, vitioſos humores non generari, qvàm genitos evacuari.* Sic v.g. in omnium Febrium curatione ante omnia fermenta febrilia ebullitionis in maſsâ ſanguineâ cauſa proxima, ut magis urgentia figenda & præcipitanda per ſpecifica antipyreta Diaphoretica & Diuretica Naturæ æmula, quæ jam extinctis febrilib9 fermentis materiam vitioſam ab ipſis productam poſtmodum unà reſolvant, reſolutam à maſsâ ſanguineâ per convenientia loca ſeparent ac ſegregent: Sedatâ demum ſanguinis ebullitione febrili,& profligato paroxyſmo, tum demum Methodicâ curatione cauſa febrilis occaſionalis per purgantia removenda, & recidiva præcavenda. In Morbis chronicis eadem eſt Methodus, & licet validas ac fixas ſæpè admiſerint in corpore radices, cum obſtructionibus viſcerum ex cruditatibus ſeroſis pasſim conglomeratis,& ſanguinis balſamicâ ſalſedine ad acetoſam & auſteram evectâ, tamen & iſtorum curatio tentanda per præcipitantia Alterantia, quæ humores fermentis morbificis tinctos edoment, reſolvant & emendatâ ſanguinis dyſcraſiâ & viſcerum obſtructionibus reſeratis conſumant & eliminant. *Nec ejuſmodi reſolutiones, inqvit Billich. in Theſſalo Rediviv. cap. 16.& conſumptiones, deſtructiones ſunt ſine præcipitatione, mitigatione & maturatione. Qvantum enim matureſcit morbifer ſuccus, qvantum digeritur, qvantum concoqvitur, tantum etiam in eo vitioſa aſymmetria reſolvitur, conſumitur, deſtruitur. Et vice verſâ: qvantũ hæc deſtruitur, conſumitur, reſolvitur, tantum ille concoqvitur, digeritur, matureſcit.* Hiſce Morbificis fermentis adjungit etiam Doctisſimus *Marcus Marci in Phil. veter. reſtitut. part. 4. ſect. 3. p. 435.* ſuas idæas, & ſtatuit illas in fermentis quidem radicaliter morbificis, in

in ægroto verò non niſi radiativè; Sic v. g. animalia rabioſa per morſum, vel etiam ſalivam communicãt furibunda fermentum ſuum idæis Morbificis inſignitum, quæ Archéũ corporis læſi ita perturbant, ut etiã in mores brutales transformetur. Similis ratio eſt aliorum fermentorum Morbificorum ex vegetabilibus etiam & mineralibus deſumptorũ.

Abſolvunt autem *MEDICAMENTA ALTERANTIA* hãc præcipitationem *modo* vel *Privativo*, vel *Poſitivo*. *Privativo modo præcipitantia* ſunt, quæ non ſolùm ex volatili faciunt fixum, & fixo volatile, verum etiam ex acido dulce, ex amaro ſalſum, ex ſalſo amarum, ſed & inſuper Salia ſylveſtria acida & acria combibendo ſanguinem depurant, & viſcerum fermenta depravata corrigunt, & ita fermentationem humorum præternaturalem ſiſtunt. Ejusmodi Medicamenta ſunt reſolubilia, eſurina ac ſitibunda, quæ facilè imbibunt ſalia corroſiva acida & deniq; ſaturata re bene geſtâ ſecedunt, & agunt partim per modum Alterationis acquiſitæ in ſui paſſibilitate, partim immutatis illorum qualitatibus internis, & illis, quæ à ſpecificâ deſcendunt proprietate. *Qvomodo autem hoc fiat, intimior ſpagyricorũ peritia demonſtrat. Qvi enim dulcificationem ſalium callet, & ex fundamento intelligit, rationis hujus nervum omninò tenet, monente Excell. Johanne Langio in Miſcell.*

Communiter *ALTERANTIA* deſcribunt per illa Medicamenta, quæ vulgari calefaciendi, frigefaciendi humectandi, ſiccandi, attenuandi & incraſſandi facultate pollent. Verùm hæc non tam morbum, quàm Symptomata reſpiciunt. Unde & *ipſe Sennertus libr. de feb. c. 18. Refrigerantia, inquit, ſaltem ob calorem adhibere, nec materiam caloris febrilis fomitem prius tollere, eſt Symptoma curare, & Morbum deteriorem reddere.* Non ſatis igitur mirari poſſũ, ejusmodi Elementares Medicos moderno tempore adhuc dum non deeſſe, qui tantum Symptomatum urgentiam reſpicientes non niſi de calido vel frigido in ægrotum vel adſtantes inquirunt; cum tamen ſcire debeant, ut ſuprà etiam innuimus, ejusmodi qualitates eſſe mera Morborum & cauſæ morbificæ effecta ſeu producta ab Archéo furioſo, dum enim nititur peregrinum expellere hoſpitem, modo calorem, modo frigus concitat. *Alterationes enim, quæ in vitali contingunt œconomiâ ex vitalibus initiis, non ex igne aut frigore corporis dependent, calor & frigus ſunt accidentia impertinentia ad Naturam Morborum. Sit ſpina parti alicui infixa, cui ſuccedit in inſtanti dolor, à dolore mox pulſus à pulſu cruoris affluxus, unde calor, tumor, apoſtema &c. Spina ergò poſt ſe*

movet

movet cætera. Metaphorica ergò ſpina Morborum eſt peregrinum fermentum conceptum in Archéo, ſeu Salia peregrina acida, pontica, corroſiva, &c. qvæ ſi fuget, aut deponat in maſſam ſangvineam, vah! qvæ tragœdia? Qvæ turbæ inde excitantur? Sic ſæpè in epate præternaturales les ſentiuntur calores, ſed hi omnes fiunt operâ ſalium ſylveſtrium acidorum, qvæ Archéum accendant, CL. Helmontius in tr. Poteſt. Medicamin. §. 10. Interim tamen ſi conciliationem inſtituere liceat, ſciendum, illa Medicamenta, quæ *calidum præſtant effectum*, ſanguinem, dum depauperatur, & minus, quàm par eſt, effervеſcit, ad fervorem ac fermentationem priſtinam vel immediatè per διάκρισιν minimorũ ſanguini communicatorum vel mediatè obtuſum ac debile ventriculi & bilis fermentum innatâ ſuâ vi ac robore augendo & corrigendo fermentationis ope reducere. Quæ *frigidum dant effectum*, ea obſtructiones in venis ac arteriis aperire, ac Salia volatilia ſylveſtria vaporibus Sulphureis & æſtuantibus ſcatentia & in viſceribus aut maſsâ ſanguineâ reſtagnantia imbibere, præcipitare & per diaphoreſin & Diureſin educere. Epotis julapiis vel aquâ communi putârunt Galenici effici hanc refrigerationem, id quod negatur à Sanioribus Medicis, qui activâ refrigeratione compeſci hunc fervorem non admittunt, ſed ſtatuunt hoc ipſum fieri per præcipitationem. *Qvæ humectant, obliniunt, infarciunt & absq; ardoris & acrimoniæ ſenſu reſolvunt, quatenus ſcilicet coagulationis & arefactionis impedimenta ſubmovent, ſic malva, althæa humectantia dicuntur, qvatenus poros cutaneos claudunt, ſicq; diaphoreſin ſiſtunt. Qvæ autem exſiccant, illa extenuando diſponunt ad exhalationẽ, ſic ſudor licet humectet cutem, & habitum turgidum faciat, attamẽ merè exſiccat nos. Helmont. in tr. Poteſtas Medicaminũ §. 4.*

Cum non quodvis agat in quodlibet, ſed in determinatũ, nec quodvis patiatur à quolibet, ſed à determinato, etiam non quævis materia morbifica ſuo peculiari fermento inſtructa non poteſt à quibuslibet indifferenter diſſolvi & præcipitari, ſed à ſuo appropriato præcipitante Medicamento. Neque enim ſufficit humoribus crasſis, & viſcidis attenuantia, tenuibus incraſſantia eſſe opponenda, ſed illorum etiam Natura pro diverſitate partium figuræ cum ſuis fermentis ſpecificis eſt attendenda, & ſpecifica & propria remedia præcipitantia adhibenda ſunt, alkalia acidis, acida alkalibus, Sulphurea Sulphureis &c. *Unde CL. WALLÆUS alterationem fieri, inqvit, conjunctione & perfectione, hinc ſi debent alterare Medicamenta Alterantia, neceſſe eſt, ut alterandis humoribus permiſceantur, ſi permi-*

ſceri poſtulant, debent humoribus eſſe ſimilia, non ratione qvalitatum, ſic enim contraria eſſent, ſed reſpectu conſtitutionis; Ergò quæ oleoſa ſunt in noſtro corpore, illa alterentur oleoſis, qvæ aqvoſa, aquoſis, quæ acida, alkalibus, quæ alkaliſata, acidis &c.

Quando *Humores* craſſi, viſcidi, ac acidi ex vitioſo ventriculi fermento, vel depravatione aut corruptione chyli producti tunicis ventriculi impacti hærent, tunc illis opponenda vel quæ ſale volatili aromatico abundant, quale in abſynthio, radic. Aron. Centaur. min. Card. B. &c. vel quæ Sale alkali fixo aut volatili lixivioſo prædita, qualia Sal abſinthii, fraxini, Cichor CC. volatile, Tartari volatile, &c. Quemadmodū & ſi cruditas hęc acida quodammodo volatilis & ab humore fermentali exaltata, ut maſſam etiā ſanguineam penetret, figunt & immutant illam etiam non ſolū omnia ſalia fixa alkalia lixivialia ex plantis parata, ſed & ſi majori penetratione opus fuerit, alia alkalia volatilia ſalſa, qualia Spiritus Salis Armoniaci ſalſus Sang. human. CC. &c. cum quibus effervescens aliquatenus temperatur, coagulatur & neutrum fit. Deinde huc etiam faciunt Oculi ♋. Corall. alb. & rubr. præparat. Spodium, Mater perlar, lapid. percar. &c. quorum omnium Alteratio medio modo ſe habet inter efferveſcentiam potiorem à dictis Salibus ortam, & concentrationem ſeu fixationem cum dictis alkalibus factam.

Si ventriculi fermentum admodum Sulphureis, ac amaris ſcateat recrementis, ut inde nimis incandeſcat, æſtuet & cruditas nidoroſa inde oriatur, exhibenda acida, cujus generis ſunt Spiritus Vitrioli Martis, Salis, ſtriatus &c. Succi citri, granatorum. Ribium, berberum &c.

Ad alkali lixivioſum in primis viis redundans corrigendum, à quo oris ſiccitas, ſitis nimium augetur, faciunt adſumpta etiam acida, item emulſiones ex ſemin. 4. fr. paratæ. Obſervandum autem, fieri interdū, ut ſitis augeatur à ſero, ubi, quoniam cum lixivioſo Sale ſimul redundat in corpore aqua, non competere potum copioſum. Verùm Spiritus acidus, qualis Spiritus Salis, aperitivus Penotti &c. lymphatus cochleatim tunc adſumendus, à quo emendatur potentius noxia Salis lixivioſi acrimonia.

Ubi Ventriculi fermentum admodum debile, aut nimium quantum ab acido-ſalſo volatili ſuo balſamo recedat, exhibenda, quæ ejus vicem ſuppleant, qualia ſalia volatilia acido-ſalſa, Spiritus acidi volatiles, ex quorum cenſu Sal. CC. fixum, cum Sp. Salis paratum, vel terrâ foliatâ Tartari Tinctura aperitiva *D. D. Mœbii*, Arcanum duplicatum &c. Hæc enim ſunt fermenti ſtomachici ac reliquorum viſcerum genuina

nuina ſuſcitabula, omnium digeſtionum ſordes unà abſtergunt, putredini reſiſtunt, diuturnas viſcerum obſtructiones reſerant, & exinde orta & inveterata varia febrium & aliorum Morborum genera ex agro vitali exterminant,

Defectus Fermenti fellei reſarcitur amaris, ut abſynth. Centaur. min. agrimon. Card. b. fumar. &c. radic. Cichor., & aliis aromaticè amaris. Ejus exceſſus corrigitur acidis ſuprà enumeratis. Bilis enim fermentatio niſi & hæc ſeſe rectè habeat, anſam præbet variis in inteſtinorum anfractibus calamitatibus.

Quando pars Sulphurea interdũ in maſsâ ſanguineâ à fermento febrili evehitur, ac nimis luxuriat, ejus craſis à debito ſtatu pervertitur, ut in totum accendatur, æſtus atque ardores concipiat, tunc fermentum illud febrile tanquam magis urgens prius per præcipitationem deſtruendum, id quod commodè faciunt in intermittentibus febribus Tartarea, Martialia & lixivialia Spiritibus acidis nupta. In continuis Bezoardicum ſ. &c. ex ☉ & ♂ ebullitionem ſanguinis mirè compeſcunt; Quorum virtus non tantum ab Antimonio & Marte aut Sole, ſed etiam à Spiritu Nitri oritur, qui abundè in Antimonio & ♂ & ☉ figitur, (quod ponderis auctio & incrementum edocet) ſalvâ manente vi ſuâ refrigerante & anodynâ (paucis cognitâ) quæ tamen magis enoteſcit, quando totum Nitrum vertitur in terram albiſſimam inſipidam per encheiriſin à Dn. HELMONTIO explicatã. Non minores obtinet vires ex eodem fonte promanans P. Poterii alexipyreton. Cauſa autem iſtius ebullitionis eſt fermentũ febrile, & venenatũ, hoc ſi aufertur, citisſimè & tutisſimè Morbus profligatur. Hoc autem nec purgantibus fit, nec Venæſectionibus, (virium diminutionib9) ſed ſpecificis antifebrilibus (materiam febrilem figentibus) diaphoreticis & diureticis. Quibus ſi ſuccenturiata adſint Alexiteria ſpecifica, non tantum omnium febrium malignarum, ſed etiam ipſius peſtis verum obtinetur alexipharmacum. Interea æſtus febrilis demulcendus Spiritibus acidis Martis, Tincturâ Bezoardicâ, gelatinâ CC. & Eboris, ſuccis granator, Ribium, Citri rec. Tinctur. fl. borrag. roſar. violar. cũ Spirit. Vitriol. Philoſoph. & momento Sp. rub. id. parat. Non poſthabitis aliis cordialibus ſpecificis Magiſter. Perlar. c. & ſ. ambrâ. eboris. ſpinarum viperæ, liquor. Perlar. Corallor. &c.

Quando in ſanguine propter vitioſam digeſtionem & fermentationem partes ſalinæ non ſpiritualcunt, nec ritè exaltantur, ſed crudæ & fixæ permanent, ſui juris fiunt & fluorem patiuntur, cruor non ſolùm evadit ſpiſſus, & circulationi ineptus, ſed

ſed & acidus, auſterus & acris fit, ut inde corrumpatur, & coagulatus in viſceribus obſtructiones pariat, & cruditates tartareæ undique congerantur, ex quib9 malum hypochondriacum, Scorbutus, Arthritis vaga & fixa Nephritis, hydrops, Lepra, & Morbi plerique chronici oriuntur, in hâc diatheſi vitioſâ conveniunt, quæ, quod fixum eſt, exaltant, & volatiliſant, & in totâ maſsâ ſangui-neâ πυδζμάτωσιν promovent. In hoc caſu evacuantia ne hilum proſunt, ſed ſanguinem magis depauperando ſine medelâ vires atterunt. Magis conducunt Medicamina alkali volatili temperato ac miti referta, qualia ſedum minus fumar. Chamædr. centaur. min. chelidon. majus. cochlear. & penetrantiores Spiritus Salis Antimoniaci ſalſus CC. fuliginis. Sang. humani. cruoris cervi. Sal Tartari volatile, arcanum Tartari cum Sale volatili viperarum &c. habitâ circumſtantiarum ratione egregii ſunt uſus. Huc etiam referenda decocta ex radicibus & herbis Sale volatili lixiviali imprægnatis, adeò ut quo excellentiores hæ in hoc gradu ſunt, eò etiam facilius ac copioſius aciditates peregrinas in corpore noſtro corrigunt. Martialia hîc etiam ſpem faciunt opimam ſalutis, & ex Tartaro parata hîc etiam non excludenda. Hæc enim, preterquàm quod corrigant ac precipitent in ſtomacho digeſtionum fonte vitæque archivo dictas aciditates, quæ aliàs in membris extimis ſive habitu corporis poſſent eſſe hoſtiles; Salia inſuper ſylveſtria acida in ſanguine imbibunt, præcipitant, & vaſa hinc inde obſtructa unà referant.

Cum autem difficile atque arduũ ſit humoris peccantis Naturam ſemper exactè dignoſcere, & proinde ipſi emendando auxilium aptisſimũ invenire, *ex CL. SYLVIO Practico Lugduni Batavorum excellentisſimo ſciendum eſt ςοχασμῷ ſeu conjecturâ artificiali opus eſſe Medico, & tentanda eſſe varia, qvo tandem ad verum ejus perveniat cauſam; eſſe autem talia uſurpanda, qvæ non noceant, & parvâ qvantitate; qvin imò ſi noxam inde potius, qvàm levamen ſentiat æger, mox mutandum eſſe remedium, neutiqvam mordicus in ipſo perſeverandum. In genere qvidem nunc acida, nunc amara, nunc acria, & aromatica, nunc pingvia, nunc macra, nunc ſpirituoſa, nunc aqvea, nunc fixa, nunc volatilia &c. ſunt exhibenda, & attendendum ſedulò, cui inprimis auſcultet Natura, ſed & humores copioſi & redundantes qvandoq; ſunt evacuandi.*

POSITIVO MODO præcipitantia operantur, dum ſpirituoſa ſunt, ſingularemq; balſamicam vim obtinent, cujus beneficio fermentorum Naturalium poteſtatem & eorum innatam balſamicam ſalſedinẽ ita

ſita roborant, ut ipſa Natura ſic denuò contra cruditates inſurgere, easdemq; digerere ſive præcipitare aut ſeparare poſſit. Hoc modo deberet operari Medicina univerſalis, ſi quis illam poſſideret, aut in defectu hujus Spiritus alii confortantes ad ſummam volatilitatem deducti. Hic *quæſtio* incidenter venit enucleanda; Quid ſtatuendum ſit de *SPIRITU MUNDI* edels Krafft-Waſſer communiter ſic dicto, quem *nonnemo* in omnibus ferè periculoſis ac deſperatis affectibus tanquam Panaceam tantoperè debuccinat, ut ad hanc tanquam ad ſacram anchoram ægroti defugiant omni ſæpè poſthabitâ Methodicâ præſentis Medici Curatione, quaſi ipſi compar non eſſet remedium? An *SPIRITUS* quiſpiam, ſeu ANIMA MUNDI detur, quam *DEUS* juxta *PLATONIS* ſententiam *Libr. de Animâ Mundi & libr. 10. de Legibus, in medio ipſius mundi indiderit, & extrà eduxerit, ipſumq; univerſum eâ contraxerit*, jam non ventilabimus, licet de hoc maximè inter *Ariſtotelicos & ſaniores alios Philoſophos ac Medicos*, illum admittere nolentes, niſi robore argumentorum adductos adhuc controvertatur. Si quis tamen eſt, non immeritò quæritur, quid per vocabulum *SPIRITUS MUNDI* veniat intelligendum? Utrumq; enim ambiguum eſt. Poſthabitis de voce *SPIRITUS* Theologicis homonymiis Vox *SPIRITUS* ſumitur *vel Metaphyſicè & Logicè* pro ſubſtantiâ immateriali, quæ contradiſtinguitur corpori ſeu materiali ſubſtantiæ, quæ omnis molis corporeæ eſt expers, adeoque immaterialis in ſenſus non incurrens, qualis *Spiritus mundi* ex aëre collectus non eſt, materialis enim ille ſimplicis Elementalis aquę veſtitu amictus incedit; Vel *Phyſicè* pro corpore ſubtili ac tenui ex materiâ craſſiori extracto, atque hanc denominationem dictus *Spiritus* ſibi vindicavit, dum ex *crudo Spiritu Mundi*, juxta *Authoris cujusdam* mentem, præviâ digeſtione ac circulatione deſtillatus caloris moderatè tepidi adminiculo in guttas perlarum orientalium formas nitidas æmulantes, remanente in fundo parte ejus fixiori. Voce *Mundi* multa etiã inſigniuntur illũ tamen hoc loco nobis perſuademus intelligi, qui ex cœlo & terrâ, & corporibus in his contentis conſtat, & universũ nominatur. Hùc *SPIRITUM MUNDI* quidam *metaphoricè occultum vitæ cibũ, rorem de nocte, aquam rarefactam de die vocant, Spiritum inviſibilem congelatum, Aërem liqvidum vel vaporem, ſemen omnium rerum, Spiritũ vivum omnium Creaturarum*, alii *vinum cœleſtem*; Nonnulli *Spiritum univerſalem cunctis rebus incluſum, & per aërem ingroſſatum, Spiritum Vitæ &c.* Verum hujuscemodi prædicatis

dicatis & elogiis ejus *Natura* & *Eſſentia* non detegitur, quid ſit? ex qvâ proſapiâ oriundꝰ? utrum cœleſtis an verò ſublunaris naturæ particeps? an ex ſale, ſulphure, aut Mercurio? hîc Plato jubet qvieſcere.

SUBJECTUM in *qvô* hujus *SPIRITUS* video qvidẽ determinatum AEREM ſcilicet, ex qvô, uti dictum, colligunt; ſed admodùm *crudum*; ſi enim crudꝰ, quomodo *occultum vitæ cibum*, *Spiritum vivum omnium creaturarum*, *Balſamum ac qvintam Eſſentiam Naturæ* in aëre adhuc volitans præſtabit? Deinde Vulcani adminiculo præviâ digeſtione ac circulatione in *Spiritum Mundi* tantoperè laudatum transferunt. Qvis enim inde certus esſe poteſt, hunc *Spiritum Mundi* ut artificiale compoſitum & ignis productum ejusdẽ Naturæ & poteſtatis esſe cum *nativô crudô* in aëre adhuc exiſtente, & ex aëre collecto? dum illud non esſet, quod antequam Ignis vehementiam ſeu beneficium experiretur, fuit. Præterea, poſſet quiſpiam in hanc inclinare ſententiam & ſtatuere, hunc deprædicatum *Spiritum Mundi*, qui aliquot ante annos demum inclaruit, potius nudam Aquã Aëris, quæ in locis forſan cryptis aut cellulis udis collecta nec minus puritate ac præſtantiâ vulgari noſtræ aut aquæ pluviali Spiritus Mundi corporificati nomine magis dignæ cederet, eſſe, quàm *verum Mundi Spiritum*; Nam notum eſt *primò Aërem* nos circumſtantem Naturæ ex necesſitate ſemper Aquâ attenuatâ in poris aëris contentâ eſſe refertum, & ejus beneficio fervorem cordis noſtri reſpirationis operâ temperari, aliàs purum occidere. *Deinde*, eſſe ejusmodi humiditatem in *Aëre*, facilè probatur. Si enim Tartarum calcinatum aut caput Vitrioli in juſto pondere acceperis ac in cryptâ ſubterraneâ vel in ordinario conclavi aëri expoſueris, parvo temporis ſpatio, prout *Aër* ejuscemodi Spiritu eſt dives, in tantum laxari incipiet, & ab hauſtâ aëris humiditate ita imprægnari, ut octuplo plus, quàm ante attractionem jam præponderet; in ipsâ æſtate, quâ major, quàm cæteris anni temporibus *Aëris* ſiccitas eſſe ſolet, percipimus etiam Aërem humidis abundare corpuſculis. Infunde in vitrum Aquam frigidam vel alium frigidum liquorem, & conſpicies ſtatim exteriorem ejus ſuperficiem guttulis liquidis irrorari, quæ nihil aliud ſunt, quàm aquei vapores ſeu aqua attenuata in *Aëre* circumvolitans ad vitri latera delati & lævis iſtius corporis frigiditate allecti, condenſati & in aquam mutati. *DUX militaris nomine* Kranach quondam in Arce exercitu militari obſeſsâ imminente Aquæ penuriâ aliquot tonnas hujusmodi Spiritus Mundi beneficio peculiaris cujusdam inſtrumenti collegit.

collegit. Sed quid? pura puta hæc Aqua Elementaris eſt, cujus ſortis & putatitius ille *Spiritus Mundi*, nam utut ſolertisſimo Vulcani examini committas, præterquam quod corruptioni etiam obnoxius, dum ad tempus relictus cuticulam contrahit, ne vel micam Salis cryſtallini aut alterius principii materialis inde elicies, ſed puram Aquam moderato calore gallinarum inſtar in alembicum elevatam in modum Perlarum Orientalium figuram rotundam guttulis ejus repræſentantibus. Tantanè hujus *AQVÆ* poteſtas, & ſupereminens bonitas, ut non ſolùm Variolarum, Morbillorum, febris miliaris, dyſenteriæ, choleræ, apoplexiæ, phthiſis, hecticæ Epilepſiæ, Maniæ, Melancholiæ, & qui confusè alii recenſentur periculoſi ac deſperatisſimi Morbi, absque divinæ benedictionis mentione illorum fermenta extinguat morbifica, ſed & reſtauret errores irati ac ſuccenſi Archéi, ut in hâc ſuas reperiat delicias, adeoq; exinde Medicinam quandam univerſalem nobis imaginari velimus? At forſan, ſi per ſe non ſatis fuerit ſufficiens, præſtiterint aliunde petitæ *Tinctura, Eſſentiæ, Mixturæ, Lapis bezoar, Magiſteria Perlarum, unicornu, aut aliorũ pretioſorum* huic nupta, vel *Naturæ in ægris bonitas ægrorum confidentia, vulgi applauſus, Morbi benignitas, declinatio, & quæ ſexcenta alia.* Et quantum confidentia ægroti in „ Medicum, licet ipſius Medicamenta „ interdum ne nuce caſsâ quidem ſint digna, faciat ad ejusdem reſtitutionem, patet ex hiſtoriâ, quam recenſet *D. van* der Mye *in tr. de morbis Bredanis*, ubi Peſtis tantoperè fuit graſſata, ut omnibus ferè Medicamentis abſumptis Medici ad aquas deſtillatas tantùm reſiduas ſubterfugium quærere denique coacti fuerint, quas tanquam Panaceã cochleatim propinârunt, ne omni Medicamento aliquid ſaltem agentes eſſent deſtituti, & malignitate Peſtis aliàs declinante & remittente in tantum hiſce profecerunt, ut omnes ferè, qui iſtiusmodi aquis uſi fuiſſent, fuerint reſtituti. Hiſce concesſis, *Aërnè tam ſterile ac effœtum ELEMENTUM*, ut nullos ex Pandorâ ſuâ depromat fructus, perpetuo ac minus interrupto Ignis ætherei nectare prægnans? Minimè; Nam absque hoc omnia ſublunaria, & quæ in hâc rerum univerſitate continentur, collabaſcerent ac omni orbatâ fœcunditate perirent. *Aqva* nudũ cadaver foret omnis fertilitatis expers, niſi quidam igniculi ſeu fermenta ab *AERE* ipſi communicata hujus clavis eſſent. Quid autem illud ſit, quo *AER* veluti turgeat, tanquam omnium rerum ſeminio juxta *Sendivogium in tract. de Tartaro*, & quid occultus vitæ cibus, quidque Aquam imprægnet, hîc plus conje-

ctura, quàm veræ ſcientiæ debemus. Mechanicam ſi conſulimus, in *Aëre* Salem cryſtallinum fixum & volatile deprehendimus ex Sale Terræ centrali ab Aſtris elevatum, hoc ſive animam aut Spiritum univerſalem, *AZOTH* appellites, perinde eſt. Ex aqua pluviali Terra flava ſ. a. parari poteſt, hæc radiis expoſita lunaribꝰ *Spiritum Aëris ſic dictum* ad inſtar elegantisſimarum micantium ſtellarum vi Magneticâ attrahit, ex quo cryſtalli confecti in Spiritum cum multiplici ſupra Caput cohobio redigi poſſunt. Silices calcinatos nigros, dum adhuc calent, Aëri committe, & humiditatem repagulis ſolutis abundantisſimè attrahent, quã per retortam deſtilla & Caput denuo aëri committe ad attrahendam humiditatem, in quâ ſi Sal nitrum ſolvas & coagules, coagulatum tantas acquiret vires, ut duplo vel triplo plus fulminet, quàm ante impraegnationem, quæ tamen ſæpius repeti debet. *Burrhus* per duos integros años ejusmodi collegit aquã adminiculo capacisſimi cujusdam filtri vitrei, cujus orificium inferius clauſum, glacie repleti & radiis ſolaribus ſubjecti, cum in aëre catervatim natantes vapores ad filtri latera & exteriorem ejus ſuperficiem delati in vitrũ ſuppoſitum à Solis fervore immune deſtillarent, tàm magnam hujus aquæ ſibi comparavit copiam, ut ſalem cryſtallinum inde paravit. Ipſus ego (quod propriâ experientiâ domeſticâ habeo certum) pronuper aquam mediante quodam attractivo peculiari ex *AERE* collegi, quæ per aliquot dies radiis commiſſa ſolaribus in medio atomos ſcintillantes præſentat, relictis in fundo cryſtallis elegantisſimis texturæ variæ. Hæc utut verisſima, nec facilè in dubium vocanda, tamen inde tantam ejus virtutem ac poteſtatem colligere nequit, ut pro omnium morborum venditarem Medelâ & totius Naturæ reſtaurativo remedio. Hoc ſanctè teſtari poſſum, me tàm hîc locorum, quàm alibi omnis generis febres & alios ex ſcoriis feculentiis ortos curâſſe Morbos cum divina benedictione dicto meo liquore ex Aëre collecto, quod autem pro Panaceâ habere unquam auſus fuerim, nemo mihi imponet, optimè conſcio, quid ſibi *Panacéa vel Medicina univerſalis* velit; Si enim omnes curaret Morbos, deberet etiam omnium Morborum fermenta ſuo proprio fermento, quod Sal volatile, Terræ centrale dicimus, extinguere, jam, quomodo fermentum unius rei omnia deſtruere & expellere poteſt? Quidam Morbi ſunt à defectu ſeu narcoſi Spirituum, ut apoplexia, Syncope, Lipothymia, Lethargus, Carus &c. quæ fiunt à fermento narcotico & veneno anodyno Spirituum diſperſivo, Quidã Morbi fiunt à conturbatione Spirituum, ut dementia, Mania, Melancholia, Phrenitis, Vertigo, &c. à fermento

mento furioſo, rotante, &c. Febres fiunt, ut & variolæ, Morbilli ac miliares &c. à fermento febrili maligno interdum ac venenato, quomodo igitur hic *SPIRITUS MUNDI* omnibus Morborum generibus eſſe ſufficiens poſſet? Licet etiam omnia fermenta eò colliment, ut conſpurcando, perturbando & exauctorando Archéum operentur, & ſic, ſi non unum, ſaltem pauca ſufficerent remedia, attamen omnes morbi ſpecificâ ſunt diſtincti differentiâ adeòque plura, quàm unum, requirunt remedia. Si quis hiſce armis mihi inſultaret, neſcirem ferè quo propugnaculo aut effugio me abſolvere valerem, niſi uniformitatem Naturæ adſciſcerem. Præterea, *qværimus ulteriùs*, quid præter hoc Sal cryſtallinum volatile in *Aëre* contineatur? ſciendum eſt, *æthęream etiam Subſtantiam* per hunc eſſe diſſeminatã, cujus beneficio Natura indefeſſum quaſi cœli ac terræ commercium veluti admirabilem totius Mundanæ machinæ harmoniam fovet; At materialis hæc non eſt, ut inſtar aquę ex aëre colligi posſit, ſed ſimplex eſt, & inviſibilis, ac ab omni corporis mole libera, omnia replet & illuſtrat nec tamen diviſibilis aut cum materiâ miſcibilis. Hæc ſubſtantia eſt ſubjectum omnium cœleſtium influxuũ ad hæc inferiora, eorumque impresſiones ſuſcipit & ad intimas quasq; cujusvis Naturæ corporum partes defert. *Vid. Papinius in diſſertat. de Pulver. Sympathetic. Hanc Subſtantiam portat ventus in ventre ſuo. Hermes in tabulâ Smaragdinâ. Hæc eſt Ros de nocte, de die aqva rarefacta, Sendivogius in Epil. 12. tractat. In hâc eſt Spiritus vivus omnium creaturarum & reliqvorum Elementorum, ſine eâ aqua putreſcit, Ignis extinguitur, Terra ab eâ nutritur impragnatur & conſervatur. &c. tr. de Sulphure.* Unde & *Petrus Johann. Faber in Pallad. Spagyr. Singulis horarum momentis vita è cœlo in terram per aërem defluit, ibiq; mixtorum compoſitionibus conſervatur, ut hinc, tanqvam ex communi viventium promptuario viventia omnia & ipſe homo vitam capeſſat.* Hanc ſubſtantiam *æthęream Nobilisſ. HELMONTIUS* vocat *magnale magnum* de Magnetic. *Vulnerum curatione* §. *151.* Inter corpus & non corpus medium ambigens externorum ſoli ſui natalitii aſtrorum impresſiones ſuſcipiens refert in. *Paradox. ſecund.* §. *12.* Per hoc blas Aſtrorum immediatè ac ſine impedimento quaquaverſus & inſtantaneo motu extenditur. *in tr. Vacuum Naturæ* §. *22.* Adeoque videtur hæc ſubſtantia pro *Spiritu* quidem habenda, ſed accepto Vocabulo *Spiritus Metaphyſicè ac Logicè*, ut ſuprà ſtatim in anteceſſum præmonuimus; eò quod omnis molis corporeæ expers corporeę ſubſtantiæ contradiſtinguatur nullo-

nulloque receptaculo comprehendi, nedum ut ex Aëre inſtar Spiritus colligi poſsit, infinitorum morborum medela.

Hîc porrò qværitur; *qvid de Confortantibus communiter ſic dictis propriè ſentiendum ſit?* Cum in omnibus ferè affectibus virium diminutio ut magis urgens curativam ad ſe trahat indicationē & ante omnia roborantia & confortantia ægris offerenda ſuadeat, non mirum ipſos ægros & adſtantes etiam Medicos ſæpisſimè ad talia ordinanda inſtigare. At, ſi ex illis quæras; quænam ſint iſta confortantia? Varia allegant linguæ blandimenta, condita, & Spiritus aromaticos, utrum ægris nociva fuerint, an ſecus, nullo modo attendentes. Quin imò, quod ſæpè etiam nonnulli Medici hâc in parte ipſis ſuffeni ſint, illorum adſenſum confirmantes per præſcripta dulcia Electuaria, Julapia, Sirupos, Emulſiones, & quod magis Sacharatorum cacoëthes eſt. Verùm non intelligunt iſti homines, quod hæc blandimenta linguæ ſæpè ſint nocumenta ventriculi; ecquæ enim hæc confortantia? quæ perſtite morborum fomite adminiſtrantur; quomodo civis ſe fortificabit, qui hoſtem domeſticum ſe potiorem penes ſe receperit? Si morbus robuſtum, ac benè valentem conſternat, quomodo fortificari permittet jam conſternatum? Non loquor hîc de cordialibus ſpecificis, mitto etiam illa, quæ Spiritus reficiunt, illuſtrant, & illorum reſolutionem prohibent, hæc ſuo non ſunt defraudanda æſtimio; Sed de abuſu confortantium noſtra eo cenſura, ideoque nobis hoc loco confortantia ſunt talia Medicamenta, quæ ſubactâ causâ morbificâ robur viſceribus afflant, & illorum fermenta, ſi qua debilia fuerint, corrigendo & in priſtinum vigorem reſtituendo Naturam iterum conſueti ſui memorem reddunt officii. Quâ in re ipſum *CL. Sennertū habemus ſuffragantem in Paralipom. ad Inſtitut. p. m. 79. monentem confortantia ejusmodi Medicamenta eſſe debere, quæ facultatis cujusq; inſtrumenta, quæ ſunt partis cujusq; Subſtantia, temperiem, & Spiritus conſervant & inſtaurant, & cauſas eas demolientes tollunt, adeoqve ſemper ad cauſam Morbi & virium debilitatis reſpiciendum eſſe, & cavendum, ne, dum palato ægri inſervire & Spiritus reficere volumus, cauſam morbi, & ita ipſam virium debilitatem augeamus, inprimis per iſtiusmodi res, qvæ toto genere exoticæ ſunt, nec unione ſymboli cum Spiritibus conveniunt, nec debilibus viſcerum fermentis grata ſunt.* Conſueta julapia ſine connubio Spirituum acidorum prævalentium, Electuaria, Emulſiones & alia ejusdem farinæ facilè fermenteſcentia quod concernit, certum eſt, hæc ſanis & in declinatione febrium

brium jam conſtitutis, ubi fermenta viſcerum in priſtino jam iterum ſunt aliquo modo conſtituta vigore, eſſe admodum grata, *teſte ipſo Galeno comm. 5. in 6. de Morb. vulg. text. 14. Ægris tamen horrida fieri, & in pleriſq; Morbis ſtomachi & uteri hoſtilia; Soli namq; extra naturalem ſtatum conſtituti, amaris, acribus, & acidis delectantur.* Μόνοι γὰρ οἱ παρὰ φύσιν διακείμενοι πικροῖς καὶ στρυφνοῖς, καὶ ὀξώδεσιν χαίρουσιν. In aliis adjunctę medelæ opē non rarò faciunt ridiculam, fermento ſtomachi è diametro adverſantur, adeoque digeſtiones faciunt difficiliores. Saccharum cultro chymico diſſectum ex unâ parte in Spiritum abit ardentisſimum, ex alterâ reſiduâ in Sal corroſivum; quid futurum in morboſo ſtomachi apparatu? ubi omnia ſui juris fiunt, nec alterius ſubdita fiunt clientelæ; in cruditate nidoroſâ inſtar Prothei transmutabitur in ſcorias Sulphureas; in acidâ in Sal abibit corroſivum; unde nullū dubium Salia acida peregrina ſcorbutica à Saccharatis exaltari, & inde viſcerum obſtructionibus majorem anſam præberi; fermenta item febrilia ab hiſce augmentum ſumere. *Cui rationi jamdudum Heinricus ab Heer lib. 1. obſ. 5. ſubſcripſit, certum eſt, inqviens, qui in febribus ſæpè Sirupos, conſervas, & alia Sacchara medicata, qva pleriq; præſcripſerunt Medici, ſumſerunt, ad plures ſive Alibantas iviſſe, ſacchare enim facilè bileſcente febri pabulum præberi certè ſcio. Unde & Avenzoar ſcribit, citante Mercuriali, eos, qvi frequenter utuntur dulcibus, vix ſervari poſſe.* Ecqui illud, quod ipſum ſemper ad fermenteſcendum pronum, alia à fermentatione & corruptione prohibebit? *Vini & aliorum Spirituum aromaticorum uſum qvod concernit ad virium languorem reſtituendum, ſummâ cautione opus eſſe inprimis in Febribus Ardentibus monet Riverius de febrib. peſtil. p. m. 121. Si calor intenſior, corpus calidum & ſiccum, etiamſi materia ſit cocta, ſed copioſa non modo in principio, augmento, ſtatu, ſed & in declinatione à vino & aliis Spiritibus generoſis abſtinendum eſſe.* Nimis enim hi ſubito in omne corpus penetrant, caput tentant, facilè inflammantur iterumque corpus inflammant ac Spiritus accendunt ac ſubitò diſſipant. *Sennert. de Conſ. & Diſſ. c. 18. p. 357.* Unde Febrilis ebullitio magis poteſt in prohibendo, quàm virtus in indicando. Summâ tamen Prudentiâ Medicâ hîc apprimè opus eſt, ut Morbi Natura & ægrotantis temperies exactè cognoſcatur; Ex his enim vini & Spirituum exhibendorum indicatio deſumenda eſt: Si namque calor febrilis ſit admodum exiguus, venenata verò qualitas plurimum intenſa, & corpus ægrotantis pituitoſum, tutò & feliciter vinum & alii Spiritus,

tus alexipharmaci exhiberi poſſunt, ſed cum aliis lymphati. Contrà verò, ut ſuprà dictum, in febre intenſâ & bilioſo corpore talia indifferenter exhibere perincioſum eſt. *Qvamvis Zacutus Luſitan. l. 1. Prax. admir. obſ. 93 referat, ſe in febre malignâ, præſente ſiti intenſâ cum lingvæ ſiccitate & nigredine ægro jam deſperato vinum exhibuiſſe feliciſſimo cum ſucceſſu, ut hoc ſolo remedio reſtitutus fuerit. Id qvod & Th. Bartholinus c. 6. hiſtor. 7. confirmat*; Verùm *hîc Celſi ſententiam adducere non alienum eſt. Sæpè qvos ratio non reſtituit, temeritas adjuvat. Vid. Fr. Antonium Caſertam lib. de Uſu vinor. qvæſt. 15. Helmont. de Febrib. c. 12. §. 7. P. Poter. lib. 2. de Febrib. c. 28.*

MEDICAMENTA ALTERANTIA demum etiam qualitatibus occultis ſuas perficiunt operationes. Huc pertinent partim *Alexipharmaca ſeu Antidota*, quæ fermenta venenata exſtirpant, inteſtinas calamitates microcoſmi ac ſeditiones ſedant, & ſerenitatem priſtinam inducunt. Horum vim ſpecialiùs determinat *Marcus Marci p. 434. inqviens: Antidota medelã præſtant, qvia nimirum vel à veneno ideas noxias exigunt, vel penitius miſtum iſtud deſtruunt, vel demùm Archéum per amicabiles ideas alloquuntur, & ſolando furorem exuere procurant.* Et quicquid agunt, etiam præcipitãdo faciunt vel poſitivè vel privativè; Suntque vel communia, vel propria & ſpecificà. Quibus totius ſubſtantiæ ratione huic vel illi parti cognata, & huic vel illi Morbo contraria ſunt. Quæ & *ipſe Galenus* rectè contra antiquos quoſdam illud negantes atque irridentes defendit *1. de Comp. Medic. ſec. gen. cap. 1.* quæ *Medicamenta* ob id *ſpecifica vel appropriata, & roborantia* nominantur, eò quod propriè, immediatè & efficienter in competenti ſive appropriato, per quod nempè Natura à ſuo caſu reſurgit, conſiſtant, ſeu, ſunt ejusmodi remedia, in quibus Archéus noſter ſuas reperit delicias. *Cl. Helmont. in tr. Natur. contrarior. neſcia § 42. Qvemadmodum igitur Alexipharmaca qvalitate qvâdam occultá à totâ ſubſtantiâ promanante contra venena, aut venenatos Morbos agunt, qvam dotem illis juſſus ſeu FIAT verbi conditoris liberaliſſimâ bonitate in poteſtatum vitalium conſtitutâ cuiq; dierum ſerie Spirituum attenuatione dilabentium ſolatium indidit, & ſuo veluti ſigillo inſculpſit: Ita & cunctis aliis morbis, qui omnes ferè ad mentem doctiſſimi & acutiſſimi HELMONTII venenatæ cuidam ideæ originem ſuam debent, Divina Munificentia ſua creavit Antidota vel ſpecifica Medicamenta, totâ ſuâ ſubſtantiâ illis contraria, vel oppoſita, Naturæ autem grata & amica; Et proinde, inqvit Excell. Zwelfferus in append. ad animadverſ. non frigida*

ut fri-

ut frigida morbis æſtuantibus vel calidis ſemper opponenda, ſed præſtat probata ſpecifica, morbisq; totâ ſuâ ſubſtantiâ contraria in uſu habere, quàm nimium generalibus qualitatum primarum regulis ſolum niti. Sennert. de Conſ. & Diff. c. 18. pag. 349. Nam cum calor, ut calor, non ſit ipſe Morbus, ſed potius morbi aut materiæ morbificæ productum, ſive Archéi noſtri niſus conans peregrinum expellere hoſpitem ejusque materiam conjunctam, ad hanc potius Medicamentum dirigendum eſt *Arnoldus de Villà novâ doctr. 2. aph. 40. Petræus in Noſolog. p. m. 38.* Nec obſtat ſingulos Morbos, & ſingula Morborum ſymptomata à cauſis diverſis produci, nam quamvis ſinguli morbi & ſymptomata ſingula à diverſis proveniant cauſis, diverſa etiam ſunt ſpecifica, quæ iis opponuntur, ſic affectûs capitis à causâ calidâ curantur per ſpecifica frigida &c. Nec ſecundò obſtat, quod nullum remedium hactenus inventum ſit, quod in aliquo morbo idem ſemper præſtiterit, ſubjecta enim non ſunt eadem, nec cauſæ pares, quapropter illud ſubjectum, in quo Natura fortior à ſpecificis fotum & inſtauratum facilius reſiſtere valet cauſæ non ita válidæ, ac infirmum & debile: Etiamſi tertiò quoque Remediorum quædam e. g. cephalica, ſtomachica &c. non ita uni corporis parti dedita ſint, ut in aliis nihil valeant, negari tamen nequit, unum aliquod remedium uni alicui parti magis prodeſſe, quàm alteri, e. g. Roſmarinus magis conducit capiti, quàm utero. Item quanquam idem Roſmarinus non convenit in omnibus affectibus capitis calidis, prodeſt tamen in omnibus frigidis, ut apoplexiâ, vertigine, paralyſi, tremore &c. Et utilius etiam eſt in capitis morbo frigido adhibere betonicam, roremmarinum, Stoëchad. Arabicum, quàm piper, veronicam, aut pimpinellam &c. Hæc κατ' ἄνθρωπον reſpondiſſe ſufficiant.

Reliquos intemperaturarum à ſtatu naturali receſſus, quos nonnulli etiam inter qualitatum vitia referre ſolent, quod concernit, cum potius ad modum ſubſtantiæ ſpectent Humorum, quàm ad illorum qualitates, de illis infrà acturi ſumus, cum *Humorum motu & loco peccantium* mentionem faciemus.

ALTERANTIA poſtulat tota maſſa ſanguinea. *Primò*, ejus pars ſalina nimium evecta in acidum degenerat, ut aporrhœæ ſylveſtres illius æſtum ac motum promoveant, ut in arthritide vagâ, febribus ſcorbuticis, &c. evenit. *Secundò*, quandò ob fermentum quoddam peregrinum ac venenatum principium quoddam ſanguinis conſtitutivum (ſcilicet Spiritus aut Sulphur) efferveſcit, ut ultra temperiem naturalem evehatur atque efferatum evadat.

dat, ut in febribus ardentibus, & malignis accidit, ubi præter præcipitantia antipyreta etiam alexiteria ſuccenturianda ſunt. *Tertiò*, quandò à cauſâ morbificâ ejus liquoris coagulatio inducitur, ita ut ſubſtantia illius fundatur, ac in partes ſecedat, fiatque craſſi à tenui ſecretio, cujus gratiâ effervеſcentiæ ſolito majores in ſanguine concitantur, ut in Pleuritide, Peripnevmoniâ, Peſte, Lue Venereâ, Variolis, Morbillis &c. Ubi præter reſolventia, alkaliſata moderatè attemperantia & aperientia, etiam appropriata & ſpecifica conveniunt.

Alterationem reſpuunt illi *Humores*, qui à maſsâ ſanguineâ jam ſegregati ſunt, id quod tum ex urinis ægrotantium, ut ſuprà oſtendimus, cognoſcitur, tum ex eo etiam, quod Symptomata omnia remittant, tunc *Alterantia* ſunt differenda, & quò Natura ducit, eò etiam ducat Medicus per loca convenientia, *ἃ δεῖ ἄγειν, ὅκου ἂν μάλιστα ῥέπῃ, ταύτῃ ἄγειν, διὰ τῶν ξυμφερόντων χωρίων. Hippocr. ſ. 1. aph. 21.* Sic ſi materia morbifica ad alvinam pergat regionem, id quod ex ſuis dignoſcitur ſignis, moderatè laxativis; Si ad ventriculum, leniter vomitoriis; Si ad renes, Diureticis; Si ad habitum corporis, diaphoreticis neceſſe eſt ſuccurramus, niſi ſpontaneam ac perfectam Natura inſtituat expulſionem, tunc enim hîc locum habet *aph. 20. ſ. 1.*

Cum incerta dimenſio ſit qualitatum primarum in rebus Medicinalibus, quis enim v. g. exactè noverit, utrum hoc vel illud vegetabile in primô, vel ſecundô, tertiô aut quartô gradu calidum, frigidum, humidum, aut ſiccum ſit, ad amuſſim primum præcognoſcenda, quæ ſecundum Naturam ineſſe debeant, & ſic deinde *Qvantitas Alterationis* proportioni qualitatis alterandæ reſpondeat, & habendus ſemper reſpectus Medicamenti alterantis ad qualitatem alterandam; ideoque ex gradu peccati æſtimanda menſura juvantis, ut *ἰσόρροπον* ſit, & exactè magnitudini lædentis reſpondeat. *Celſus lib. 2. cap. 21.*

ALTERATIONIS quantitas infima & minima eſt, ſi ſemel aut bis in die *Alterantia* præbeamus. Mediocris, ſi ſingulis tribus horis. Summa, quando & Medicamenta & Alimenta cum cæteris non naturalibus rebus ſcopo alterandi accommodata ſunt.

Qvantitatem Alterandi inſinuat etiam magnitudo morbi & contumacia cauſæ; ſi malum mitius ſit, cum levem mutationem vires citra diſpendium benè ac facilè ferant, *κατὰ πολὺ καὶ ἐξαπίνης* ſubmovere licet. At ſi Morbi ſint mediocres aut chronici ſenſim, lentè, & multô

ociò melius depelluntur, quàm violentiâ. *Sed tamen hîc obſervandum, ne nimis lentæ remediorum vires affectui præternaturali ſint ludibrio, ne dum ingentem flammam exiguâ aqvæ portiunculâ extinguere ſatagimus, eandem excitemus. Gal. lib. 5. Meth. Med. 15. & lib. 1. de compoſ. Medic. ſ. l. Alopecias inveteratas & difficulter curabiles cum fortibus curat, incipientes verò & parvas cum imbecillibus. Et ibid. lib. 2. Dolorem ex frigiditate contractum, qvi recens ſit, ſolo rutæ oleo calente ſyncipiti affuſo perfectè ſanari poſſe, in inveterato autem Euphorbii oleo & pharmacis pipere conſtantibus utendum eſſe contendit.*

Quo *Tempore ALTERANTIA* ſint adminiſtranda, reſtat, ut inquiramꝰ, opportunè enim gerit omnia, qui morborum temporibus omnique mutationi remedia accommodat. Ubi duo tempus in ſe complectitur, εὐκαιρίαν ſcilicet, & ἔφοδον. Illam *Hipp.* Animam vocat curationis, & *Galenus* tanti fecit, ut Medicum definire non dubitarit eſſe occaſionis inventorem. *6. Epidem. comm. 5. text. 1.* Communiter petitur ex præſentiâ noxii & abſentiâ eorum, quæ impedire, vel prohibere poſſunt. Hîc ad unguem notandus cum Naturæ, tum morbi impetus, & præter hæc univerſalia morbi tempora. Non deſunt, qui totum ferè negotium Naturæ committunt, expectantes tantum ſigna coctionis à Naturâ factæ, cum tamē illud faciendum, ubi certam ſpem habemus, Naturam ex ſe poſſe cauſam morbificam à maſsâ ſanguineâ ſeparare. At ſi periculum ſit, ne ob tardam operationem Natura à causâ morbificâ cladem patiatur, aut ſegnis, aut imperiti Medici eſt, Morbi *ſtatū* expectare & oneratam Naturam ita oppreſſam relinquere & poſteà virtute deficiente ob morbi vim in morbi vigore velle remedia adhibere. Sic ſtultum *eſt* in Febribus ardentibus malignis vigorem aut criſin expectare, poſthabitis ab initio illis remediis præſervativis & curativis, quæ ſtatim in herbâ venenoſitatis malignæ fermentum extinguant. *Ah utinam Medicus Naturæ miniſter confermentationem hanc virulentam Naturæ ſolius humeris bajulandam non negligeret, & ſub principio in illam ſpumantem ſanguinis ebullitionem tranſire non permitteret, qvam tandem Natura ſtudioſa ſuæ conſervationis & ſola Medicatrix per vias ſibi ſoli (nunquā tamen, niſi ſeqvaci Medico) cognitas expedire cogitur. A. Knöfel, in Meth. Med. febr. Epidemic.* Sunt aliâ ex parte alii, qui uno & eodem tempore multa inter ſe contraria omnibus ferè corporis membris remedia apponunt, quorum tamen diſcordia evidens non rarò affert nocumentū, & ſic ægros perimunt. Sunt ergò in principio & augmento *Alterantia* nobis

nobis dicta ſummo cum Medici judicio in uſu habenda.

In *Chronicis Morbis ALTERANTIA* ad quadraginta circiter dies continuanda, & ultrà; hinc vanum conjicimus illam vulgatam Medendi Methodum, quæ quinque aut ſeptem ad ſummum dies in chronicis pro ſirupis aut julepis præſcribit ad humorum digeſtionem, parum edocti illi, quid velit Hippocraticũ illud, *τὰ σώματα χρὴ, ὅκου ἄν τις βούληται καθαίρειν, εὔροα ποιέειν. P. Poterius Cur. 1.*

Quoad *Ordinem*, qui in pluritate agendorum tantum regnat; ſi unicum ſolitarium ſit alterandum, ſimplici expiari debet remedio *Alterante*. Sic ſi æſtu ſaltem incanduit corpus, frigidis rebus vel actu vel potentiâ talibus ad priſtinam tantum reducatur temperiem. At ſi plura adſint, perquirendum, an conſentiant, vel diſſentiant. Si conſentiant, vel ſimul, vel ſeorſim ab utrovis incipiendo tractare licet. e.g. Si acidi, crudi & auſteri humores fermentũ hepatis obtundant, & obſtructio unà ibidem conjungatur, humores iſtos digerere ac præcipitare licet, relictâ obſtructione, & obſtructionem tollere relictis iſtis humoribus, vel eodem Medicamento Martiali utrumque tollere. Quod ſi planè diſſentiant, & ad contraria Medicum trahant præſidia morbi complicati, tum nec huic prorſus, nec *illi*, ſed utrique mediocritate quâdam ſuccurrendum, ne uno ſublato ſuperſtitem exacerbemus. Hoc conſilio in ventriculi frigidâ & jecoris calidâ dyſcraſiâ temperata mixtim, vel alternatim exhibenda. At, ſi partim congruant, partim repugnent, ab illo exordiendum, cujus Medicatio alteri ſi non prodeſt, tamen nec officiat, ut in Ophthalmiâ cum nebulâ, ſiquidem hæc acribus detergenda ſit, nec perferre poſſit inflammatio, primùm phlegmone compeſcẽda fuerit, deinde auferenda nebula.

Hæc utut in *Methodo* curandi *ordinariâ & legitimâ* locum ſuum habeant, attamen, ſi indicationes contrariæ concurrant, præ omnibus habenda eſt ratio illius, quod magis *urget*, *ex Gal. lib. 7. Meth. cap. 12. & 1. ad Glauc. 14. & 11. Meth. cap. 1.* Methodo ordinariæ ſi inſiſtamus, initium curationis ſemper à causâ faciendum eſt, quâ remotâ tolluntur Symptomata. Sed ſi hæc maximè urgeant, & ſuâ ſævitie vires proſternant, ab iis exordiri curationem oportet, poſtmodum, unde reliqua mala dependent, peragenda ſunt. Et hæc *curatio illegitima & extraordinara* meritò dicenda eſt.

Urgere autem dicuntur, quæ cætera nocumenta ſuâ vel magnitudine, vel cacoëthia, vel lædendi vehementiâ vel celeritate exſuperant, ægrumque non ſine gravioris noxæ vel necis formidine fatigant & proſternunt

ſternunt. Hîc periculum in morâ. Itaque ſuſpensâ reliquorum medelâ hujus furor compeſcendus, tum reconciliatis viribus capita ſeditioſi hujus tumultus reſcindenda. Sic e. g. nullum eſt ſymptoma, quod magis vires enervet, quàm dolor, adeò ut ſæpè Natura huic ſoli intenta diſtrahatur, officinas coctionis deſerat, facultatem expultricem retardet & ita varias in corpore humano excitatas turbas, hic, ſi gravis ægrum corripiat, antè omnia prius ſedandus, ut hoc lenito recreantur vires & poſtmodum melius remediorum vim tolerare poſſint. *Unde Avicenna 4. 2. doctr. 5. cap. 1. cum ad diverſum trahere volueris membri, inqvit, à qvo protrahis, dolorem prius ſeda.* Hoc intelligas, ſi dolor eſt ſævus: nam tunc attrahit ad ſe curationem totam, & relictâ causâ illi ſolùm obviandum. Quæ cauſa eſt, quod & ipſe *Gal. 2. de vict. acut. 1.* pro curando dolore Pleuritico prius ante V. S. fomenta adhibet. Ponamus ægrotum crebriore immaturarum uvarum uſu plurimum materiæ vitioſæ in inteſtinis accumulâſſe, atque inde vi ſuâ acidâ ac ſtipticâ inteſtinis hoſtili difficultatem alvi conciliâſſe. Accurrat humor alius ſcoriis alkaliſatis Sulphureis tinctus & fermento concepto exotico ebulliat, certè incredibilis illicò propter innatum alkali ſcoriis Sulphureis imprægnati & aciditatis diſſidium corruptis ventriculi & bilis fermentis in gyris illis & mæandris ſinuoſis orietur ebullitio, qualis ſæpè oritur, dum Spiritus miſcemus invicem contrarios; Hinc adeò miſerabilis ſequetur ventriculi & inteſtinorum carnificina, ut etiam in lipothymiam ſæpè ægri incidant, niſi factâ Spiritibus contrariis viâ ex anguſtis inteſtinis ad articulos, muſculos, vel cutem prorumpant, inq; Pareſin vel icterum degenerent. Ad talem tumultum ſi vocetur Medicus, quid ille acturus? Num ab ovo curationem longâ ſerie deducet? Nũ imbecillibus eccoproticis prius inimicorum potentiam incerta viarũ explorabit, & inanem emollientium, reſolventium, diſcutientium turbam purgantibus præmittet? Sic quidem pilum in ovo, & camarinam movebit, verùm nihil promovebit. Quid igitur? quamprimum ſcilicet Archéum furioſum ſuaviſſimis Sulphurum popiſmatis demulcebit, quibus ebullitio extinguetur & furor Archéi ſedabitur, quo facto, tum demum ordine ſuo cætera convenienter adminiſtrabit. Et hâc ratione non tantum Pareſin, Epilepſiam, & alios pericuoſos affectus præcavebit, ſed & Naturam compoſitis fluctibus animabit, proprio ut Marte ab impuritatibus illis morboſis ſeſe liberet, aut ſaltem commodius, ut Artis ope relevari queat, efficiet. Symptomatum enim ac

Morborum ſyndrome in unitatem Archéi tanquam in pugnantem pugnam tunc contrahetur. Parile ſtratagema in febribus malignis, in præcipiti materiæ noxiæ ad nobile viſcus defluvio vel orgaſmo, uterinis paſſionibus, hemicraniis, epilepticis paroxyſmis & id genus aliis militat. *Johann. Fernelius de Meth. Med. lib. 1. c. 6. Zacutus Luſitan. in Introit. ad Prax. pr. 18.*

Magni etiam momenti eſt in Praxi, primò per gradus incedere; Ideoque *Alterationes* pedetentim inſtituendæ, ita ut non incipiamus à gradu ſummo, hoc eſt, tertio, aut quarto, ſed à primo, & progrediamur ab hoc ad ſecundum, ab hoc ad tertiũ, ſi priores duo non profecerint, aliàs Natura ſummo gradui facilè adſueſceret, & poſtmodum levioribus non juvaretur. *Deindè* in Medicamentorum Alterantium exhibitione, ut ſuprà etiam *ex CL. Sylvio* innuimus, variare, tum quia Natura aliàs alia deſiderat, tum quia uni adſueta parùm amplius ab eo movetur; Et periculum videtur, ne tam longo unius Medicamenti tam validi uſu totus corporis habitus nimiũ exſiccetur. *Nec obſtat aph. 52. Hipp. ſ. 2.* πάντα κατὰ λόγον ποιέοντι, καὶ μὴ γινομένων τὸν κατὰ λόγον, μὴ μεταβαίνειν ἐφ' ἕτερον, μένοντος τοῦ δόξαντος ἐξ ἀρχῆς. Diſtinguendum enim eſt inter ipſam remedii indicationem, & inter materiam remedii; Si enim indicatio remedii ratione rectè fundata fundamentum habeat in præſente morbo, facilè immutanda non eſt manente eodem morbo, de quâ etiam loquitur locus citatus: At materia remedii, dummodo in illâ eadem remaneat virtus, ſæpè mutanda eſt, unde *& Averrh. lib. 1. c. 2. ait: concedo, qvod Medicus de unâ Medicinâ ad aliam tranſire posſit & debeat, qvoniam ſi ſolâ unâ uteretur, posſibile eſſet, quod in habitum converteretur. Et Avicenn. 22. 3. tract. 2. cap. 7. Scias, ut permutatio fieri debeat cum Medicinis, quandoq; enim eſt Medicina conferens uni membro, & non aliis, qvandoq; confert in unâ horâ, deinde poſt illud nocet. Sunt enim plurimæ proprietates occultæ, ob qvas accidit, ut plus hoc membrum hoc auxilio, quàm alio adjuvetur.*

Hîc *Ordinis ratio* requireret, ut etiam de ipſis *ALTERANTIBUS* manifeſtis qualitatibus tam internè, quàm externè operantibus jam in ſpecie tractaremus; Verùm cùm hiſce pasſim Volumina Medica ſatis abundent, ad hæc Benevolum Lectorem remittimus, monituri tamen intereà, *primò*, illorum uſum in intemperaturis cerebri, pulmonum, ventriculi, hepatis, lienis, renũ ac uteri, ſive formaliter, ſive virtualiter ſeu effectivè, tam internè quàm externè agant, debere eſſe moderatum. *Deindè* cardiacis & reliqua viſcera

viſcera confortantibus ſemper eſſe addenda modicè adſtringentia, odorata & pro ratione circumſtantiarum bezoardica. *Tertiò*, cuivis morbo ſuum appropriatum & ſpecificum potius eſſe applicandum remedium, quàm ut qualitates Elementares ita ſimpliciter attendantur. Medicina enim potens à proprietate conferre melior eſt, conferente virtute complexionis. *Arnoldus de villâ novâ doctr. 2. aph. 40.* *Qvartò*, dulcibus in hepatis ac lienis morbis utendum non eſſe; proditoriè enim diſponunt hæc viſcera ad malum, dum ambo ab his intumeſcunt; nec in febribus, cujuscunque generis, nec in uteri affectibus tutū eſſe illarum uſum, in illis enim major concitatur inde fermentatio; in his autem ejus ſopitus furor ad majorem movetur incandeſcentiam. *Qvintò*, nec acida utero eſſe tam internè, quàm externè offerenda, quia pungunt hoc membranoſum & nervoſum corpus, ac caloris vim ferventem in conceptu & ſemine infirmant, ac pervertunt, quò accedit etiam, quòd menſes ſiſtant. Ideoq; nihil reliqui jam eſt, quam ut de ipſis agamus *ſpecificis* cuivis morbo appropriatis, *tam internis, qvam externis.*

Anticephalalgica Specifica Interna.

In *Omni dolore Capitis* tanquam arcanum appropriatum commendatur *Verbena à Gal. 2. Compoſ. Medic. ſ. 1. c. 1.* Ideoque ejus eſſentia aut aqua deſtillata cum Spirit. Vitrioli Philoſophico ſtriato à gutt. v. vj. ad ℈ß. ante & pomeridianis horis valdè conducunt. Et ſi *dolor capitis ex utero ſpecifica uterina* addenda, ſi ex *morbo Gallico Medicamenta Venerea* immiſcenda, ſi à *morbo Hungarico, alexipharmaca, & ſi à Scorbuto, anti-ſcorbutica* ſunt adjungenda.

Liqvor ex radicibus nucis juglandis primò vere per inciſionem emanans propinatus magno cum ſucceſſu exhibetur in doloribus capitis. Eſt ſingulare experimentum nuper in Angliâ detectum, *teſte Th. Barthol. c. 3. h. 97.* in doloribus Arthriticis mira etiam præſtat.

Externa.

Verbena tota contuſa & capiti impoſita, vel particula ejus, vel tota cum radice, collo è filo ſuſpenſa ut radix ſurſum vergat, tale amuletum eſt, ut hâc ſolâ *Foreſtus* duos ægros ſanaverit, cum multa remedia fruſtrà adhibita fuiſſent. *Verbena* tamen primum cum terrâ, cui adhæret radix, eruenda, poſteà radix prehenſa ipſa per terram ordine inverſo ducenda eſt. *Hartmannus.*

Radix Plantaginis collo ſuſpenſa dolori capitis à proprietate medetur.

Hedera

Hederæ folia mollia fronti & temporibus apponenda.

Sempervivum majus applicatum cervici & occipiti in ſubſtantiâ ac ſucco. Inprimis in febribus ardentibus ſuâ non caret laude.

Paracelſus laudat *ſuccum cancrorum fluviatilium* expreſſum & temporibus applicatum, ſcilicet in malignis, v. g. Morbo Hungarico, & eſt optimum Medicamentum.

Lapis Amethyſtus dolori ex ebrietate contracto reſiſtere creditur.

Emplaſtra etiam ex gummatibus in Nuchâ geſtata proſunt. Th. Barthol. c. 5. hiſtor. 25.

Antidinica Specifica interna.

Ex regno vegetabili.

Herba cherefolii cum cibis adſumpta, ejus ſemen, & eſſentia in juſculo vel aq. appropriatâ.

Cubebæ ſaccharo obductæ in cibo.

Extractum Scorzoneræ.

Eſſentia fl. anthos.

Semin. aquilegiæ ℨj. in quâvis vertigine ſumptum magni æſtimatur.

Semen Carui cum vino deſtillat. *Crato commendat. & D. D. Oheimius.*

Radix auriculæ Urſi, & Doronici, quas venatores Damarum in alpibus comedere dicuntur. Ultimam illam funambulo quidam asſiduo uſurpavit, & pro ſecreto habuit.

Carpobalſami ℨj. cum aq. cherefolii diſſoluta.

Ex regno animali.

Rec. *Pavonis* fimum, & cum aq. vit. ſ. q. diſtempera, eoque utere in potu tribus vicibus matutinis. Fimus verò pro quâlibet vice ſufficiet ad ℨj. Et ratione ſexus debet ſumi à novilunio usque ad plenilunium. *P. Borellus c. 3. obſ. 98.*

Electuarium præſentaneum fit *ex cerebro paſſeris & vituli.*

Ciconiarum integrarum Eſſentia, quæ fit per digeſtionem cum Spirit. Vini, poſtmodum deſtillatur, & demum Sale earum volatili imprægnatur; doſis ad gutt. iii. cum vel ſine ſudore; & ſignatura hoc atteſtari videtur, cum hæ aves in aëre ſæpè creberrimo circumgyratu volitent.

Funambulo quidam pro ſingulari Arcano habuit *pulverem ſciuri*, quem pretio & precibus vix ab eo extorquere potuit *D. D. Michaëlis.*

Ex regno minerali.

Cinnabaris nativa & Antimonii, ac ex illis parata Medicamenta ſpecifica.

Externa.

Pingvedo Ciconiarum, Damarum, Serpentum temporibus illita à ſignaturâ commendari videtur, cum illa animalia loca invia adeuntia non fiant vertiginoſa.

Vermis ſericum faciens in pulverem redactus & vertici inſperſus.

Semen Urticæ contuſum & cum

aceto

aceto miſtum fronti ſæpius applica.

Cum *Summatibus majoranæ* in lixivio calido infuſis ſæpius lavandum eſt caput.

Periapti loco geſtanda *corallia rubra, cryſtalli, grana ſuccini albi à collo ſuſpenſa*, vel pocula ex illis conficiantur, vel ea potui immergantur. Nota; vertiginis cauſa proxima eſt inordinatus Spirituum animalium motus; mediata cauſa eſt circulatio ſanguinis in arteriis cerebri in craſſæ meningis ductus diſſeminatis impedita. Circulationem autem impedit Spiritus flatulentus ſylveſtris, qui in cerebrum nonnunquam elevatur cum maſsâ ſanguineâ, ex minerâ quâdam in hypochondriis ſubſiſtente fermentali morbifica. Tum etiam circulationem impedire poſſunt humores ſeroſi, dum à maſsâ ſanguineâ non ritè expurgantur per arterias carotides ad nares & os, inde ſanguis fervidior redditꝰ in oſculis reſtagnat & inordinatum Spirituum concitat motum, inde caput videtur in gyrum verti, & homo vertigine corripitur.

Antepileptica Specifica Interna.

Ex regno vegetabili.

Pulvere *Seminis Saponariæ* ante paroxyſmos ſumpto ſemel in menſe per tria novilunia ad ℥j. obſervavi paroxyſmos valdè minui, tum numero, tum violentiâ; Nota etiam hanc herbam ſignaturam hujus proprietatis habere, ſpumam enim, ſi in aquâ fricetur, ſaponis inſtar emittit (unde ei nomen inditum) ſicque ſpumantibus Epilepticis confert. *P. Borellus c.1.obſ.18.*

Rutæ crucigeræ manip. 1. in vini amphora infuſ. & per tres dies manè ſumpt. idem præſtat. idem. l.c. Vel ejus ſucci gutt. 25. in aq. picar. vel Epileptic. *Lang. Pæoniæ Maris radix, flos & ſemen* quâcunque ratione uſurpata mirificâ quâdam facultate morbi caduci ſeminaria elidunt hominemque ab ejus inſultibus tutum reddunt. Sed radix effodienda eſt in Martio vel Aprili tribus ultimi diebus ☽ decreſcentis ante novilunium, poſt mediam noctem manè ante Solis exortum ☉ exiſtente in ♈ & ☽ in ♂. Alii putant, legitimum colligendi tempus eſſe horam ac dies ſolares, Sole ſcilicet Leonē occupante, ut notat *Zacut. Luſitan. de M. Ph. lib.1.* Tinctura fl. Pœoniæ notæ eſt efficaciæ.

Viſcum quercinum etiam inter ſpecifica refertur, ſed etiam colligendum ☽ decreſcente inter duo Mariæ feſta, nobiliorque illa pars habetur, quæ quercui propior eſt reſecta. *Corylinum* adhuc præſtantius eſt, cujus proles ligni Heraclini oleum, *à CL. Rulando* in hoc affectu tantoperè celebratum; nuces enim avellanæ à veteribus Heracleoticæ, & coryli lignū Heraclinū vocatū fuit.

 Radicis

- *Radicis Valerianæ ſylveſtris* cochl. ß cum aliquo liquore ſpecifico divinum eſt remedium. *Riverius in Praxi p. m. 30.* Hyperici minoris ſanguis die Johannis collectus ſpecificè etiam prodeſt contra Epilepſiam.

Baccæ herbæ paridis ſeu uvæ lupinæ no. v. vel ix. pulveriſ. cum aq. lil. convall. vel til. exhibitæ.

Carbo circa Feſtum Johannis ante Solis ortum ſub artemiſiâ effoſſus.

Nec excludenda *radix Dentariæ ſeu Squammariæ*; aqua ejus crebrioris eſt uſus.

Carduo & Millefolio Crato etiam plurimum tribuit *lib. 1. Conſil. 4.*

Herba *Lunaria, Ros Solis* etiam nomen merentur inter ſpecifica hæc ant-Epileptica.

Aloës fruſtum perpetuò geſtandum, ut cutim attingat.

Spiritus Ceraſ. n. lil. convall. fl. tiliæ. Ligni Saſſafras. in vino. Elixir. Pæon. Mynſicht. Ol. Fuliginis gutt. vij. in aq. lil. convall. *Caducum* ſtrenuè domant.

Ex regno animali.

Cranium humanum deſumptum à violentâ morte perempto, & in quo cerebrum totum conſumptum & liquidum redditum, quale ſuſpenſorum aut rotæ impoſitorum, maximis pollet viribus. *Qvod Paracelſus tom. 1. de cadur. Oſſiculo illi triquetro tribuit, qvaſi hoc ſolum ſufficeret, ſuperſtitioſum eſt.* Ejus Spiritus, Sal volatile, oleum, gelatina majoris ſunt virtutis.

Cerebri humani Spiritus & oleum etiam excellunt.

COR hominis ſcelerati ante interitum terrore perculſi & poſtmodum violentâ morte extincti, pulveriſatum & præparatum ad ℈ß. vel ℈j. adſumptum inſigne eſt ant-Epilepticum.

Ex *ſanguine humano* parata Medicamenta maximè etiam utilia ſunt; nec hoc crudele eſt, & impium, *ut Heurnius putat*, imò in hoc vera eſt hujus morbi ſanatio. *Epilepſiæ curam ſanguine proprio ægroti factam vid. in Th. Bartholin. c. 2. hiſtor. anatom. 78.* Spiritus ſanguinis humani parum quidem differt ab urinæ Spiritu, ille tamen adultorum Epilepſiam curat, hic verò non. *Helmontius tr. de Spirit. vitæ. §. 16.* Ejus Sal volatile eundē dat effectum. Si *Spiritus* hic rectè præparetur & miſceatur cum *Spiritu* Vitrioli tingitur colore cœruleo. Plurimi, qui aliis Medicamentis non potuerunt curari, hoc fuerunt reſtituti.

Eſſentia Mumiæ humanæ.

Pulvis ſecundinæ torrefactæ mulieris primiparæ filium enixæ adverſus Epilepſiam ſtrenuum eſt remedium. *Finckius in Enchirid. Dogmat. Hermetic. p. 41.*

Paracelſus mirificè commendat nigrum corium capitis humani in formâ mitræ.

Cornu

Cornu Alcis vaporatum, ejus Sal volatile & Spiritus magni ſunt æſtimii. *Ungulæ autem Alcis* parum tribuit *Scholzius in Epiſtol. p. m. 60.*

Unicornu verum peculiaris eſt virtutis.

CORNU CERVI, quod à 15. Auguſti usque ad 8. Septembr. colligitur, omnibus palmam præripit ſive crudum, ſive vaporatum, vel in formâ Spiritus, Salis volatilis, vel galredæ; nec minores obtinent vires ex Sanguine Cervi parata Medicamenta.

Pullus Eqvinus, in lucem prodiens vomitu materiam rejicit, quam niſi quis præripiat, mater ſtatim devorat. Hæc materia ſiccata & pulveriſi à morbo hoc liberat. *Donzelius in Conſil. à Scholtz. edit. lib. 5. conſil. 138.*

Eſus Jecoris Lupini perfectè curat Epilepticos. *P. Borellus c. 2. obſ. 95. Caro Lupi in pulverem redacta juvat hyſtericos Epilepticos River. c. 2. obſ. 31.*

Pavonis ſtercoris pulvis ad ℥j. Lunâ ſilente deglutitus præſtans eſt remedium per aliquot menſes ſemel in menſe ſumptus. *Idem c. 3. obſ. 15.*

Pinguedo Cuniculi violentâ morte occiſi recens liquata & gutt. 5. vel 6. in aq. picarum vel hirundinum propinata certo experimento juvat. Singulare ſecretum habetur in hoc *Affectu Fel catelli nigri lactantis* (pro fœmellâ Epilepticâ ſubſtitue catellam) ſtrangulati cum liquore convenienti exhibitum. Hujus beneficio Ducis Buckengami filius eſt ſanatus. In Angliâ hoc eſt uſitatisſimum, *atteſtante D. Schlegio.*

Lotio Vaccino Ruſticus quidam apud *Libavium* de deſtill. ol. & aq. filiam Epilepticam curavit.

Veſica apri cum lotio in furno ſiccata.

Vituli coagulo Epilepſiam quidã curare volunt.

Stercus Leonis exſiccatum & pulveriſatum egregium eſt ant-Epilepticum, & ejusdem Spiritus adhuc præſtantior non omnibus obvius, ſed principibus Viris tantùm ſingularis. Doſis à gutt. iij. ad v. vel ℈ß. in convenienti liquore. Ex hoc Spiritus ant-Epilepticus Dresdenſis conficitur.

Caſtoreum hîc etiam ſuo dignum eſt encomio, inprimis ſi malum dependeat ex utero.

Aqva Picarum & Hirundinum ſuâ etiam non eſt defraudanda laude, inprimis loco vehiculi adhibita. Nonnulli etiam ad Epilepſiam ſingulariter prædicant & maximi ſecreti loco habent *ſpinam dorſi muſtelæ fluviatilis* (Aalrauppen) novilunii tempore detractam & in tenuisſimum pulverem redactam, cujus ℈ij. tum in accesſione, tum extra accesſionẽ ſingulo plenilunio cum aq. pœon. vel fl. tiliæ exhibitæ morbum hunc curare dicunt. Magiſterium ſpi-

narum viperarum maximi etiam effectus eſt.

Dentes ſub lingua ranulis Troctarum (Forellen) in aq. tiliæ propinat. Specificum ſunt. Lapides item carpionum & percarum.

Collige menſibus Majo, Junio & Julio *Ranas paluſtres virides* no 40. iis vivis exime epata, ac ſingula in foliis braſsicæ ſuper eam partem, quæ ad terram vergit, diſpone, ne ſeſe invicem attingant; Poſteà in ollis novis vitreatis & ſupernè tectis ſuper lentum calorem exſicca, donec à foliis braſsicâ ritè ſeparatâ tenuiter pulveriſari queant. Hunc pulverem in partes quinque diviſum ſerva. *Deindè* ſub ipsâ Luminarium ſynodo ☽ in ♋ conſtitutâ, da manè partem unam jejunè in hauſtu vini jejunando deſuper duas horas: Idē fac veſperi ituro cubitum cum ſecundâ parte, ac ita procede cum reliquis. Si à ſumpto hoc pulvere ſudor circa tempora erumpat, bonum eſt indicium. Abſtineat à vino patiens, fugiat iram &c. Si primo Anno non ſequatur effectus, repete ſecundo; In Junio autem circa Solſtitium hæc cura inſtituenda.

Ex regno minerali.

Spiritus Vitrioli viridantis volatilitas atque dulcedo verum eſt hujus morbi alexipharmacum. Specificâ enim proprietate, quam cum hoc affectu habet, citisſimè ac felicisſimè eum reſolvit, non ſecus ac Sal Sulphureum ſolvit aurum, Mercuriale argentum. Omne enim volatile ſuum fixum ſolutum & volatile reddit. *Joſ. Quercet. in tetrad. fol. 376.*

Spiritus Vitrioli Ant-Epileptici Hartmanni ſunt mirabiles virtutes & effectus in caduco etiam expugnando. Vide & *Oleum Heraclium Heinrici ab Heer lib. 1. obſ. 18.*

Si *Spiritus Vitrioli rectificati* ℥x. addantur *Spiritus vini* ℥viii. per retortam aliquoties reiteratis deſtillationibus uniantur, aut denique ſi *Vitriolo Hungarico Sp.V. juſtâ* quantitate ſuperinfundatur, & per retortam deſtilletur, egreditur *Spirit. Vitrioli Sulphure Vitrioli impragnatus* egregii in Epilepſiâ uſus. Elixir *Vitrioli* Mynſicht. huc etiam referendum.

Tinctura Bezoardica D. D. Michaëlis hîc etiam locum habet, ut & *Tinctura* ☽ *cum Sp. V. Vitriolato parata. Dialuna Mynſicht. Bezoardicum Lunare* magnos etiam in hoc affectu edit effectus.

Cinnabrium nativum Mercurii radix & minera magnarum eſt virium. Ex cinnabrio Antimonii in præparatione Mercurii vitæ ſublimato & aliquoties rectificato præſtantisſimum paratur ant-Epilepticum, quod baſis eſt *Specifici Cephalici D. D. Michaëlis* & pulveris *Ant-Epileptici D. Mœbii* additis Magiſteriis ſpecificis Epilepticis & cordialibus.

Smara-

Smaragdum Or. Specificis quoq; annumerant; Et quò viridior eſt, eò etiam efficacior; juvat in Epilepſiâ non ſolum internè, ſed etiam externè. *Vid. de hoc Salmaſius cap. 15. Alex. Apollinar. p.m. 150.*

Ejus *Tinctura* eſt efficacior. *Angelus Sala in exegeſi chimiatricâ* pertractat quæſtionem, *an Tinctura Smaragdi Sp. Urinæ extrahi poſſit? D. D. Johann. Michaëlis negat*, Experientiâ edoctus, quia Spiritus hîc neutiquam ſolvit Smaragdos, Spiritus tamen ⏀ hoc præſtat. Hoc quidem notari poteſt, quod ſi poſſibile eſſet, ut Tinctura hæc cum Sp. Urinæ extrahi poſſet, haberemus nobilisſimum Medicamentum in Peſte & Dyſenteriâ Epidemicâ.

Magiſterium Succini, Spiritus, oleum & Sal volatile miræ etiam ſunt in hoc malo efficaciæ. *Riverius in Praxi. p.m. 32.* Puerulos à paroxyſmo Epileptico liberat ol. Succini rectific. gutt. ii vel iii. cum pari quantitate Sp. Vitrioli in aq. betonicæ exhibitis.

Gloſſopetrarum Melitenſium, quarum *Th. Barthol. c. 6. h. 1. meminit*, uſus à quibusdam etiam mirificè commendatur, adeo ut, ſi ab his nullus ſequatur effectus, omnis ſpes decollata ſit. Doſis à ℈ß. ad ℈i. verùm ego ſæpè fruſtraneum illarum ſui expertus effectum.

Eſt hîc in vicinia non longè à Martisburgio Nobilis genere ab *Hanffſtengel*, qui jure hæreditario paterno, avino & atavino & proavino *Cornu qvoddam admodũ glabrum & incurvatũ* inſtar fiſtulæ posſidet, de cujus virtute in hoc morbo ſingularia etiam propalantur, hocque notatu dignum, quod neq; augmentum nec decrementum capeſſat, licet multoties in uſum ceſſerit. Hujus virtutes ant-Epilepticas non ſolum à me, ſed & ab aliis probatas veras atteſtari poſſum.

Unicornu foſſile, cujus ſuprà etiam de Diaphoreticis mentionem feci, quod in *ſpecu Bumanniano* in copiâ reperitur in ſylvâ *Herciniâ*, à vulgo non ſine fructu in *Epilepſiâ* exhibetur.

Externa.

Radicem Pæoniæ mediam & præcipuam atq; majorem per longitudinem diviſam, inclinante Lunâ in Ariete exiſtente collectam, & collo ac brachiis appenſam commendat *Riverius in obſ. communicat. 7.*

Epilepſiæ Amuletum conſiſtit in *ramo ſambuci* in ſalice antiquo naſcentis, id quod teſtatur *Hartmannus in Praxi Chymiatr. & confirmat Th. Bartholinus c. 4. hiſtor. 69.*

Nota Amuleta ſeu Appenſa ſuam exercent virtutem in Epilepſiâ, dum applicationem cauſæ occaſionalis impediunt ad Archéum, extinguendo occaſionis characteres, & annihilando, ne Archéo commiſceantur. *CL. Helmontius.*

Oleum Externum.

Rec. radic. ariſtoloch. rot. benè mundat. ℥j. caſtorei. euphorbii ana ʒi. ol. olivar. q. ſ. inciſ. & contuſ. coq. in dicto oleo, ut ſupereemineat ad dimidiæ partis conſumpt. poſtmodum colentur. Colaturam ſerva pro uſu, & imminente aut præſente paroxyſmo Epilepticum pronum deponas, ut vultu terram attingat, poſtmodum hoc oleo totam inungas ſpinam non ſurſum, ſed deorſum à nuchâ usque ad coxendices; hæc inunctio toties repetenda, quoties paroxyſmus imminebit. Ad præſervationem in Lunæ quadraturis hujus uſus continuandus eſt.

Olei juniperi ex ligno deſtill. Cervix etiam inungi poteſt. Et umbilicus inungendus pinguedine cati ſylveſtris.

Ex Lupi corio fiat cingulum ventri & lumbis circumcingendum, pilis exteriùs poſitis.

Agarico crudo ſi inter lavandum caput fricetur loco ſaponis, in omnibus Epilepſiæ ſpeciebus utilisſimè adhiberi poteſt. *Balth. Timæus à Güldenklee libr. 7. p. m. 315.*

Antapoplectica Specifica.

Interna.

Radices Pentaphylli & Tormentillæ inter ſpecifica à *Tabernæmontano* recenſentur, & *radici Chinæ* æquiparat, iisque in humoribus catarrhoſis, qui Apoplexiam excitant abſumendis ſe multum profeciſſe refert. Pro arcano ad præſervationem hujus affectus commendatur *ſemen ſinapi* per ſe, aut cum ſaccharo obductum.

Excellunt etiam *Salvia, Roſmarinus, Lilium convallium, Primula veris, Stœchas Arabica, Succinum, Gummi juniperinum, quod eſt Sandaracha Arabum*;

Spiritus Apoplecticus cum Vitriolo præparatus D. Michaëlis Spir. ceraſ. nigr. dulc. ſylveſtr. cum ſpecifico cephalico D. Michaël. Spiritus cerebri humani. Spiritus ſanguinis arterioſi humani, cujus vires inſigniter commendat D. Graſſeccius Argentinenſis in libro de vitâ humanâ. Spiritus Lavendulæ, Salviæ, Elixir Cephalicum D. Michaël.

His omnibus poteſt annumerari *Tinctura* etiam *Bezoardica D. Michaëlis*, ſi cum aquis appropriatis *Apoplecticis* mixta exhibeatur, & ſudor provocetur.

Aqua Apoplectica Langii. Carfunculi, Theriacalis, inſtar vehiculi uſurpari poſſunt.

Externa.

Radix verbaſci virginis juſto tempore collecta tanquam præſentisſimum præſervativum, *à Dodonæo commendatur. Vid. Hartmann. Prax. Chymiatr.*

Fumus pennarum perdicum. Succini vel etiam *ejus oleum* intra nares

res cum pennâ perdicis ſumptum.

Fauces *Extracto caſtorei, Theriacâ* in aqua apoplecticâ ſolutâ illinantur.

Balſamus rutæ per odorem attrahatur.

Nota. Omnia Medicamenta antEpileptica ſpecifica tam interna, quàm externa hîc proſunt, quæ pro diverſo cauſarum reſpectu hîc etiam adhiberi poſſunt.

Antiparalytica Specifica
Interna.

Decoctum radicis bardanæ. Ligni Saſſafras. Spir. aut ol. lavendul. Spir. aut ol. Salviæ. ol. d. ſuccin. Sal ſuccini volatile. Conſerv. anth. & fl. Salviæ cum Mithridat. & pulv. caſtor. Herb. chamæpyt. fl. primul. veris. ſtæchad. A. fl. anthos. Specificum Ceph. D. D. Michael. Magiſter. ſpinar. viperar. Oſſa microcoſmica propterea. Ad loqvelam reſtituendam ſpecificè proſunt Spiritus ceraſ. nigr. ad coch. j. aq. lil. convall. cum vino fact. & ſangvine Turturis calente imprægnata. Theriaca cum pulvere Sinapi. miſta & ſub linguâ detenta. Vid. Horſtius libr. 1. de febribus obſ. 29. Oleum Aniſi guttatim linguæ Paralytici adſperſum loqvelam reſtituit. Eſſ. Caſtorei c. Sp. Vini extracta.

Externa.

Spiritus Lumbric. terr. formicarũ Ping. caſtor. Balſam. Paralytic. D. D. Mynſichti, Ping. human. Ung. Nervin. Auguſtan. Tacamahac. malax. cum ol. nervin. Auguſtan. Balſamus Peruvianus eſt egregium ſpecificum in omni Paralyſi. Item Balſamus Dorſalis D. D. Oheimii.

Eſſentia foliorum Tabaci viridium ſolâ infuſione cum Malvatico facta præmisſis ſudoribus membra Paralytica diutius fricanda ſunt. *Galbaneto Paracelſi* ſpina inungatur. *Hartmannus.* Et facta inunctione imponatur *radix ſymphyti majoris* in aquâ communi ad pulticulam cocta inſtar cataplasmatis.

Ventres animalium, ut cati ſylveſtris, vulpis impleti herbis appropriatis & aſſati reddunt pinguedinem, quæ colligitur, & ſpecificè prodeſt. Inprimis laudatur *pinguedo ciconiæ* dicto modo aſſata, quia autẽ illæ paucisſimam habent pinguedinem, poteſt aliorum animalium cum herbis in ventrem ejus indi.

Poſſunt etiam fieri *Balnea*, ſeu *Thermæ* artificiales.

Rec. h. majoran. chamædr. chamæpyt. fl. primul. ver. ana M. iij. rorism. ſalv. a. M. ij. fl. primul. ver. lavendul. a. M. j. bacc. juniperi M. ij. 🜍 ℔ iij. ⦶ ℔ j. inciſ.

Balnea etiam *ex formicis* cum herbis appropriatis miris modis conveniũt in corroborandis nervis.

Antiſpasmotica Specifica
Interna.

Carrichterus in herbario ſub quarto gradu cancri de *Nymphæa* flavis

flavis & albis floribus in umbrâ ſeptentrionali arefactâ ſcribit, ſi quis eam lecto ſolùm, vel parieti appendat, *convulſione* laborans; eum in momento ſanari. Aliàs omnia ſimplicia *teſte Petræo in Noſolog. Harm. p. 166.* in aquis creſcentia *convulſionem* tollunt. Mirum etiam eſt, *Mandragoram*, *Napellum* & *uvam inverſam*, venenata cum ſint, ſalutaria huic malo remedia eſſe.

Ex *Theriacâ extrahe cum Sp. vini Eſſentiam adde Sp. CC. vel Cranii hum. & Sp. vitriol. phil. ſtriat. ſtent ad tempus in digeſtione. Doſis eſt à gutt. 30. ad 60. in brodio qvodam calido.* Conveniunt hîc *omnia ant-Epileptica. Uſus Pulveris convulſivi, qvem deſcribit Horſtius in Epidemio Spaſmo.*

Caſtorei item Eſſentia cum aq. Salviæ commendatur. It. Pulv. Caſtorei ℈ſs. cum vino Hiſp. *Specific. Cephalic. D. D. Michaël. Magiſter Epileptic. Ejusd. Cranii human. Off. human. Eſſentia Arthetic. Magiſter. Ungul. Alcis.*

Externa.

Spinæ dorſi & Membris convulſivis inungendum *ol. vulpinum, lumbric. Lauria-juniper. Terebinth. de Caſtor.* Vel ex *primul. verũ. lavendul. Caſtoreo, Salviâ, rutâ cum Sp. vini extrahe Eſſentiam*, hâcqve inunge Membra, cum linteis calidis poſt ſudorem involvenda, aut accipe horum loco *aq. apoplectic. c. caſtor. & adde Aq. hirundin. ſpecificè etiam prodeſt Sp. lumbric. ſ. & c. Balſamus ſpaſmaticus Mynſicht. Ung. Spaſmaticum Ejusd. Ung. Nervin. Auguſt. Empl. Nervinum Eorundem. Empl. oxycroceum* toti ſpinæ adhibitum nervoſas & muſculoſas corroborat partes. *Horſt. obſ. 15.*

Si ſit ex *Vulnere*, vel puncturâ nervi, dolor mitigandus *ol. chamæmel. aneth. lini.* Locus aperiatur, ut ſanies exire poſſit.

A *veneno* ſi ſit, ejus vim mirabili proprietate *ſcabioſa aſſata*, & *cum vitello ovi & pauxillo Theriacæ ſuperpoſita infringit. Petræus* l. c.

Antephialtica Specifica Interna.

Pro præſervatione *fruſtulũ Aloës* ad ℨi. in aliquot Paſſulis valdè commendat *Zacutus Luſitanus.*

In Curatione excellunt *ſemina Pæniæ maris* ſpecificâ proprietate, ſi ejus grana in pulverem trita jugiter propinentur. *Extractum pœoniæ teſte Bauhino hîc etiam ſuum facit officium.* A nonnullis etiam commendatur *Elect. Pleresarconticum cum confectione Alkermes* & *ſpeciebus Diambræ* permiſtum, continuato ejus uſu â ſomno & ſub lecti ingreſſum per aliqvot dies. *Theriaca* item prodeſt ſingulis ſeptimanis bis exhibita cum *aq. Epileptic. Langii.*

Tinctura vera Corallorum.

Magiſterium Perlarum.

Bezoardicum Lunare.

Externa.

Externa.

Radix Pæoniæ. Corallia. Lapid. chryſolith. jaſpis. ſmaragd. de collo ſuſpenſa, ſunt nobilia Amuleta. Nec excludendus *Dens Lupinus, teſte Balduino Roſſæo de hum. vit. primord. & miſeriis. Pellis* item *Lupina aut aſinina* protegumento. *Lapis Ephialticus* cunabulis inſertus commendatur.

Anti-Trymica Specifica

Interna.

In *Tremore ex Mercurio valet decoct. rad. Enulæ. Sulphur. item Solare Antimonii. Cinnabar. Antimonii.*

In *Tremore capitis* ſenili recipe *Pavonis fimum & cum aq. vitæ ſ. q. diſtempera, eoq; utere in potu tribus vicibus matutinis, fimus verò ad* ℥j. *pro quâlibet doſi ſufficiet. P. Borellus centur. 3. obſ. 98.*

A *Nervorum vitiis* valet *Eſſ. fl. anthos. chamæpyth. chamædr.*

A *Spirituum inopiâ Eſſ. ambræ. Qvinta Eſſ. Matthiol. pulv. analept. Mindereri. Vid. Horſt. in obſervat. 15. libr. 8. p. m. 415.*

Externa.

Ol. ex baccis juniperi. Spirit. formicar. aq. urtic. minor. pinguedin. human.

In *Tremore ex* ☿*rio ung. pretioſum ex auro habet Zacut. Luſitan. Aurum enim avidè attrahit* ☿*rium, id quod probat experimentum Riverii in obſ. qui* ☿*rium per ducatum in os & nares ægri inditum feliciter eduxit. Aurum enim extractum rurſus ex ore omninò album apparuit. vid. & Th. Bartholinus c. 1. obſ. 7.* Similem ego novi hiſtoriam, quæ aliquot antè annos Dresdæ accidit in quâdam muliere (nomine die Ginterinn) cujus pedes cum carcinomate ſcorbutico diu eſſent infecti, à Medicamentis Mercurialibus non ritè præparatis & internè & externè adhibitis Mercurius vivus etiam magnâ ſatis in copiâ exſtillavit; qui laminâ aureâ demum fuit extractus.

Contra Memoriæ læſionem

Specifica interna.

Eſſentia ambræ. Aq. Sophor. Dorncrel. & Mynſicht. Sunt, qui affirmant juvari memoriam uſu *Thuris*, ſi præſertim Luna in Scorpione, ſumantur ter in die, hoc eſt, manè, veſperi & antequam ſe quis cubitum conferat tria *grana thuris. Crato in Conſil. p. m. 13. Tinctura Lunæ cum Sp. Cephalico D. D. Mich. præparata. Pulvis Trithemii*, cujus deſcriptio extat in *Hartmanno. Aqva Magnanimitatis ex formicis* præparata. *Aqua cerebri humani. Myrobal. condit.*

Externa.

Fel perdicum temporibus quotidiè inunctum juvat & promovet memoriæ uſum *Ulyſſes Aldrovandus.* Maſticatoria ex *Tabaco & Maſtiche* in ore detinenda ſunt.

Antiphrenitica Specifica

Interna.

Radix Nymph. lut. menſe Majo ☽ decreſcente effoſa & cum aceto præparata. *Eſſ. fl. hyperic. anagallid. fl. purpur. Decoctū glomorū cynosbati.*

Oleum Camphoræ internè & externè commendatur à plurimis.

Saccharum & Spiritus Saturni.

Tinctura Corallorum vera. Smaragd. Lunæ.

Bezoardicum Lunare.

Liqvor Perlarum præſtantiſſimum eſt medicamentum ad effervescentiam ſanguinis & ſpirituum, de qvo vid. Petræus in Noſolog. libr. 1. diſſ. 2. Sicuti enim paucula ejus guttæ mirabili ſpectaculo ardentiſſimum vini ſpiritum in butyrum ſcisſile coagulare poſſunt: ita, qvin ſpiritus effervescentes & volatiles ipſius cerebri fixiores & ſtabiliores reddere posſint, nullum eſt dubium. Balth. Timæus à Güldenklee libr. 1. de affect. cap. p. m. 14.

Externa.

Sedum majus contuſum & cum lacte muliebri mixtum ſincipiti admotum mirè ſedat Phrenitidem & ſomnum conciliat. Sed ſtatim ac dormire cœperit æger, detrahendū, ne in coma præcipitetur æger.

Ramenta cucurbitæ recentis idem præſtant.

Penottus ſeq. Epithema miris laudibus effert, quod ſic habet:

Rec. Moſchi gr. xij. camphor. ℈j. aq. roſ. v. cum tinctur. ſantal. rubr. imprægnat. ℥xx. M. capite raſo madefiant lintea duplicata in hoc liquore, & tepida per omnes capitis ſuturas applicentur. Ubi reſiccata fuerint, iterum imbibe, & per 24. horas applicationem continua, & ſomno conciliato cerebroque confirmato ægrum mirificè convaleſcētem perſpicies. *Riverius in Praxi pag. m. 51.*

Tinca diſſecta pulſibus manuum, ac plantis pedum impoſita mitigat æſtum febrilem, ac ſomnum conciliat. Plantis pedum alia etiam applicari poſſunt animalia calentia, *gallus, columba, pulmones animaliū* capiti adhiberi poſſunt.

Decoctum muſci terreſtris inducit ſomnum externè.

Anti-Melancholica Specifica Interna.

Hypericum. Tinctur. fl. borragin. bugloſſ. cum ſp. Vitriol. phil. ſtriat. Mandragoræ ſuccus duabus vicibus potus. *Petræus in Noſolog. Harmon. p. 64. Eſſentia Croci* cum aq. vitis deſtillatâ extracta. *Extractum alkermes* factum cum ſucco pomorum redolentium. *Eſſ. fumar. Sirupus exhilarans Horſtii vel Laurentii. Tinctura Lapid. Lazuli. Corallorum, Smaragd. Elixir propr. cum ſuccis CL. Sennerti. Lapis Bezoar. Or. verus. Riverius. Succus expreſſus, fumariæ* rec. *cum ſero lactis oblatus. Eſſ. Martis* cum ſucco pomorum Borsdorfſienſiū. *Ambræ griſ. ſolius gr. v. ad* vj. *cottidiè cum vino exhibita juvant.*

Tinctura

Tinctura Bezoardica in ipſo paroxyſmo etiam utilis.

Sin *ab Utero* proveniat, cõvenit hîc *ſpirit9 ſecundinæ cum aq. Theriacali. Mag. cranii humani. Eſſ. Meliſſ. vincetoxic. Oſſ. de corde cervi vera.*

Si *à ſeminis abundantiâ*, conferunt *Eſſ. caſtitatis D. J. Michaëlis. Aq. caſtit. Mynſicht.*

Sin *à philtris*, facit huc *pulv. ſecundinæ propter cum aqva Theriacal. Puellæ philtra ſua, inquit P. Borellus c. 1. obſ. 65. componunt ex ſuo menſtruo & leporino ſanguine, hujus remedium eſt Margaritæ præparatæ. Pulv. calculi humani cum ſucco Naſturtii aquatici. Heinric. ab Heer libr. 1. obſ. 13.*

Si *ex malo hypochondriaco*, ſpecifica hypochondriaca uſurpanda ſunt.

Externa.

Confect. alkermes externè pulſib9 applicata, vel *de Hiacynth. cum aq. Theriacal.* Geſtatio *croci ſupra cor arcet omnes Melancholicos affectus. P. Borellus c. 2. obſ. 99.*

Antimaniaca Specifica
Interna.

Decoctum anagallid. fl. purpur. fl. hyperic. & aqva eorund. & Eſſentia. vid. Mynſicht. Tinctur. compoſ. fl. hyperic. ejusd. Tinctur. Lapid. Lazul. confect. alkerm. de Hyacinth. Bezoardic. Lunare. Galreda cranii hum. radic. Nymph. lut. menſe Majo ☽ decreſcente collectæ. Cerebrum Arietis nondũ Venerem experti. Panni lintei ſanguine Aſini è venis poſt aures extracto juſto tempore imbuti infundantur in ſ. q. aq. anagallid. & fl. hyperic. donec aqva tingatur. Excitat ſudorem egregiè, bis vel ter ſumitur. In Aulâ Altenburgenſi ſolo hoc Medicamento D. D. Michaëlis reſtituit maniacum.

Retulit mihi, inqvit Excell. D. D. Michaëlis, vicinæ Eccleſiæ Paſtor, in ſuo pago intra triduum ſanatum fuiſſe maniacum exhibito canis cerebro cocto (addebat unius coloris canem eſſe debere) affirmabatq́; ſibi præter alios tres notos eſſe, qui eodem medicamento ſint ſanati.

Quidam etiam *folia buxi* commendant, quibus, ſi fieri poteſt, ſudor provocandus eſt.

Spiritus *Vitrioli Ant-Epileptic. Hartmanni* ſunt etiam mirabiles virtutes & effectus in ipsâ maniâ, & multoties expertus fui. Ejus genuinam deſcriptionem præter *Schröderum etiam Horſtius proponit lib. 10. de Pharmacevtic. p. m. 506.*

Externa.

Fol. Lactuc. papav. ſalic. malv. fl. violar. borragin. Nymph. lut. roſ. v. chamæmel. n. capit. papav. ex his fiant inſeſſus & lotiones capitis. Maniacorum curam ſequenti Methodo ſæpè feliciter in quibusdam abſolvi:

Singulo octiduo horâ matutinâ potionem purgantem offero cum cuſtodiâ, qvâ continuo, usqve dum malum remiſerit, adſumptâ illâ impero pediluvium ex fol. Malv. melilot. lutei & ſemin. Lini per ſemihorulæ ſpatium, ita tamen, ne ullus excitetur ſudor. Purgante nihil operante Enematis uſum veſperi ſubjungo: Operante autem illo juſculum piſorum, ova cocta & alios liqvidos cibos admitto. Inseqventi die venam ſaphenam pedis ſiniſtri, tertiâ die Medianam in brachio ſiniſtro, qvartâ ranulam ſub linguâ, & qvintâ venam frontis ex ſingulis brachii & pedis ad ℔ xij. ſanguinis. Poſt venam ſectam horâ elapsâ pulverem meum ſpecificum contra maniam offero cum brodio gallinæ. Aliàs ſingulis diebus manè & à meridiè ex aq. Cordial. cum ſemin. papav. alb. cucurbit. excorticatis. Emulſionem propino. Diebus illis, quibus V. S. & purgatio adminiſtratur, potus ordinarius manet, cæteris autem intermediis decoctum ex Viol. purpur. anagallid. fl. purpur. ã. M. j. in aq. ſ. Menſur. IV. ſufficiebat. Peractis V. S. cottidiè balneum inſtituebatur ex fol. lactuc. papav. rh. ſalicis. malvæ. ã. M. ij. fl. hyſſopi chamæmel. ã. M. j. Vitatis cujusvis generis vinis, aromatibus, cepe &c. è contrà recommendatis ſero caprino, paſſulis cum Pomis Borsdorffienſibus.

Contra Rabiem Specifica Interna.

Sunt *radix Gentian. Pimpinell. cynorrhodi*, cum lacte decoct. & exhibit. *Alyſſum Galeni* vel cum aceto hauſtum vel alligatum.

Pulvis *cancrorum fluviatilium* præſens hujus mali antidotum eſt. Eliguntur autem in *Italiâ* non communes *Gambari* illis dicti, ſed qui canceris marinis ſunt ſimiles, rotundi, poſt caniculam collecti & in cineres reſoluti. Hujus cineris accipe partes decem; *radic. gentianæ* partes qvinqve, & *thuris* unam; *doſis eſt* ℥j. *vel* ʒij. per 40. dies continuanda.

Hepar Mergi aſſatum cum pauco oleo & ſale commeſtum commendat *Aëtius*.

Catuli recens nati coagulum ex aquâ potum, ut & ſanguinis canini potus. *Canis rabidi jecur coctum ad* ℥ij. *in particulas diſſectum, & primis viginti qvatuor horis poſt morſum nondum abſolutis oblatum. Bituminis judaici* ʒj. *cum aqua cyathis tribus hauſtus. Lucii piſcis cuticula* capiti adnata commendatur *à Paracelſo lib. 1. de peſtilitate*.

Sal viperarum cum aqvâ Theriacali, vel cum ſucco citri exhibitus. *Tinctur. bezoardic. cum Sp.* ✱. *Pulvis alexipharmacus Palmarii Libr. de Morſ. canis Rabioſ. cap. 3. p. 344.*

Externa.

Sunt, qvi *canis rabidi pilos vel carnem, aut ſal* ex carne chymica arte extra-

extractum vulneri ut ſpecificum imponunt.

Cornelius Celſus libr. 5. ſuæ Medicinæ projicit ægrum neqve præſcientem, neqve prævidentem in piſcinam, atqve ſi natandi peritiâ deſtitutus ſit, modo immerſum bibere concedit, modo attollit. Si verò natandi ſcientiâ polleat, eum interdum deprimit, ut invitus qvoqve aqvâ ſatietur ſicq; cum ſitim, tum & aqvæ metum tolli confirmat. Cautionem tamen adjungit, ne ægri corpus frigidâ vexatum nervorum diſtenſio abſumat, ipſum à piſcinâ extemplò in calidum oleum demittendum ſvadet. Verum hoc non ſemper proſpero ſuccedit eventu, & teſtatur *Baptiſta Codronchius lib. 1. de hydrophob. c. 5. divitem qvendam ex ditione Bononienſi hoc affectu tentatum bis aut ter in aqvâ demerſum ſeptimo die interiiſſe.*

Mare mirâ qvâdam proprietate & ſpecificâ ad hoc malum valere teſtatur P. Borellus c. 1. obſ. 74.

Amuleta ſunt Dens caninus à cane, qvi momordit avulſus, brachio alligatus, *Corium Phocæ, Urſæ.*

Antilethargica Specifica Interna.

Nihil præſtantius eſt *Caſtoreô*, ejusvè vel Magiſteriô vel Eſſentiâ. *P. Borellus c. 1. obſ. 51.* Singulariter huic malo etiam contrariantur *Spiritus ♀, ex 🜕 & ♀ combinatis, ignis beneficio prodiens, qvem D. D. Michaëlis maximè commendat. Sp. item ⊕li volatilis verus. It. Sp. ⊕li volatilis alius philoſophicus alembicum tranſcendens cum ſtriis inſtar Spiritus vini gratæ dulcedinis.*

Sp. ⊕li & ⊖ cum aq. cephalic. & ſirupis attenuantibus exhibitis valdè glorioſus deprehenditur, præſente inprimis febre qvalicunq; etiam.

Externa.

Balſamus Rutæ in omnibus Affectibus ſoporoſis conducit. Oleum Nicotianæ. ſp. ⊕ 🜕 cum ſal. benedict. vitriol. Naribus admotus. Aq. apoplect. c. caſtor. ſpiritus ſalis Ammoniaci ante nares detentus, ut eas feriat & cerebrum pervadat. A proprietate ſingulari juvare dicuntur oculi, cor & fel philomelæ ſub cervicali, & caput veſpertilionis ſub brachio reſervata & occultata.

Antiagrypniaca Medicamenta Interna.

Aqva hypnotica Langii & Dorncreilii ſirup. de Papav. ſ. Laudanum Opiatum ſ. m. & a. Pulv. anodynus D. Michaëlis. Spongiæ cynosbati in vino vel cereviſiâ infuſæ. Vinum Hypnoticum Mynſichti.

Externa.

Unguentum Alabaſtrinum, Populeon. ſomnifer. Auguſtan. Ol. Papav. & Hyoſcyam. expreſſ. ſpongia ſomnifera Heurnii lib. 2. Meth. ad Praxin cap. 7. delineata. Extract. Croci. Opium correct. Pingvedo lucii piſcis temporibus illita. Emulſio facta ex ſemin. papav. cum aq. ſolan. vel lacte mulie-bri.

bri. Sevum hircinum plantis pedum inunctum. Medulla aut fel leporis. Aures leporis ſub pulvinari poſitæ ſomnum dicuntur inducere.

Contra Catarrhos Specifica Interna.

Lignum Saſſafras hoc in Affectu præclarisſimas præſtat utilitates, ut inde verum Catarrhorum ac proprium Alexipharmacum meritò audiat. Varia autem infuſa inde parari poſſunt cum liqvoribus appropriatis præcipuè Spiritu Serpilli.

De Aqva Serpilli notandum in ejusdem deſtillatione adhiberi debere *Serpillũ campeſtre* & certo tempore ante ſolis ortum collectum. Deſtilletur cum vino optimo vel Malvatico, ſtent per aliquot dies, deſtilla aqvam, qvæ aliqvoties recenti ſerpillo affundenda, atqve iterum deſtillanda, in hâc Lignum Saſſafras eſt infundendum. *Aqva benedicta* ſerpilli *Mynſichti* huc qvoqve pertinet. *Eſſ. Ligni Saſſafras.* Atqve *acetum deſtillatum benedict. vitriol.* qvæ Medicamenta in abſumendis catarrhis ſunt ſingularia.

Sperma Ceti recens; vetus enim ob rancorem plus nocet, qvàm utile eſt; aliàs egregium eſt in deſperatis morbis catarrhoſis medicamentum, intercipit namque fluxiones & ſuffocationem inhibet, infantibus poteſt diſſolvi in lacte materno vel nutricis, vel etiam in pulte. Adultioribus in Sirupo appropriato vel Saccharo Penidio. *Magiſterium Benzoi egregium eſt Cephalicum, gratius eſt, qvàm flores.*

Si tusſis vehementisſima urgeat, & metus ſuffocationis im̃ineat, præmisſis præmittendis ad *Laudanum Opiatũ vel pulverẽ anodynum D. Joh. Michaëlis deveniendum*, quando quis cubitum abiturus eſt. Convenit etiam portio *nucis moſchatæ* ſub linguâ noctu detenta, vel etiam deglutita.

Ad materiam in pectore contentam rejiciendam valet *oxymel. ſqvill. cum oxymel. ammoniaco vel ſpiritus viridis æris cum gummi ammoniaco. Ut & Eclegma ex ſtyrace. Fecul. Aronis. Ireos fl.* 🜍.

Externa.

Amuletum, quod *ex radice verbaſci virginis*, quæ hinc rhevmatica dicitur, paratur, *vide in Dodon. & Hamanni praxi chymiatr.* pro egregio quoque præſervativo *Apoplexiæ* radix hæc habetur. *Fruſtulum radicis oſtrutii ſeu imperatoriæ* circa aures alligatum Catarrhis medetur, ex quibus viſus debilitas & alii capitis affectus oriuntur. *D. D. Obeimius.*

Nihil magis ſiſtit Catarrhum immoderatisſimum quàm ſeq. Cataplaſma.

Rec. fermenti acrioris ℥ii. Succini pulv. ʒii. f. cataplaſma, quod vertici raſo capillitio admoveatur. *Laz. River. in obſerv. communic. 60.*

Semen nigellæ pulveriſ. in nodulo

Aquæ

Aqua majoran. Intincto etiam naribus applicari poteſt. *Item præſtat & ol. Nigell. & camphora in oleo appropriato diſſolum.*

In *Catarrho ſuffocativo etiam Tacamahac cum ol. Maſtich. diſſolut. & ſuper alut. obduct.* vertici impoſita abraſis capillis convenit. Ut & *Emplaſtr. de betonic. pro bregmate uſitatum. Catarrhum qvemvis ſiſtit ſacculus ex ſuccino & ſp. vini paratus; item ex chamæpyti pulveriſat. & ol. ſuccini aſperſo.*

Ad *narium obſtructionem* veſperi inunge partem ſuperiorem naſi inter oculum utrumque *oleo amygdalarum amararum.* Et manè intra nares attrahe *ſuccum ex betâ rubrâ cum aq. majoran. extractum calidè.* Quod ſi hoc parum juvet, coque *agaricum cum modico Zinzib. in aq. hordei addit. majoran. & parum oxymelitis.*

Nota: omnium catarrhorum cauſa ſunt cruditates, *Crato.* & impuritates non tantum ob vitium primę & ſecundæ, verùm tertiæ etiam coctionis, quæ unicè propter partium quarumlibet debitam nutritionem fit, cujus depravationis quoq; cauſa eſt Archéus à cauſis externis laceſſitus & proinde munia appropriatæ digeſtionis negligens. Certisſimum namque in Medicina eſt iſtud Axioma: Ubi alimentum, ibi quoque excrementum, & ubi nutritio, ibi quoque excrementorum ſegregatio, vel, ſi expultrix langueat, eorundem collectio. Non itaque neceſſe eſt, ut ad Catarrhos & humorum deſtillationes tam anxiè refugiamus, cum quælibet pars, ſi infirmitate quâdam laborat, propria ſua excrementa præternaturalia manifeſtò congerere valeat, eo modo, ut toties *CL. Helmontius expoſuit.*

Nota. *Trigonus Saturni Jovis ad Catarrhos extirpandos aptisſimus eſt.*

Capitis Vulneraria Specifica Interna.

Radic. ariſtoloch. rot. Cyperi rot. caryophyllat. Valerian Viſc. querc. & corylin. de quo notandum optima exinde & cum eo præparari medicamenta in omni capitis vulneratione. Herb. betonic. ſalviæ. verbenæ. veronic. chærefol. qvod valdè commendatur, præcipuè autem juſcula exinde confecta. Flores item betonic. ſalv. ſtoech. A. lil. convall. primul. veris. aq. fl. hyperic. Eſſ. fl. hyperic. chærefol. ocul. ♋ Tinctur. fl. bellid. betonic. ſpecific. cephalic. D. Mich. ſpiritus Vitriol. cephalic. ejusdem.

Nota. In mutationibus Lunæ debent præſcribi Cephalica & Epileptica. Præſertim in Sextili & trigono Mercurii. Et ſi Sol ab hiſce accedat ad Jovem aut Venerem, bonum eſt Medicamenta Thoracica adhibere.

Externa.

Empl. de Betonicâ, qvod malaxari pot-

vi poteſt cum balſamo Indico. Cerotũ vigonis, ſi de minio. Diapalma quod miſceri poteſt cum Tacamahacâ.

In Oculorum Affectibus Specifica Interna.

Euphraſia ritè præparata in omni valet viſus imbecillitate, præmisſis premittendis, unde utimur in infuſo, in quotidiano victu admiſcemus cibis. Præſtat ipſius *Eſſentia, ex quâ & D.D. Joh. Michaël. & Mindererus ſuũ parant Ophthalmicum.* Notus etiam eſt, *ejus ſpiritus. Folia ſennæ A. Riverius in Praxi tanqvam ſpecificum in affectibus oculorum commendat. Radic. Chelidon. maj. Valerianæ, & ejus Extractum. Semen fænicul. Sileris montani. Aqua Ocularis intern Mynſicht. vel D. D. Hartmanni, etiam proficua ſunt.*

Nota. Venus utilis eſt in omnibus aſpectibus ad oculos curandos.

Externa.

Ad Palpebrarum paralyſin Riverius in praxi habet Experimentũ, quod paratur ex balſamo Indico & Cantharidibus, quod felici cum ſucceſſu D. D. Timæus eſt expertus, deprehendit tamen & mictiones cruentas. lib. 1. Epiſtol. 1. pag. 5. Præter hunc ſolus ferè inter Authores eſt Zacutus Luſitanus, qui de hujus affectus curatione ſcripſit lib. 1. prax. Medicin. admirand. obſ. 64.

Ad *Oculorum Nubeculas ac hebetudinem* valet *hepar muſtelæ piſcis in vitro ſuſpenſum & calori moderato expoſitum, qvod in liquorem reſolvitur flavum, hoc guttatim oculis affectis inſtillatum mira præſtat. Vid. P. Borellus cent. 3. obſ. 91. Eundem etiam effectum de Lampetræ epate confirmat.* Acrius eſt Medicamentum, ſed in principio ſtatim exhibendum.

Mucilago ſem. pſyllii optima etiam eſt, ſi cum aquâ roſar. extrahatur, ut & *ſerici Tinctura* chymicè extracta. *Aq. ex ſucco chelidonii, ſtercora animalium hîc qvoqve locum habent. Stercus hirundinum decoctum.*

Contra ſuffuſionem Collyrium Riolani in tr. 2. de morbis ocularibus præſtantisſimum eſt. Aqvam muſtelæ piſcis Oswaldi ante omnia commendat *D. Joh. Michaëlis. Gentianam inciſam* & cum *aceto deſtillato* coctã oculis inſtillatam ſuffuſionem tollere teſtatur *Lipſius in tract. de variol. & morbill. Ex fl. Levcoii bulboſi per ſe deſtillata aqua magni eſt uſus.*

Contra Ophthalmiam; fundamentum morboſæ ac impetuoſæ fermentationis hîc nequaquam ſusque deque habendum, diſtenſio enim venularum non provenit à materiâ acri, quippe quæ potius adſtringit, & exiguas redderet, ſed à ferociâ Spiritus, qui æſtuat.

Inter Aquas Ophthalmicas, quæ variæ habentur, præprimis laudem meretur *Rulandi.* Idem aliam habet ex *Formicis* polychreſtam. Idem

Oleum

Oleum habet Ophthalmicum vel oleũ Chymicum ex papyro.

Aq. Ophthalmica de cancris Crollii. Inſtillatur hæc *Aqua* oculis, & 24. horarum ſpatio dicitur vulnera conſolidare. Deſcripſit hujus *aquæ* præparationem *Hartmannus*, ſed manca eſt deſcriptio, *Mynſichti perfectior eſt. De aq. fl. Cichorii vide Hartmannum. Aq. roris majal. in ſummitat. fœnicul. collecta. Aqua conſolidæ regalis. cyani, charefol. ana in Rubedine & contuſione diſcutiens eſt. It. decoct. rad. ſymphyt. & ſigill. Salomon. vel in aq. com: vel in vino arcana ſunt, ſed ſigillum Salomonis non in tantâ quantitate uſurpandũ, quantâ ſymphytum, quia acredo illius facilè nocere poteſt.*

Peculiaris *aqua Ophthalmica* præparatur in deſtillatione *ſpir. Vitrioli Epileptici cum urinæ*, uſurpatur autem tantum phlegma.

Sæpè pluribus in *Ophthalmiâ* fruſtra tentatis ſequens profuit; *albumen ovi & pulv. aluminis diu agitatum, donec pultis conſiſtentiam acquirat, linteo ſubtili involve, & oculo clauſo palpebræ impone ſæpè renovando. P. Borellus c. 1. obſ. 31. Item, ſanguis recens columbarum cum aq. roſ. mixtus & per linteum trajectus oculis inflammatis irroretur.*

Contra *Pterygium oculorum* valet *Lapis Medicamentoſus*, ſed in magnâ quantitate uſurpari non debet, quia vim corrodendi habet. *Specifica ſunt fel lucii piſcis, fel hominis, canis & omnium animalium.*

Contra *Hypoſphagma ſeu oculorũ maculam, aq. fl. cyani & charefol.* meritò aliis præferuntur Medicamentis. *Mynſicht. ſingulare habet Unguentum in Armamentario ſ. 31. p. 491.* quod tamen non omni ægro convenit. *Summitates hyſſopi aq. ſ. coctas Hartmannus commendat. & radic. ſigill. Salomon. conqvaſſat. in formâ Cataplaſmatis appoſit.* Vulgò *ſanguinem è plumis columbarum pullorum expreſſum calidè oculis indunt. Item pulvis margarit. præpar: inſperſus.*

In *aquâ roſar. diſſolvatur ſal Armeniacum eâ quantitate, ut linguam leviter feriat, eaq; detineatur per biduum aut triduum in vaſe ex aurichalco confecto, donec cæruleum colorem acqvirat. Item infuſum vini Rhenani in vaſe cupreo aurichalceo ſapphirinâ ſplendens tinctura in omnibus oculorum affectibus utile eſt.*

Aqva mellis oculorum maculas certisſimè delet, ſi penicillo illas tangamus, ſed oculorum dolor, ſi quis ſit, primò mulcendus; eſt enim dolorifica, id quod notandum. *Laz. Riv. in obſ. comm. 43.*

Succi ruthæ gutta unica bis in die in oculũ inſtilletur. *Id obſ. comm. 28.*

In Hordeolo muſcæ abjectis capitibus affrictæ ſpecificum & præſtantisſimum ſunt remedium.

In *puſtulis oculorum convenit oleum Saturni.*

In *Ulceribus oculorum* ſingulare ſpecificum præparatur *ex oculis* ♋ *& exuviis ſerpentum.*

In *Vulneribus Corneæ* convenit *aq. albumin. ovorum. cum ſucc. deſtill. vid. apud. Keslerum. Succus in veſiculâ Ulmorum collectus. vid. Henr. ab Heer in obſerv. & Sennert. in Paralipom. p. m. 122.*

Oleum rubrum Saturni; Nam ſi *ſacchar. Saturni* deſtilletur, prodit primò *ſpiritus*, deinde *oleum flavum & rubrum.*

In *Dolore Oculorum* ſingulare arcanum eſt *pulpa pomi aſſi.* Poteſt quoque *mica panis cum lacte muliebri* applicari.

Ad *compeſcendum dolorem* à vulnere ſeu contuſione experimentum ſequens eſt:

Rec. Pom. dulc. no. iij. coq in ſ. q. aq. Euphrag. & roſar. ad mollitiem, trajiciantur per ſetaceum, pulpæ trajectæ adde ſacchar. albiſſ. ℥ij. camph. gr. xv. croci gr. v. M. applica tepidè cũ linteolis duplicatis.

Ad Aurium Exulcerationem.

Specifica Interna.

Ex *Betonicâ* Medicamenta internè uſurpari poſſunt, *aqua, ſirupus & conſerva ex fl. conveniunt. Eſſentia lignorum nec contemnenda eſt*, ut & *Tinctura Corallor. cum ſpirit. lignor. & cephalico ſpecifico. Eſſ. ligni Saſſafras. Antimonium diaphor. cum oculis* ♋ *bezoardico Lunari, Solari &c.*

Nota. Ulcera, præprimis in infantibus, non nimis citò conſolidãda, ne major noxa inde proveniat.

Externa.

Phlegma ſp. Vini vim habet peculiarem abſtergendi & à putredine præſervandi.

Ad ruptionem apoſtematis in auribus recommendat Jonſtonius ſuccũ ranunculi; verùm hic non facilè uſurpandus, quia fortior eſt, & corroſivus, ſed pro eô ſubſtituendus ſuccus ſempervivi cum lacte muliebri.

Decoct. Nicotian. in vino miſtum *cum melle roſ.* abſtergendi, purificandi & conſolidandi vim habet.

Lac etiam caninũ commendatur.

Præſtans Medicamentum etiam eſt ad fluxionem aurium purulentã *uſus fumi Nicotianæ* de die unicâ vice hauſtus.

Contra Vermes aurium oleum corylinum valdè commendatur. *Item ol. expreſſ. ex nucl. perſic. ol. amygd. amar. diacolocynth.* ☿. *Fel tauri vermes quoq; necat.*

Contra dolorem aurium internè convenit *pulvis anodynus D. D. Michaëlis. cum ſpecific. cephalic. externè ol. hyoſcyam. expreſſ. chamæmel. Folia enim hyoſcyami in dolore & inflammatione aurium egregium ſunt arcanum. Vulgus uſurpat globulos, quibus fera fuit enecata.*

Contra Surditatem internè *ambra* & exinde parata *Eſſentia* habetur

tur pro ſingulari arcano, niſi *ἀντιπάθεια* ſubjecti ægroti adſit. *Decoctum radic. aſari etiam ſpecificum eſt. Item ſpiritus Acuiſticus Mindereri & Mynſicht. ſp. item Otalgicus Mindereri. Externè ex oleo Nucleorum Perſicorũ per expreſſionem facto & cum floribus Perſicis infuſo, & lege artis clarificato fit Balſamus, cujus guttæ iij. vel iv. auribus inſigni cum auxilio in doloribus, vel etiam in tinnitu vel ſtrepitu aurium, nec non in difficultate audiendi inſtillantur. Item aq. picar. cum caſtor. Eſſ. caſtor. Fel lucii piſcis, aut perdicũ, fellis humani etiam Eſſentia cum ſp. vini facta à proprietate innatâ juvat.*

67. Relatum mihi eſt pro comperto, cuidam ſurditate laboranti conſiliũ datum fuiſſe, ut (præmiſſis univerſalibus) intraret Balneum (adhibitâ ſtuphâ vel labrô umbilicotenus) non nimis calidum, ut partes calefierent, & ſanguis fluidior redderetur, paulò pòſt immitteret cum goſſypio guttas duas vel tres *aq. apoplectica* in aurem lateris affecti, atque ſic laborantem extemplò ſanatum fuiſſe, referebatur ſimul ægrum ſenſiſſe, quaſi aliquid in aure decidiſſet.

Et certè hanc Experientiam multoties veram fuiſſe teſtor, inprimis eo in caſu, quando nervus auditorius vel etiam tympanum à materiâ craſsâ fuit circumvallatus, quæ à balneo attenuata poſtmodum facilè *ab aq. apoplecticâ* reſolvi poteſt.

Nec prætereundum hoc loco eſt *Arcanum*, quod ex *vermiculis intra lignum quercinum & corticem ſtabulantibus cum ol. rutac. coſtin. componitur. Hôc D. D. Timæus Naturâ ſurdos curavit. Deſcript. vid. apud Claud. Deodatum in lib. de vitâ prolongandâ ad 120. annos, & Camerar. in memorabil.* Pro *arcano* habet *Prævotius in ſelect. remed. crocum & caryophillos cum ſucco cyclaminis, quæ Thom. Barthol. c. 6. h. 77. ſolet aqua roſacea miſta & trita ex bombace excipere & auribus immittere.*

Contra Tinnitum & Obauditionẽ internè commendatur *Eſſ. lignor. & ligni Saſſafras*, quia diſcutit. *Externè contra Tinnitum ol. deſtill. chamæmel. c. ol. amygdal. amar. cum bombace auribus indi poteſt. Item: Zibeth. Moſchus &c. cum bombace auribus externè applicari poteſt. Item; cum fol. Lauri. com. abſynth. h. origani. ſerpill. fol. aſari, hellebor. alb. panis pinſi poteſt, qvi calidus applicetur, vel ita per ſe, vel affuſo ſpiritu vini, vel Eſſ. caſtor. vel abſynth. ejuſmodi Eſſent. ad ℥j. vel ℥ij. præſcribi poteſt.*

Contra Narium Exulcerationẽ, Ozænam & Polypum Specifica Interna.

In *Narium Exulceratione à Lue venereâ* ortâ Medicamenta huic Morbo appropriata & cum *Cephalicis* mixta uſurpanda ſunt. *Primò purgantia, deinde Sudorifera, & tertiò ex-*

tiò exſiccantia, qualia Eſſ. lignor. cū Eſſ. fl. anthos, vel Eſſ. Traumatica.

Si à ſcorbuto, ſpecifica purgantia anti-ſcorbutica ſunt exhibenda, & ſemper Medicamenta admiſcenda ex lignis v. g. Spiritus anti-ſcorbuticus cum Eſſ. lignorum. Valet hîc etiam ſpecificum cephalicum ob cinnabarim Antimonii.

Externa.

Decoctum ligni ſancti fact. cum aloës epatic. in aq. hord. addendo mell. roſac. it. Decoct. veronic. cum mell. roſac. Aqua viridis Hartmanni. Aqua aluminis ejusd. Ad conſolidationem facit decoct. myrrh. & olibani in vino & aceto, in petiis calidè aliquoties applicatum.

In Polypo externè Henricus ab Heer lib. 1. obſ. 28. commendat butyrum Antimonii & Mercurii cum arcano corallino. Probatum quoq; remedium ad curandum Polypum habet Riolanus in Morbis narium. P. Poterius in obſerv. valdè commendat pulverem heleotropii naribus bis de die cum goſſypio immiſſum, qui diſſolvit citra morſum; alii ſuccum Naſturtii commendant. Turunda radicis gentianæ magnam abſumendi vim habet. vid. Hartmannus.

In OLFACTUS *læſione* ſpecificum eſt *Extractum majoranæ ſingulis diebus jejuno ventriculo & veſperi præmiſſis univerſalibus ſumptum.* Doſis ℈ß. vel ℈j. Ejus item oleum à gutt. ij. ad iii. in vino ſumptum mira præſtat. Externa valent *ſternutamenta.* Nodulus ex *nigellâ & majoranâ. radix gentianæ naribus inſerta. ol. Nicotian.*

Contra Hæmorrhagiam narium Specifica Interna.

Sperniola Crollii. gr. 5. vel 6. in aq. burſ. paſtoris. Tinctura ſulphur. Vitriol. lapid. hæmatit. ſirup. d. ſucc. portulac. Corallor. Q. Muſcus cranii humani. Pulv. ranar. exſiccat. Aq. ſpermat. ranarum. Nitrum fixum quod præ aliis coagulando ſanguinem ſiſtit. Petræus in Noſolog. p. m. 230. 231. Alii Eſſ. mumiæ ℈j. *adſumunt.*

Externa.

Stercus Aſininum, de hoc vid. Roderic. à Caſtro de morb. mulier. qui ex hoc Sirupum conficit & etiam internè in hæmorrhagiâ narium commendat.

Radice Cichorii circa feſtum Jacobi in meridie collectâ dentes ſunt fricandi, quâ ſputum ſanguinis etiam compeſcimus.

Pili è pube muliebri avulſi intrudendi naribus virorum hæmorrhagiâ affectis. Pili autem è pube virili admovendi fœminis. vid. Henric. ab Heer lib. 1. obſ. 5.

Bufo arefactus manibus detentus, dum incaleſcat, vel axillis ſuppoſitus in febribus malignis.

Sangvis Martii leporis torrefactus in aceto calido ſumptus. Cinis Cornu Vaccæ.

Cum

Cum Sol & Luna in Ariete conjunguntur Fraxinum ab internodio uno ad aliud uno ictu ſeca, & cerâ utrinq; ſigilla, hoc ſolâ admotione utere in hæmorrhagiis. P. Borellus centur. 3. obſerv. 78.

Præſtantiſſimum eſt etiam remedium ſolus aluminis tactus aut colcotharis à venâ ſectâ. Idem c. 4. obſ. 7.

Contundatur Urtica communis, plantis pedum, & volis manuum applica, neq; 24. horarum ſpatio amove, & linteum aqvâ frigidâ madefactum teſticulis involve, naribusq; inde interioris cepæ partis turundas in aquâ madefactas, naribus primò eâdem aqua mundatis. Aqua autem hæc eſt aq. deſtill. urticæ communis.

Non mediocri vi pollent *burſa paſtoris & hyoſciamus* ſimili modo applicati, vel *ſuccus hederæ* ad ℥j. epotus, vel *pili leporis cum atramento naribus inditi. Idem c. 1. obſ. 95.*

Nari ſanguinem ſtillanti ferrum ignitum ſupponatur, ut vapor ſanguinis torrefacti in nares ſuſcipiatur illicò, fluxus ſedabitur. Thom. Williſ. de febribus p. 127.

Talus porcinus calcinatus, ad quévis ſanguinis fluxum eſt utilis.

Muſcus item ex tegulâ imbuatur aceto, & vertici capitis imponatur.

Nihil præſtantius eſt *radice Zizaniæ.* Item *rubra faba in vino cocta. Thom. Bartholinus c. 5. h. 97.*

Lapis carpionis tritus & in pollinem redactus *cum lanugine, quæ in malis cydoniis hæret*, naribus inſeratur.

In Hæmorrhagia narium inſtillentur in aurem è directo naris ſanguinem fundentis *guttæ aliquot aceti roſacei. River. in obſ. communicat. obſ. 16.*

Uſitatum etiam eſt nonnullis ſeq. Empl. naribus ab extra impoſitum

Rec. Colcothar. Vitriol. Martis ʒß. muſci cran. human. ℈i. maſtich. ſang. Dracon. ana ℈ij. cerat. ſantal. & Ung. roſac. ana q. ſ. & ceræ parum. M. f. Empl.

Magna arcana magnetica ad hæmorrhagiam etiam in *Vitriolo* latitant, quemadmodum ex pulvere Sympathetico hoc ipſum claret. Pulvis hic ſanguini effluenti adſpergitur, vel poteſt ſanguine imbui, & deinde conflagrari. *Vid. Baverotius & Papinius in fine Epiſtolarum.*

Nota: Narcotica ſummâ cum prudentiâ & non niſi cogente neceſſitate in uſum ſunt vocanda. Calorem enim nativum extingunt, ſpiritusque figunt & congelant circa membranas cerebri, unde Apoplexia & interceptio vaſorum & vitalis Spiritus inter cor & cerebrum. *Petræus l. c.*

In *CORYZA poteſt acetum deſtill. in ſilicem ignitum infundi, & vapor naribus excipi.*

Item *fiat nodulus ex fol. majoran. lil. convall. cum ol. d. majoran.* Applice-

plicetur naribus vel per ſe, vel in aq. majoran. intinctus.

Contra Linguæ Ranulam fungi ſambuci in potum injecti valdè commendantur.

Rana Nuchæ applicanda *juxta Hartmannum*. Verùm exiguo & nullo cum ſucceſſu ſæpè uſurpatum hoc remedium, *teſte D. D. Johann. Michaël.*

Contra Lingvæ nigredinem in febribus præſertim Ardentibus valet *Mucilag. ſemin. pſyllii vel cydon. optimè præparata cum aq. ſemperviv. phlegmate Vitrioli. Tinctur. roſ. violar. aq. ſemperviv. cum ſuccis ♋ & ✱ præparata optima omnium eſt Medicina. Lapis prunell. miſc. cum aqua prunell. ſemperviv. & Sir. ſucci ſemperviv.*

Contra Lingvæ Paralyſin ol. d. aniſi commendatur ab Hartmanno. ol. roriſm. ſp. ceraſ. n. cum vitriol. deſtill. miſceri poteſt cum ſp. Theriacal. & ejus Extracto; convenit etiam ſp Vitrioli cephalicus. Fricetur etiam Lingva cum Theriacâ mixtâ cum ſemine Erucæ pulveriſato. Commendatur etiam conſerva fl. tunicæ.

Ad Labiorum Fiſſuras valet *pinguedo,* quæ *ex cochlearibus ligneis* in culinâ ad coquendum uſitatis, ſi igni admoveantur, exſtillat: Vile quidem Medicamentum, ſed egregii uſus; prodeſt etiam in fiſſuris papillarum; ſi adeſt ſalſedo, & affectus diu duravit, purgandum nodulis. Valet item *ol. expreſſ. Nuc. Moſchat.* ʒij. *ol. olivar.* ʒi. *ceræ rubr. q. ſ. f. Linimentum. vel: Rec. pomat.* ʒj. *ol. momordic.* ʒß. *vel etiam* ʒj. *M. eſt egregium vulnerarium.*

Contra Aphthas ſive oris exulcerationes præmiſſis præmittendis commendatur phlegma vitrioli tinctur. fl. aquileg. roſ. v. cum phlegmate dicto. Tinctura Laccæ. Aq. ex corticib. Nucū cum Sirup. veronic. dianucū. In infantibus ſpongiæ ſambuci infundantur in aq. fabrorum ferrariorum, & os inde eluatur; vel adhibeatur diamoron cum mell. roſac. aut oxymell.

Ad Dentium Corroſionem, hujus cauſa corruptio, quæ præcaveri poteſt per *ſcalpellum à cibis ex certis lignis, buxo, item teſtudinis cheloniis, quæ ſingulariter commendantur, factum. Laudani Odontalgici Crollii gr. j. denti impoſitum cum goſſypio; cinis item dentium cervi; Sp. Salis gutta una vel altera cum bombace applicata.*

Ad Dentium extractionem facilitandam communiter commendant *Ranarum viridium in arboribus degentium pinguedinem.* Verùm Experimenta deſunt. *Vid. Strobelbergerus de Podagrâ Dentium.*

Contra *Dentium mobilitatem ſucco acaciæ quotidiè dentes eluantur, it. decoct. fol. quercus cum phlegmate aluminis. Tinctur. Laccæ. Eſſ. Ligni Saſſafras. Ung de aqvileg. it. Radic. irid. Fl. bonum halitum ſpirant, dentes cre-*

tes creſcere faciunt & corruptiones impediunt.

Nota. *Caſus Dentium* ex fundamentis *Helmontianis* oritur ab extinctione fermentalis odoris, qui movet Archéum dentalem ad transmutandum cruorem in alimentatũ, id quod accidit vel in ſummo ſenio, vel à cadavere extinctis viribus defuncto, cujus cauſa Archéus eſt, qvi adeò mortẽ timet. Unde & *Dens à cadavere extinctis viribus defuncto, teſte Helmontio in Tumulo Peſtis, qvemlibet dentem hominis vivi ſolo attactu excidere & marceſcere facit. p.m. 857.*

Contra Odontalgiam Specifica Externa.

Specificâ proprietate agunt Betonica naſo indita P. Borellus c. 3. obſ. 8. Burſa Paſtoris contuſa & auribus indita avellanæ magnitudine ſæpè experta eſt. id. c. 3. obſ. 27.

Lignum ſympatheticum ex fraxino magneticum etiam eſt.

Canis mortui dens in fornace uſtus cum poſca miſtus, & impoſitus.

Radix Lapathi acuti ante germinationem in vere collecta, exſiccata & denti dolenti appoſita.

Senecta ſerpentis in vino vel aceto cocta. Item tibia ranæ terreſtris denti dolenti impoſita.

Gummi hederæ dentibus inſertum.

Riverius in obſerv. communic. ſe curatum vidiſſe refert dolorem dentium Sale fraxini, quo impletum digitale, mulierum, & arteriæ temporum applicatum, ubi ſentitur pulſatio.

Ex *Pice Burgundica cum pulvere nucis Moſchatæ P. Borellus Emplaſtrum conficit & arteriæ temporali admovet. c. 4. obſ. 68. Utile etiam eſt Empl. ex Tacamahaca cum maſtiche præparatum & temporibus applicatum. Thom. Bartholin. cap. 5. hiſtor. 25.*

Balſamus Odontalgicus Hartman. & D. Johann. Michael. oleum item Buxi mira præſtant.

Sal Nitri cum aluminis anatica portione ſimul in crucibulo fundătur, adde parum ſulphuris, ut magis albeſcat. Poſteà projice ſupra marmor & in fruſtula divide ad uſum, denti dolenti impone, mira præſtat. P. Borellus c. 1. obſ. 98. Thom. Bartholinus c. 5. hiſtor. 54.

Dentium etiam dolores mitigat & vermes ex illis trahit ſevum Cervinum linteo exceptum, & ad ignem liqvatũ gingivis impoſitũ. Th. Barthol. c. 3. hiſtor. 96. Gryllorum pulvis cum bombace denti inditus dolorem ejus ſedare perhibetur. Horſt. libr. 9. de chirurg. caſibus obſerv. 2.

Ad genarum tumores ex dentium dolore commendatur ficus inverſa calefacta ſæpe renovando interius admota. P. Borellus c. obſ. 86.

Odontalgia juxta HELMONTIUM oritur à furore & excandeſcentiâ dentalis Archéi, cujus cauſæ

cauſæ occaſionalis initium ſunt ſalia auſtera, pontica, acida, acria &c. Quæ naſcuntur vel ex indigeſtâ materiâ ultimi ſui alimenti, vel ab aliis indigeſtionibus ſcaturiunt, quæ cũ latice illi imbibita ad radicem dentium facilè pertingunt, & ibidem Archéum dentalem laceſſunt; In pueris, ſin ad culmen provenerit indignatio, venenum Epilepticum fabricatur per exarthroſes Archéi.

Curatio perficitur *primò*, per ſedationem indignati Archéi, per remedia ſubtilia Archéo grata, veluti *ſunt balſamica ex gummatibus & aromatibus extracta, qualia Hartmanni ex ol. d. caryophyll. camphorâ &c. Talis & eſt Sotirella parva Mindereri ex ol. expreſſ. nuc. Moſchat. laud. opiat. ſpec. diambr. camphor. Extr. croci. ol. d. caryophyll. &c parata.*

Deindè dolor dentium ſedatur vel revulſo latice aut ſero ſalibus acribus impregnato per V. S. aut purgationem, vel repulſo & intercepto illo, ubi locum habent ſuprà allegata de *Burſa Paſtoris, de Pice Burgundicâ, Tacamahacâ, Sale fraxini ex P. Borello & Riverio l. c.*

Tertiò dolor dentium ſedatur etiam ablatâ causâ occaſionali, quæ, uti dictum, conſiſtit in ſalibus acidis, ponticis, auſteris, acribus &c. quæ ſaturanda alkalibus citra acredinem præparatis ex Martialibus & aliis internè adhibendis.

Dolor dentium evaneſcit denique etiam mortificato Archéo, id quod per acria perficitur remedia, ut eſt *radix Pyrethri* & ſuprà adductum *Borelli ex nitro & alumine confectum.* Notandum tamen, horum juſtam doſin ſi exceſſeris, plus damni, quàm commodi inde emerſurum.

Stuporem dentium tollunt frictiones *ex portulacâ viridi, vel caſeo viridi.*

In *ſtridore dentium Balſamo Peruviano vero* dentibus inuncto non præſtantius datur remedium.

Fœtori & Gangrenæ dentium reſiſtit *Tinctura Laccæ cum roſ.* v. *ſang. Dracon. mediante ſp. 🜍 extracta, addendo ol. ligni Rhodii vel caryophyll. Semel tantùm in ſeptimanâ uſurpetur. Item Spiritus ex ☉ & ⊖ Mynſicht. in metu gangrenæ valet.*

Contra *Dentium nigredinem* optimum etiam & præſtantiſſimum eſt Medicamentũ *Tinctura Laccæ Mynſichti. Cinis Tabaci. Roriſmarini. Radicem Polypodii in aceto & ſp. 🜍 maceratam* tanquam ſingulare Experimentum commendat *Freitagius in Aurora Medica*; exſiccatur rurſus, & poſtmodum hâc dentes fricantur. *Farina Siliq. & Lapid. pumicis. item Ental. & Dental. Oſſ. ſepiæ piſcis cum corall. vel CC. uſt. add. cryſtall. Tartar. non minoris ſunt affectus.*

Nota. Ubi Tartarus Dentium deeſt, Medicamenta hæc non cottidiè

tidiè ſunt uſurpanda, quia dentes mirum quantum abſumunt.

De Gingivarum Affectibus.

Ad Gingivas cruentas ac tumidas valent ſummitates hyſſopi, Scarlei. cum alumin. crud. coct. in anaticâ portione aq. & vini ſ. q. cujus decocti ſ. q. Os bis & ter in die colluatur. P. Poterius in Pharmacop. ſpag. l. 1. c. 2.

Aliàs etiam *parum aluminis in Spiritu Sulphuris poſitum ℥j. cum conſerv. bugloſſ. ℥vj. & deterſo dentium Tartaro ope ſcalpelli lignei admoveatur inſtar opiatæ & intra quindecim dies carnem gingivarum reſtituet. P. Borellus c. 2. obſ. 55.*

Vel: Rec. fol. aquileg. ſem. cochlear. ana ʒij radic. Ireos Fl. aluminis uſti ana ʒiß. Corall. alb. ʒij. M. f. pulvis irror. ol. d caryophyll. *Item. Gargariſm. d. tormentill. Mynſicht Balſam. item Medicamentoſ. Ejusd.*

Nota: Gingivæ cruentæ atque tumidæ cauſa eſt juxta *Helmontium* cruoris accumulatio, cujus cauſa occaſionalis eſt tenuis phlogoſis, quæ oritur vel à digeſtione in dente ab injuriis externis impeditâ, vel à præſentiâ hoſpitis exotici, Salis nimirū acrioris.

De Gurgulionis Affectibus.

Contra Gurgulionis laxationem applicetur *capiti fermentum cum ſuccino & adhibeatur Sp. Vini optimus eidem. Piperis item valet conmctus. P. Borellus c. 3. obſ. 94.*

Contra ejus inflammationem facit ⊕ fixum Saccharum ♄ cum ⊕ in aq. prunell. ſolut. pro gargariſmate. Diamoron itidem.

Ad *Tonſillarum inflammationem* optimum eſt remedium, ſi *terrâ ſigillatâ* tangantur, vel in jusculo ſenſim deglutiatur. *P. Borellus l. c.*

Contra Anginam Medicamenta Specifica Interna.

Fungus Sambucinus coctus & bibitus. Cancri vivi cum ſempervivo contundantur, & aliquid ſucci hujus expresſi in aq. prunellæ intrò concedatur.

Stercus canis albi oſſa candida rodentis, collecti menſe Julio, ſeu cum canicula adſcendit, in aqva probè coctum & cum roob diamoron, exhibitum.

Raſuræ dentis apri ʒj. cum ol. amygdal. dulc. & ſacchiaro cand. exhibita, prout & in Pleuritide ſummum eſt arcanum Fr. Valleriola libr. 2. obſ. 10.

Cinis Hirundinum, item cancrorum melle mixtus illinatur.

Stercus etiam *hirundinum, columbar. anſerum, gallinarum, in quibus Sal Nitroſum delitescit, valet.*

Ex *ſignaturâ externâ proſunt fl. papav. rh. prunella. Uvularia, Cervicaria. Morſus Diaboli vel ſucciſa herba etiam ſpecificum eſt.*

Roob Nucum uti in omni faucium affectu rectè commendatur, ita & hîc convenit. Et *ExtractumNucum,*

quia habet vim alexipharmacam ac præſervativam. Habent enim *nucũ* cortices vim vitriolatam, hinc nonnulli audent exinde præparare *Vitriolum*, & uſurpant *ad Tincturæ corelliorum* v. *extractionem*.

Secretum Guntzmanni apud Hartmannum paratur ex ſucco ♋ ſempervivo & Sale Ammoniaco.

Medicamenta *ex ☽ antimoniato. it. Aq. cordial. Hercul. Saxon. Nec minus decoct. hord. cum ocul. ♋ addit. in fine Lapid. Prunell. vel ſp. nitri & ſirup. d. Citro. compoſ. hîc quoq; conveniunt. Nec minoris efficaciæ ſunt Magiſterium dentis apri in aqua prunell. & Sir. d. ſucc. ſemperviv.*

Nota. *ANGINA* juxta *Helmontium* oritur â fermento peregrino ſylveſtri aut venenato Archei faucium hoſpitium violante, quo violato irritatur, undè dictum fermentum laticem ſive ſerum ad eluendas ſordes deſtinatum non ſolum variis commutat larvis, ut ſaliva inde fiat aquea, mucida, acida, amara, tenax inſtar fili, ſed & ſi peccet vitio alieno à vitioſâ viſcerum digeſtione contracto, magis conſtringentē reddat, ut faucibus præcluſis *Angina* exæſperetur, & periculoſiſsima fiat, quæ intra paucas horas hominem interimat. Sin omnis latex fuerit exhauſtus, & foris ſputatus, tum Natura, ut ſibi conſulat, ad eluendum hoſpitem exoſum in auxilium vocat cruorem, *hinc Anginæ*, ſi diu duraverint, ſolēt ſuppurari; cruor enim evocatus è venis in pus mutatur, & fit poſtmodum apoſtema, quod niſi tempeſtivè rumpatur, hominem ſuffocat.

Specifica Externa.

Cataplasma ex nido hirundinum Mynſichti. Caput viperæ exſiccatum & collo appenſum. Serpens ſi ſerico rubro ſuſpendatur & ſuffocetur, ſericum illud, præſertim ſi ſanguine iſtius madefactum ſit, valet in Anginâ malignâ & omnibus faucium apoſtematibus. Vid. Bartholettum. Petræum in Noſolog. Angelum Abbat. de viperar. Natur. c. 21. Th. Bartholin. c. 4. h. 73.

Emplaſtrum Magneticum Excell. D. Andr. Knœfelii ex Bufone ſiccato & ſuccino in tr. Method. Med. febr. malign p. m. 109. Bufo enim ſimilitudine ſubſtantiæ fermentum malignum & venenatum extrahere dicitur.

Nota. In *Anginâ Symptomaticâ* febris malignæ nihil attentandum, priusquam ingens æſtus fuerit mitigatus, corpus evacuatum, alteratum, & partes à veneno fuerint præſervatæ. *Deindè*, ſomnus ut in omnibus internis inflamationibus, ſic in hâc quoque remis & velis fugiendus eſt. Nam juxta Medicorum Principem, ſanguis in ſomno magis intrò repit, unde humorum defluxus ad partem affectam augeri poſſet, *Petræus l. c.*

Con-

Contra Strumas ſeu Scrophulas Medicamenta Specifica

Interna.

Radix Scrophulariæ ſpecificè prodeſt. Cinis Spongiarum. Vid. Hartmannus. Lapis ſpongiæ. Radic. Ruſci ʒj. *ſingulis diebus cum vino abſumenda. Cineres Talpæ cum decoct. Scrophular. Eſum ſerpentum commendat Zacutus Luſitanus, qvia reſiſtunt malignitati, vimq; purificandi & abſumendi habent. Magiſter. ſpinar. viperar. cum cran. humano. Arcanum duplicatum Mynſiehti.*

Nota. In hoc Affectu debent ſingula Medicamenta Lunâ decreſcente exhiberi.

Externa.

Prodeſt *pinguedo ſerpentum. Foliorum cupresſi pulvis cum vino in maſſam redigatur, & ſtrumis imponatur, non niſi tertiô die ſolvendum. vid. P. Borellus c. 2. obſ. 67. & c. 4. obſ. 38.*

Contra Bronchocelen internè conveniunt Carminativa ex fl. chamæm. ol. chamæmel. ſmaragd. Eſſ. carminativa D. Michaëlis. Externè Empl. d. baccis lauri. cum ol. hamæmel. malaxt. vid. Aurel. Severinus in Efficaci Medicinâ.

Contra Raucedinem Specifica

Interna.

Lobelius exemplum curatæ raucedinis habet, quæ per aliquot annos duraverat, perfecitque ſingulariter à ſe invento *Sirupo Arteriaco ſeu de Eryſimo. Cujus deſcriptio extat in ejus operibus.*

Braſſica ſpecificè prodeſt in ejusmodi affectu, etiamſi *ſummitates* ſaltem ejus commendantur.

In Raucedine à frigore contractâ valet hauſtus *fumi Tabaci, vel fumi florum Sulphuris per os exceptus cum ſalviæ foliis. P. Borellus cap. 4. obſ. 28.*

Sequens Evporiſton ſæpè à me eſt probatum. Rec. fl. pœon. lil. convall. lavendul. ſalviæ crucigeræ. tiliæ. rorism. betonic. ana p. iij. inciſ. coq. in cerevisiâ, adde in fine Aq. ceraſ. nigrorum. f. Gargarismus.

Contra Phthiſin Specifica

Interna.

Remedia ſingularitates ſpondent vulneraria illa, inqvit CL. Helmontius, quæ Archéum pacant, à corruptione divertunt, hincq; furores vulneri ſolitos compeſcunt. p. m 211. Et Balthaſ. Timæus à Güldenklee libr. 2. Epiſtol. 3.

Aq. heder. terreſtr. cum tertia parte aq. portulac. & in ruptione venæ cum tertiâ parte aq. cyclaminis commendatnr à Petræo in Noſolog.

Aq. Piloſell. millefolii.

Decoctum Symphyti, item betonic. ac Pimpinell. cum conſerv. roſar. veter. radic. Chinæ mirè commendatur.

Secretum Freitagii vid. in Diſp. de Morbis ſubſtantiæ.

Veronica cum cereviſiâ fermentatâ infuſa.

Aq. deſtill. Pulmon. & ſangvinis vitulini cum ordinario potu miſta.

Pulv. radic. Tuſſilagin. c. ſacchar. cand. miſce doſ. manè, poſt meridiem & veſperi qvantum duabus cuſpidibus cultelli ſumi poteſt.

Succus Tuſſilaginis recentis tempore æſtivo cottidiè ſumptus cum brodio qvodam calido.

Item, recipe radic. Tuſſilag. cum glycyrrhic. & veronic. indantur caponi & decoctum ſervetur pro uſu cottidiano.

Decoct. gnaphalii montan. borragin. roris Solis. cum liqviriz. & paſſul. in juſculo carnis factum, P. Poterii eſt. Conſerva Hieracii etiam utilis.

Decoctum Bugulæ in juſculo vervecis factum maximè confert. It. fl. Tuſſilaginis.

Nullum etiam præſtantius in *Phthiſi* remedium eſt *lacte humano, teſte Riverio in obſ. communic. p. m. 327. Vel ejus butyro conſentiente P. Borello c. 3. obſ. 82. Ex cranio hominis triginta circiter annorum. vide arcanum contra Phthiſin in Balthaſ. Timæo à Güldenklee libr. 2. Epiſtol. 3. & quid de illo ſtatuendum.*

Nota. *Phthiſis ex Helmontianâ doctrinâ* oritur etiam à quodam fermento peregrino, cujus ratione errores vegetatricis in Pulmone contingunt, ut ex bono alimento flava & cinerea ſputa producantur.

Si adſunt humores acres *ſcorbutici*, poteſt uſurpari *Fumaria cum Medicamentis Phthiſicis* mixta. Poteſt quoque tempore matutino & veſpertino *Succus fumariæ cum lacte exhibere. Vid. Zacut. Luſit. de M. Ph.*

Solâ Aquâ deſtillatâ exæſtuantis ſanguinis porcelli aliquot phthiſici fuêre reſtituti.

Lac Caprinum aut Aſininum etiã commendatur, niſi æger illa abhorreat, eam ob cauſam, quia abſtergunt & humoribus acrimoniam demunt. Imo magis proderunt, ſi iſta animalia *ſpecificis* fuerint enutrita. Rectius autem aliquot horis ante cibum ſumuntur adhuc calidè.

Nota. Jupiter utilis eſt in omnibus aſpectibus ad Morbos Pulmonum curandos.

Item. Quadratus Jovis & Mercurii commendat curam in Phthiſicis inſtituendam. Item Trigonus Jovis & Mercurii. It. Sextilis Jovis & Mercurii. Item Conjunctio Jovis Veneris & Jovis Mercurii inſervit felici totius maſſæ ſanguineæ curæ phthiſicis curandis ſalutaris. Item Oppoſitio Jovis Mercurii hic etiam non excludenda.

Externa.

Ungventum ex pinguedine glirium montanorum convenit. It. Pingvedine Galli Indici rec. ſpina dorſi inungatur.

Pro Balneo ol. olivar. qvibusdam commendatur. Verùm ſciendum eſt, ſi ad-

ſi adſit febris lenta, hoc nequaquam eſſe adhibendum, non modo enim nihil adjuvat, ſed & plurimum lædit. Cæterùm in hecticâ febre, niſi putridam habeat conjunctam, prodeſſe, nemo Artis Medicæ peritus ignorabit. Quo in caſu commendatur etiam *inſeſſus in ſemicupio tepido ex decocto hordei & amygdal. dulc. parato.* per triduum bis in die.

Ung. etiam Reſumptivo cum ol. roſar. vel violarum Pectus & ſpina inungenda. Imponenda etiam raſura carnis cucurbitarum cum lacte cocta.

Nonnulli Phthiſicos ſanant evacuato ex brachiis ægrorum ſanguine & gallo gallinaceo propinato.

Antipleuripnevmonica Specifica Interna.

Decoctum fl. papaveris rubeorum cum Sirupo violaceo. Item Floris hujus ſiccati ʒß. *cum decocto pimpinellæ & ſcabioſæ detur. Hi enim flores teſte Valleriolâ obſ. Medic. 5. libr. 5. & obſerv. 10. ejuſd. libri in Pleuritide levandâ mirificam vim habent. Conſentiente Helmontio in tr. pleura Furês. Ex hiſce parari poteſt Tinctura.*

Specifica item ſunt carduus b. & M. & præcipuè. Ejus ſemen. ſcabioſa. radix Lappæ major. cujus ea vis perhibetur, ut ſanguinem coagulatum vel extra corpus aſperſum disſolvat. Cynoſbati flos candidus Papaver molle ſpumoſum. Papav. rh Anagallis fl. rubr. cortex avellan. rubr. Aq. fl. acaciæ, carthami. Eryngii. fl. buxi pulveriſ. ad ʒj. *cum aq. papav. rh. ſanguinem mirificè purgat. fl. bellid.* v. *Succus cichor. ſylv. Pomum coctum cum* ʒj. *thuris. River. c. 1. obſ. 56. Fuliginis camini* ʒß *cum aq. card. b. c. 2. obſ. 79.*

Dens apri. Mandibul. luc. piſc. Tali Leporum. raſ. priapi cervi vel tauri. ſtercus eqvinum. Cruor hirci, non qvidem venalis, ſed qvi ex hirco, cornibus ſuſpenſo, & alligatis pedibus poſtremis ad cornua abſectis teſtibus collectus eſt, teſte CL. Helmontio l. c. antecellit omnia.

Oleum lini recens expreſſum & ante uſum aquâ aliquâ appropriatâ lotum ad ʒij. adſumptum.

Magiſterium Pleuriticum D. Job. Michaël.

Spiritus Anti-Pleuriticus ejuſdem.

Tinctura Anti-Pleuritica Mynſicht. Et ejuſdem ſpecies pleuriticæ.

Nitrum Antimonii præparatum in Epidemicâ. *Tinctura Bezoardica. Sp. Nitri. aperitiv. Penotti; Bezoardicum minerale ſ. & ſolare. Antimonium diaphoreticum. Oculi cancri &c.*

Qvomodo hæc ſpecifica ſuam operationem abſolvant, alii aliter ſentiunt. CL. Helmontius cum omnis *Pleuritidis* cauſam proximam transferat in cruorem extravaſatum ab ejus acore cauſatum, condignum Pleuritidis remedium ſtatuit teneri in eo, quando Archéum ab aceſcendi conceptu avertit; Ideoque putat dicta

dicta appropriata eſſe Archéo amica, cauſam immediatam in Archéo corrigere, acorem tollere, & ad diaphæreſin diſponere cruorem, dolorem pacare, dum aciditatem extinguunt. Ablato quoque acoris fermento, reſolvunt quantum posſunt cruoris extravaſati, reliquumque neglectâ puris deſtinatione tempeſtivè rejiciunt per tusſim. Quæ cauſa etiam eſt, quod eadem remedia propinentur contra caſum ab alto, quatenus cruorem reſolvunt, id eſt, ſpinam aufferunt, venenum tollunt, & eatenus locum incarnant. *in tr. Pleura Furens.* §. 32.

Externa.

Oleum Camphoræ Mynſicht. Ol. Anodynum ejusdem. ol. ſeſamini. it. nucib juland. & ſem. papav. expreſſ. ping. muris montanæ ol. expreſſ. amygdal. d. chamæmel. violar. &c. Ung. dialth. P. Poterius c. 2. cur. 50. ſeqvens fomentum commendat factum ex fol. malv. violar. prasſii alb. camomill. ſemin. lini anatica portione coctis in aq. f. ſ. q. Dolore ſedato adhibet linimentum ex butyr. recent. non ſalito, ol. amygd. d. ping. gallinæ ana. & M. pro linimento.

In *Empyemate* valet *decoctum Guajaci cum pectoralibus* exhibitum. *Succus hederæ terr. cum thure diapenid. in Looch compoſitus.*

Sirup. Nicotianæ legitimè præparatus cum aq. heder. terr. Sirup. de Symphyt. de althæâ Fernel.

Præ omnibus decocto *Nicotianæ* vix datur præſtantius, ſed ritè ſit præparatum & per digeſtionem depuratum, alias gravisſima excitat ſymptomata, *de quo vid. Ferdinand. Ephanii hiſt. 45. in ſuis Conſil.*

Contra Tabem Dorſalem.

Hoc malum ut plurimum à nimio Veneris oritur uſu, unde nonnulli ex modernis non ſine ratione ſtatuunt ſeminis materiam ſuppeditari à ſpinali medullâ & per nervos derivari ad partes genitales, quæ ſi in nimiâ excernatur abundantiâ, dictas partes debilitari & inde præſentem oriri affectum. *Vid. Ferd. Epiphan. in Epiſtol. & Schœnborn.*

Conveniunt in hoc *affectu reſtaurantia, humectantia*, qualia *lac capræ nigræ, de quo vid. Zacut. Luſitan. lib. 1. prax. Medic. admir. obſerv.* [illegible]. *Deindè* commendâtur Medicamenta ex *nucleis pinis, piſtaceis non rancidis, & amygd. d. Electuar. reſumptiv. pulvis analepticus, morſuli nutrientes & confortantes.*

Pro *Confortatione Spirituum* non datur præſtantius *Ambrâ in ſubſtantiâ, vel Eſſentiâ ejusd. ol. expreſſum ex pineis & piſtac* cum *vino & ambrâ* exhibitum. *Externè* conveniunt *inunctiones Dorſi unguento reſumptivo; ol. amygdal. dulc. & piſtac. pingued. Galli Indici. recens.*

Contra Dyſpnœam faciunt *decoct. radic. enul. fœnicul. Cinnabar. Antimonii Sulphur ſolare Antimonii, ſi à*

fumo

fumo argenti vivi malum contractum fuerit.

Si autem *à Scabie* ad interiores partes repulsâ oriatur hic affectus, uſurpari debet *Eſſentia Elenii. & fumariæ. decoct. Elenii. ♁. diaphor. tinctura Sulphuris Antimonii.*

Quandoque à potu frigido *Dyſpnœa* oriri ſolet, & tunc convenit *ſpecificum & ſecretum* infallibile *Acetarium ex Bellide* (Baumbällichen.) *Mindereri in Medicinâ militari. Eundem affectum ſolo ſucco bellidis curavit D. Joh. Michaëlis.*

Anti-Aſthmatica Specifica ſunt in præſervatione fecul. Aronis cum fl. 🜍ris in Sirupo de hiſpidulâ vel Sirupo. Nicotianæ cum Sp. 🜍ris præparato permixtæ. Gregor. Horſt. libr. 5. obſerv. 32. Extract. Elenii Elixir pectoral. D. Johann. Michaël. Magiſter. benzoi.

In *Curatione Spiritus gummi Ammonic. cum virid. ære. Aſthmaticus D. Joh. Mich. Oxymel. ſq. Aq. Aſthmatic. Rudolph. Sirup. aſthmatic. Mynſichti. de ſucco Marrubii. Vinum millepedum, ſeu aſellorum. It. Gummi Ammoniacum* ℥jſs. *cum aq. hyſſop.* ℥iv. *& vini opt.* ℥ij. *M. & f. hauſtus. Fol. roriſmar. cum vino coct. addito melle colata tempore ſomni hauſta mira præſtant. Borell. c. 4. obſ. 46.*

In *Aſthmate puerorum & ſenum valdè etiam prodeſt ſperma cœti. Allium plantis pedum alligatum expectorat.*

Anti-Bechica Specifica in materiâ craſſâ ſunt oxymel. ſq. Sir. d. hyſſop. marrub. Tusſilagin. fecul. aron. fl. 🜍. Magiſter. benzoi. ſpec. diair. Extract. helenii. Aq. aſthmatic. Rulandi. Elixir. pectoral. D. Joh. Michael. Elixir. propriet. P. qvod in principio videtur exaſperare malum; ſed continuatum per aliquot dies juvat. Balſamus 🜍. cum ol. fœnicul. Lac. 🜍ris.

In *Tusſi infantum* commendatur *ol. expreſſum amygdal. dulc. c. ſaccharo. cand.*

Si à Catarrho oriatur, conveniunt Emplaſtra capiti impoſita, cucuphæ. &c.

In *Epidemicâ* adhibenda, quæ ſimul vim alexipharmacam habent, *ut ſcabioſa, helenium &c.*

In *Tenui materiâ* præſtant *Sirup. violarum de jujub. papav. ſ. papav. rh. Aq. Pulmon. vitecl. aq. papav. rh. Laudan. opiat. Pulv. anodynus mixtus cum Saccharo cand. & ſomni tempore ex hibitus. ſpec. diatragac. fr. diapenid. Bolus Armen. præparatus. Loch. ſanum & expert. de pulmon. vulp.*

Tusſis aliquando etiam à *Scorbuticâ* dependet diſpoſitione, quæ *pectoralibus* exaſperatar, & *anti-ſcorbuticis* exſtirpatur.

Anti-Hæmoptyca Specifica Interna.

Grumi ſanguinis in principio ſunt diſſolvendi, ne glutinatio impediatur. quod fieri poteſt oxycrato tepido bis

vel

vel ter unâ die ad ℥iij. *vel* ℥iv. *Sit autem ita miſtum, ut potu ſit jucundũ, ne ob acetum tuſſim copioſius excitet. Si hisce nihil efficitur, ad fortiora veniendum, coagulum leporis, hœdi, ocul.* ♋ *Mumiam, ſperma cœti, Antimonium diaphor. Tincturam bezoardic. D. D. Joh. Michaëlis.*

Hæc exhibenda ſtatim *ab initio*, ſi malum proveniat ab ἀναςομώσει, ſin autem à rupturâ primò ſiſtendus eſt fluxus, nam ille hîc plus urget, quàm concretio, *deinde* ſanguis diſſolvendus. Siſtitur autem fluxus *pulvere Scaligeri & Heurnii, cujus ingredientia ſunt ſem. papav. alb. hyoſcyam. alb. Lapis hæmatit.* Hujus autem uſus diu non eſt continuandus ob ſemen hyoſcyami, quod noxium valdè eſt. *His adde Tincturam Sulphuris vitrioli. Muſcum cranii humani. Sperniol. Crollii. Sir. de portulac. Corall. ſymphyt. Fernel. Croc.* ♂ *adſtrictiv. Extract. tormentill. biſtort. c. ſacchar. roſar. veter. CC. uſt. & præparat. Corall.* v. *præparat. Tinctura lapid. hæmatit. Bolus Armenus præparat. Succum Urticæ Amatus Luſitanus & P. Borellus mirè prædicant, quem ad 5. vel 6. dies exhibuerunt, ſingulis ſcilicet diebus qvatuor uncias jejuno ſtomacho. Imo & ipſam urticam incoctam jure pulli ſæpè comedendam dabant.*

Decoctum etiam millefolii fl. alb. & lut. cum radic. tormentill. & fol. recent. & pimpinell. major. ſummè efficax eſt, addendo conſerv. roſar.

Aq. burſæ paſtoris, plantaginis, portulac. cum Sirup. de Symphyt. vel Corall. mira etiam præſtant. Lignum quercinum in vino coctum & bibitum.

Inter *ſecreta* quidam referunt *ſuccum hederæ terreſtris*, ſi ex illius ℥iv. *& marrubii* ℥ij. paretur *Looch, addendo thuris, Myrrh. ana* ʒj. *diapenid.* ʒß.

Externa.

Bufo transfoſſus ☉ *exiſtente in* ♌ *exſiccatus, ſi in manibus teneatur, certum eſt experimentum per ſympathiam. Valet etiam de pectore ſuſpenſus. Burſa paſtoris recens pulſibus applicata.*

Decoctum ex muſco prunor. ſylv. juſto tempore collecto fact. in aqva portulac. pro gargariſmate. Item decoctum centinodii axillis aut genubus impoſitum.

Nota I. Extra paroxymſum convenit *Eſſentia travmatica*, & ſi appareat adhuc aliquid cruoris, miſceatur cum *Tinctura* ♀*ris* ⊕*li.*

II Si ſanguis plurimùm aqueus & ſeroſus ſit, ut plerunque in omni hæmorrhagiâ contingere ſolet, *rhabarbari pulveris* ℈j. ſingulis diebus manè horâ unâ ante paſtum â ſedatâ hæmoptyſi conveniet. Sic enim ſanguis, expurgatis paulatim ſeroſis illius humoribus, priſtinam ſuam craſſitiem recuperare poterit. Vel poterit idem *Rhab ſumi ad* ʒj. ſemel in ſeptimanâ. Aliàs purgantia hîc planè

planè exulare debent. *Cæſalpinus in Catopt. Medic. Art. l. 6. c. 16.*

Hæmoptyſin aliquoties feliciter curavi cum pulvere *Lapidis hæmatitis* in emulſione amygdal. dulcium cum papav. alb. Huic affectui obervavi ſemper *Phthiſin* ſuccedere & tandem ipſam mortem. *Duo* tamen ſuppetunt felicis *Curationis Exempla.*

COMITISSÆ Schwartzenburgk & Hohenſtein, quæ *Rudolphopoli* ſe tenet, *Filia* natu major duorū annorū Ao. 1649. incidit in febrim ardentē continuam cum tuſſi, die quinto *hæmoptyſi* ex ruptione vaſorum pulmonis ſuperveniente, cui circa veſperam *D. D. Mœbius* p. m. accedens, remediis aliis nihil juvantibus, dedit *Lapid. hæmatit.* ʒß. *Magiſter. Corallor. Perlar. ana gr.* v. *in emulſione amygdal. dulc. papav. alb. cum aq. tormentill roſ.* v. *papav. rh. parata, & illicò hoc ſymptoma fuit ſedatum.* Inſuper ligaturæ fortes crurum cum ſerico rubro fuére adhibitæ. Idem ſericum & collo & brachiis leviori tamen ſtricturâ fuit obductum, *Lapisq; hæmatites* major manibus tractatus. Febri quoque obviam itum eſt *Tincturâ refriger. in decoct. radic. Scorzoner. hord. raſur. CC. paſſul. min. glycyrrhiz.* Bis etiam exhibitum fuit *Bezoardicum Martiale.*

Tandem 14. die Febre planè ceſſante remanſit inappetentia, tuſſis per intervalla recurrens, cum rejectione puris flavi copioſi pulmonis ex vaſorum ruptione læſionem indicantis. Tunc præſcripſit *Excell. Mœbius Lactis humani* uſum ad quatuor ſeptimanas, ut *& fl.* ♆ *Myrrhat. cum Magiſter. Corallor. Perlar. & ambrâ. Et* pedetentim rediére vires, famesque tuſſi evaneſcente.

Lac humanum ſumebatur manè jejuno ventriculo, à quo ad 4. horas ab omni cibo & potu arcebatur ægra. Pulvis autem compoſitus, de quo dictum, tribus horis ante cœnam *in emulſione ſemin 4 fr. major.* offerebatur. *Suffumigia* quoque ſæpius *è Maſtiche inſtituebatur.* Et ita DEO benedicente à Phthiſi incipiente ægrota fuit omninò liberata.

Juvenis octodecim annorum Scholaris JOHANNES Schmidt Ictero flavo per trimeſtre ſpatium anteà laborans demum curatus incidit in *Hæmoptyſin* cum purulentâ excretione, dolore item à jugulo ad coſtas nothas in latere dextro acuto ſeſe extendente, febrique continuâ ſymptomaticâ conjunctam, cujus vehementia inflammationis magnitudinem ſequebatur, & noctu inprimis cum delirio & agrypniâ exacerbabatur. Tuſſis etiam ſicca cum dyſpnœâ aderat. Pulſus modo vehemens, durus, modo debilis. Urina rubra, craſſa cum ſedimento rubro

Hunc *affectum hepatis inflammatorium cum hæmoptyſi* ex ruptione

alicujus vaſis in latere dextro. Suſpenſorii hepatis monſtrabat locus affectus & cruoris per ſputum excretio. At miretur quiſpiam, quomodo per ſputum & exſcreationem materia cruenta & purulenta potuerit evacuari. Sciendum, per vaſa ſuſpenſorii epatis ad thoracem hanc matertiam fuiſſe transmiſſam, cum dolor ſeſe extenderet ad coſtas nothas lateris dextri. Similem fermè Morbi hiſtoriam refert *Duretus in annotat. Hollerii libr. 1. c. 26. de Internis Morbis*. Vidi, inquiens, à tribus annis in hâc Civitate Senatorem Clariſſimum, qui cum ardenti febre correptus ſpumantem ſanguinem ſpueret, falsò judicatus eſt Pleuriticus, quia non à thorace, ſed ab hepate inflammato ſanguinem ſpuebat cum hypochondrii dextri dolore & ſine dolore lateris, tandem interiit, diſſecto hujus cadavere inventum eſt fibris quibusdam connexum hepar cum nothis coſtis, ut inde vix avelli potuerit.

Sed ego divinâ benedictione hujus affectus curationem ſalvis ægri rebus ad finem perduxi ſequentibꝰ.

Eâdem die, quâ acceſsi, illicò inſtitui Venæ medianæ ſectionem in brachio dextro ad ℥iv.

Binis elapſis horis, decoctum ex radic. Scorzoner. acetoſ. c. fl. bellid. rubr. in aq. acetoſ. & ſcabioſ. addito Sirup. Myrtillor. & Tinctur. Lapid. hæmatit. conficiendum curavi, interpoſito uſu Bezoardic. Martial. cum Sale meo anodyno refrigerante & Magiſter. Corallor. Lapid. hæmatit. Perlar. cum ebore ſ. △. Keuterlingio nuptâ Tincturâ refrigerante cum Sp. Martis acidulâ. Externè impoſito Ceroto Santalino cũ Ung. refriger. Gal. & ſacchar. Saturni.

Ab hiſce inflammatio cum febre remiſit intra octiduum & materia purulenta ſummâ in copiâ cum urinâ multâ excreta fuit, quam poſteà Diureticis mundantibus, & eluentibus abſterſivis magis magisq; promovimus.

In declinatione ſucceſsit tumor pedum œdematoſus, qui tamen progreſſu temporis pedetentim etiam ſublatus fuit. Hunc Juvenem Anno 1654. duobus ab hâc curatione annis elapſis tandem Wittebergæ phthiſi correptum interiiſſe ab aliis percepi.

Contra Palpitationem Cordis Specifica Interna.

In *Paroxyſmo conveniunt Aq. cordis cervi compoſ. D. Joh. Michaelis. Tinctur. Corall. v. cum aq. Cord. cervi. Eſſ. & Sp. Meliſſ. aq. Meliſſ. c. vino & cinamomo. fl. borragin. cordial. Saxon. Spiritus Theriacal. Tinctura Bezoardica D. Johann. Michaëlis. Oſſ. de corde Cervi. Ebur. ſ. ign. Margarit. corall. ſmaragd. hyacinth. præparata.*

Mumia hominis ſani in aqua cinamomi aliquoties adhibita.

Siru-

Sirupus de canellâ, fl. tunic. Meliſſ. de pomis redolentibus ritè præparati juxta modum Zwelfferianum. Confect. alkermes c Moſch. & ambr.

Seqventem Spiritum Regium ego maximè proficuum in ejusmodi affectu deprehendi.

Rec. Spiritus mei Martis volatilis per ſingularem enchiriin præparati. ℥iſs. Sp. Roſar. rectific. ℥ivſs.

Infuſi ſtent in loco tepido vaſe clauſo per octiduum, poſtmodum dentur in phiolam vitream, capitello imponantur *Ambræ* ʒſs. *Moſchi* ℈j. & gradatim per arenam deſtillentur. Spiritui deſtillato adde confectionem alkermes q. ſ.

Liqvor Perlarum. Corallorum.

Sin ex malignitate palpitatio cordis ſuam traxerit originem, convenit CC. ſolare, (quod Hartmannus fructus Calvariæ vocat) Tinctura Solis cum ol. cinamom. Myņſicht. Theriaca Smaragdin. à Caſtro. Bezoardicum Solare, Martiale &c.

Uſus ol. d. citri vel cinamomi in rotulis multum prodeſt.

Nota. Si palpitatio à morbo virgineo & obſtructionibus menſium oriatur, cordialia locū non habent, ſed curatio ad ipſum morbum eſt dirigenda, aperientibus Martialibus, Tartareis &c. Pari pacto, ſi à Melancholiâ & malo hypochondriaco, curatio ad ipſum morbū dirigenda.

Sin à vermibus, miſcenda ſunt *cordialia cum Bezoardicis.*

Nota. Sextilis Jovis Solis commendat confortantia.

Externa.

Externè convenit ol. d. Meliſſ. Citri deſtill. Carfuncul. Balſamus Cordialis D. Joh. Michaëlis, apoplecticus. Cinamomi. Ambra liqvida.

Pro *Topico ſpecifico* commendatur *Theriaca* externè adhibita, quæ penè inveteratam tollit. Inungatur etiam Cor *pinguedine Gallinæ rec. ac aq. roſar. lot. adde ol. d. Cinamom. Moſch. ambr. &c.*

Contra Lipothymiam Specifica Interna.

Eſſentia Croci per aq. d. vitis extracta. Aq. Cinamomi borraginata. Eſſ. Meliſſ. Tinctur. fl. borragin. ſupra Alembicum elevata. Tinctur. confect. alkermes de hyacinth. Eſſ. ambræ c. ſp. roſar.

Nota. In confortantibus non tam caliditas & frigiditas, quàm virtus ſpecifica intrinſeca eſt ſpectanda. *Petræus in Noſolog.*

In *Paroxyſmo palatum Theriac. Mithridat. aq. cinamom. borraginat. ut & illius oleo illinatur. Poſt hæc facies aq. & ſp. roſar. lil. convall aq. cinamom. fl. arant. citri Carfuncul. conſpergatur. Acetum cherinum. lil. convall. roſ. rub. Id. temporibus fronti & pulſibus applicetur, ut & Balſamus citri. apoplecticus ex ol. carbunculi.*

Sal commune præſtantiſſimum quoqve

que eſt remedium, ſi labra eo fricentur, aut æger illud maſticaverit, vel volæ manuum ac pedum eo fricentur.

De Mammillarum Morbis.

Contra Mammillarum inflammationem.

Empl. Mynſicht. ex ſpermate cæti. galban. & cerâ albâ. It. phlegma vitrioli. Aq. cicut. ſpermat. ranarum. Nullum præſtantius datur in inflammatione remedium, quàm ſpecula illa pavonis minutiſſimè conciſa, & internè cum vino vel cereviſiâ exhibita. Empl. de Cicutâ. ſpermat. ranar. c. ol. roſar. malax. Ung. de cicuta Hildani.

Ad Mammillarum Scirrhoſos Tumores, qvi in cancrum vergunt.

Rec. Pulpæ pomorum Borsdorffienſ. rapar. major. ana ℥j. coq. cum lacte caprino ad pultis conſiſt. adde medull. panis albiſſ. ℥ß. farin. fabar. ſem. fœn. græcum ana ʒij. fol. alth. braſſic. rubr. fl. malv. arboreſc. roſ. alb. ana ʒj. ficuum no. vij. Croci or. ℈ß. c. ol. roſac. f. Cataplaſma. Per tres dies applicetur. Si vis magis emollire, adde ℥j. diachyli ſ. rupto apoſtemate pro majori maturatione materiæ, adde Diachyl. compoſ. ℥j.

Eodem Cataplaſmate curavi per Analogiſmum ejusmodi Tumorem umbilici ante aliquot annos in puellâ quâdam in abſceſſum internum abdominis inter Peritonæum & muſculos abdominis contentum & denique cum purulentâ materiâ per ipſum umbilicū propullulantem nō ſine graviſſimis & nunquam ferè auditis ſtipatum ſymptomatibus. Hæc puella viro nupta jam eſt, & mater filiorum duorum, quam Deus ter Opt. Max. diu ſalvam velit & prolificam.

Contra Mammillarum Fiſſuras.

Has optimè ſanat oleum ex nucleis recens expreſſum, inſperſo ſacchara deſuper. Lazar. Riverius in obſerv. comm. 14.

Seqventi Ung. noſtrates utuntur mulieres prægnantes aliqvot ſeptimanas ante partum manè & veſperi papillas inungendo, ne poſt partum fiſſuras patiantur.

Rec. Ol. ovor. rec. expreſſ. medullæ bovis, ſevi hircini. butyr. caprini ana ſ. q. f. linimentum. Poſt inunctionem magnæ molis nux Moſchata excavata & intus Terebinthinâ Venetâ obducta papillis impoſita ſemper retineatur.

Contra Cancrum Mammarum.

Aqva Calcis vivæ. ſpermat. ranarum pomorum putrid. papav. rh. Plantaginis per plumbea Inſtrumenta deſtillata exterius applicata. Phlegma Vitrioli. ſuccus virg. aur. Solani plantaginis. onopordi, Sal fuliginis & ejusd. Spiritus. ol. Sulphuris Rulandi. Empl. contra cancrum Penotti & Fabric. Hild. pulv. ranar. calcin. & bufonum Empl. miſceatur tanquam

ſpeci-

ſpecificum. vid. Laz. Riverius obſerv. communic. 20. 21. P. Borell. c. 2. obſ. 67.

Contra Lactis Defectum Specifica Interna.

Cryſtallus præparatus. Lac Lunæ tanqvam ſingulare ſpecificum commendatur à Brunn Profeſſore Baſilienſi. Sem. fœnicul. Nigellæ. Confect. fœnicul. ol. d. fœnicul. ſpec. diacryſtall. Mynſicht. Rotulæ ejusd. Caro mammillarum vaccæ juvenculæ in cibo adſumpta. Fieri etiam poteſt emulſio ex aq. Lactuc. fœnicul. Card. M. cum ſemin. fœnicul. 4. fr. major. Lactuc. Demum cucurbitulæ applicentur non ſolùm dorſo juxta Hipp. l. 2. Epid. ſ. 3. monitum, verùm etiam ipſis papulis aliqvot horarum ſpatio apponantur. Scythæ, referente Herodoto lib. 4. uteros eqvarum flatu per pudendum oſſeis fiſtulis immiſſo implent, iisq; tumefactis ad mammas lactis copiam præcipitant.

Convenit etiam *frictio Mammillarum* finitâ coctione cum panno aſpero, quo Lac ad mammas alliciatur.

Contra Lactis Redundantiam Specifica.

Lac prius penitus exſugatur anteqvam Medicamenta illud abſumentia adhibentur, qvalia ſemin. Coriandr. Cymini radix apii. Mentha per ſe & ejus aqua ſpecificum Morelli. Empl. Mynſicht.

Contra Lactis Coagulationem.

Pulv. radic. Oſtrutii ſeu imperatoriæ ʒß. vel ʒj. manè hauſtus cum cereviſiâ calidâ.

Exterius imponatur nepeta recens contuſa, vel Anagallis rec. aut mentha criſpa.

De Affectibus Ventriculi.

Ad Oeſophagi calorem, ruborem & aſperitatem valet Sirup. d. ſucco borragin. bugloſſ. It. conveniunt mucilagines ſemin. cydon. &c. Nocent omnia, qvæ actu frigida ſunt.

Ventriculum corroborant Ebur ſ. ignis Magiſterium reſolubile Corallorũ rubr. Tunicæ ventriculi gallinæ interiores. Stomachus lupi, modicè tamẽ is uſurpetur, aliàs voracitatẽ inducit.

In Ventriculi diatheſi calidâ conducunt Tinctur. Violar. roſar. bellid. cum ſp. Martis meo volatili parata. Epatic. rubr. Decoctum citri Mynſichti. Tinctura ☽ ejusd. aq. acetoſ. ſtomachal. ejusd.

In Diatheſi ventriculi frigidâ valent Eſſ. abſynth. cum Spirit. & Extract. proprio parat. Elixir ſtomachal. Mynſicht. D. Joh. Michaël. cum ſp. Vitriol. philoſoph. Externè inſerviunt Empl. ſtomachal. Craton. cum gumm. Tacamahac. & ol. ſtomachal. Craton. format. It. Balſamus ſtomachal. &c. Abſynthium viride intra calceos geſtatum.

Nota. Sextilis Martis & Solis frigidè medetur ventriculi intemperiei.

Ad Ventriculi Tumorem ab inflammatione internè convenit aq. plantagin. papav. rh. Virg. aur. roſar. fr. cum Sirup. papav. rh. Carb. b. &c. Decoct. hordei, in quo pauxillum cinamomi eſt incoct. addendo Roob Rib. Berber. &c. It. Sacchar. Saturni gr. iij. vel iv. *cum aq roſar. exhibeantur. ſacchar. Saturni cum* ⦶*tro præparatum. Externè in principio adhibeantur. aq. plantagin. roſar. cum ſacchar. Saturni. M. It. Ung. refriger. Gal. roſat. ſacchar. Saturni.*

Abſceſſum Ventriculi rumpit aqua ſcabioſ. cum ejus Sirupo. Sp. Tartari. Bezoardicum minerale ſ. Antimoniū diaphoreticum.

Ad ventriculi Tumorem ab inflatione internè valet Eſſ. chamæmel. Romani. Eſſ. carminativ. D. Job. Michaël. ol. d. cymin. cortic. aurant. chamæmel. ſmaragdin. Zedoar. Aq. carminativ. Dorncreil. Externè applicentur fl. chamæmel. Rom ſem. cymini. carui. fœnicul. aniſ. Zedoar. cortic. aurant. cum ſacculo.

Ad Vulnera ventriculi internè commendantur Eſſ. chærefol. hyperic. tum mentha. Ocul. ♋ *cum conſerv. roſar. menth.*

Sin *vulnera à vitri devoratione proveniant, uſurpandum eſt pulmentum ex frumento Sarracenico & Terebinthinâ paratum Keckermannus in Syſth. Phyſic. lib. 3. cap. 12. p. 297 Helidæus Padoanus in proceſſu curat. & Conſil. à Wittich. collect. p. 316. Ægrotus per 24. horar ſpatium à potu planè abſtinere debet. De Terebinthinâ per ſedecim dies cottidiè modicum detur. Quâ ratione D. D. Job. Michaëlis qvoq; fœminam, qvæ aliqvot acus deglutierat, curavit.*

Contra Ventriculi Dolorem Specifica Interna.

Eſſ. fl. chamæmel. Eſſ. menth. abſynthii Laudan. opiat. gr. iij. vel iv. cum decoct. fl. chamæmel. ol. d. chamæmel. Sapphirinum internè & externè prodeſt.

Nota. in Febribus malignis plerunque *adeſt dolor ventriculi, ſeu cardialgia.* Hipp. ſ. 5. aph. 65. Tunc adhibenda ſunt *Corall.* v. *præparat. Oſſ. de corde cervi. ocul.* ♋ *præparat. Ebur ſ. ignis pulv. cordial. pannonic. rubr. Lap. bezoar. or. genuinus. Videmus Cretam vulgarē, inqvit Crato p. m. 327. cum in cerevîſiam acidā conjicitur, acorem tollere. Ita & dicta remedia acres & acidos humores combibunt.* Verùm non opus eſt horum rationem ex re domeſticâ petere, cum ſatis proſtent exempla Chymica ſatis de præcipitatione nos informantia, ut ſuprà oſtendimus.

Externè prodeſt etiam ol. d. chamæmel. cum Ung. pomat. vel ol. roſ. inunctum mucronatæ cartilagini & umbilico calidè cum ſacculo fl. chamæmel. n & roſ. v. *impoſitum.*

Nota. In *Opiatorum* exhibitione notan-

notandum, *primò*, ne illa eò usque differamus, donec æger viribus orbatus ſit. *Deindè*, ut ſemper à lenioribus externis illitionibus incipiamus, & ſi hæc non proficiant, dicta Narcotica uſurpanda. *Tertiò*, poſt horum exhibitionem & dolore ſedato, ſed calore ventriculi nonnihil debilitato, calefacientia ac corroborantia exhibenda. *D. Joh. Michael.*

Contra Ardorem Ventriculi.

Mucilago ſem. cydon. cum cryſtall. præparat. Heinric. ab Heer. lib. 1. obſ. 16. Ebur uſtum. CC. uſtum cum nuc. Moſchat. maſtix. Corall. præpar. ſpec. Diacret Mynſicht. ocul. ♋ præparat. Huc faciunt omnia mucilaginoſa & vim præcipitandi habentia, ut ſuccus & Sirup. de portulacâ. De ſymphyt. glycirrhit. Tincturam Salis Tartari etiam probatam fui expertus. Spiritus Vitrioli coagulatus an conveniat, valdè dubium eſt. ideoque in ejus locum dicta probata meritò ſuccedunt.

Contra Anorexiam Specifica Interna.

In *Diſpoſitione frigidâ omnia Cichoracea ſunt* utilisſima, *inquit Montanus; nam quia amara, ideoq; ſunt calida. Ergo calefaciunt & confortant. Elixir mentha ex Spirit. & herb. cum ſaccharo. doſ. cochl. j. valdè convenit. vid. Angelus Sala. Eſſ. abſynth. Zedoar. maſtix ejusq; Spiritus ſtomachum laxatum & debilitatũ in appetendo ac digerendo optimè reſtaurant. Unde dicit prævotius in Evporiſtis valdè prodeſſe, ſi cottidiè ſumatur ex ovo ſorbili ʒj. circiter cum pauco cinamom. vel Zinzibere. Myra cydon. cum aq. cinamomi cydoniatâ ad dejectam appetentiã mirabilis eſt.*

In declinatione Morborum, ubi inappetentiæ ex debilitate ventriculi adſunt, ante omnia præſtat ambra in ſubſtantiâ ſumpta à gr. IV. *ad* V. *vel cum ſaccharo, vel quod melius cum feculâ Aronis miſta, & pulvis Analepticus mindereri. Ebur ſ. ignis magni hîc etiam uſus eſt. Pulv. ſtomachal. Q vid. Laz. River. in obſerv. comm. obſ. 1. P. Borellum c. 1. obſ. 41.*

Nota. *Cum juxta acutisſimum Helmontium vel ex defectu fermenti Bilis, vel propter humoris fermentalis ventriculi degenerationem, dum Spiritus acidulos in cibo & potu latentes ſuperare & in Sal volatile convertere neqvit,* ſæpisſimè oriantur cruditates acidæ, quibus ſi iterũ bilis proportionata præternaturalis ſeu ſcoriæ alkaliſatæ affluant, easdéq; fermentent, incredibilis ſtatim propter nativum alkali & acidi disſidium in gyris & ſerpentis illis ventriculi flexuoſis oritur tumultus, qualem ſæpè inter Spiritus acutos dum confundimus, etiam cum periculo magnis licet in vaſis exſuſcitare ſolemus; Ad ſedandam hanc efferveſcentiam non ſolum ſuprà dicta remedia, ſed & radix Acori. pim-

pinell.

pinell. ocul. ♋. Sal abſynth. juniperi, fraxini. Spiritus Salis à Sale volatili corroſivo purgatus mira etiam præſtat. Ut & Spirit. Vitrioli plurimum valet, ubi fecibus mucilaginoſis & Tartarteis internæ partes ventriculi obvolvuntur quaſi & incruſtantur, ita ut Spiritus fermentales obruantur, & ad operas ſúas perficiendas inepti reddantur. Tinctura Aperitiva *D. Mœbii*, quæ noſtræ etiam eſt elaborationis, præter ſingularem ſuam vim aperitivam etiam fermentum ventriculi digeſtivum ſingulariter roborat, ſanguinem à putredine præſervat, & Tartarum unà ex hypochondriis per diureſin expellit.

In *Diſpoſitione ventriculi calidâ ſeu cruditate nidoroſâ* à fermenti ventriculi exaltatione productâ præter *dictos Spiritus & Tincturam aperitivam conveniunt etiam Tinctur. roſ. viol. fl. tunic. bellid. c. ſp. Vitriol. phil. extracta. ſp. Martis ſtriatus. &c.*

Contra nimiam Ventriculi Appetentiam.

Potus vini generoſi valet. vinum ſalviæ. meliſſæ. abſynth.

Sin à lumbricis proveniat, ſuccus Naſturtii manè per dies aliqvot adſumendus; Et exterius Aloë cum felle tauri in formâ Emplaſtri umbilico imponatur.

Contra Appetitum Depravatum ſeu Picam.

Multum præſtat Magiſter. matris perlarum. Eboris. cum fecul. bryon. miſtum. mirificè etiam juvat ſp. ⊕ iol. ph. Aq. & ol. Cinamom. aq. vitæ & Sirup. menthæ vel cydon. multum efficiunt. Petræus in Noſolog. p. m. 422. It. Sirup. conſerv. cortic. aurant. d. cortic. citri. aq. pampinor. vitis.

Utilia etiam ſunt pro vulgo *ſemina citri ſaccharo incruſtata; Decoctum polygoni & anethi. Horatius Augenius ſemen Ammios ad ʒß. commendat quatuor diebus ſucciſivis. It. Decoctum majoris chamæmeli, quod ſimillimum Abrotanis eſt, omne remediorum genus ſuperat. D. Job. Michaëlis.*

Nota. Intellectus & imaginatio in picâ non afficitur mediante reali cerebri læſione; Verùm per intentionalem impresſionẽ â vehementiâ Appetitus depravati factam. *Cui ſententiæ ſubſcribit Job. Varandæus in tr. de Morb. ventricul. cap. 4. Ut Bilioſi, inqviens, in ſomniis Ignis ſplendorem conſpiciunt &c. eâdem ratione putandum eſt, per vigilias affectâ ſede appetentiæ humore aliquo vitioſo jamdiu ibi ſubſiſtente commoveri imaginationem ad rei ſymbolæ. qvamvis abſurdæ deſiderium. Paucis. Hic affectus provenit ex phantaſiâ corruptâ à fermento ventriculi vitioſo inductâ.*

Contra Nimiam Sitim.

Sempervivi ſolus ſuccus expreſſus poteſt uſurpari. Aq. fontana cum ſaccharo

charo candi decocta pomo citrio inciſo addito. Aq. ſemperviv. cum Sal. prunellæ. & julep. roſ. Tinctur. bellid. vel violar. aut roſar. cum ſp. Vitriol. extract. in potu ordinario. Quæ etiam in febribus aut hydrope conveniunt. Veteres ſolo potu aquæ frigidæ hunc affectum curârunt; verùm ſtatim ſudorifica ſunt danda.

Contra βραδυπεψίαν ſeu tardam & debilem Coctionem.

Commendatur *Ambra in ſubſtantiâ. Eſſentia abſynth. & potisſimum abſynthii ſal cryſtalliſatum in hoc affectu, ut & in febribus ſtomachicis miræ præſtant. Fecul. Aronis item. Elixir Vitrioli Mynſichti. Stomachale Schrœderi. Elixir propr. c. Eſſ. menth. vel abſynth. meliſſ. vel ſp. maſtich. Elixir item ſtomachal. D. Joh. Michaël. ſp. vitrioli vel Philoſophicus. Sal ſtomachal. Mynſicht. Sal Ammoniac. depuratiſſ. vel fl. ✻. Electuar. ſtomachal. Mynſicht. ſuccollata in vino diſſoluta vel cum conſerv. menth. exhibita. Externè ventriculus vulturis utilis eſt, & Emplaſtrum ſtomachale impoſitum. Item, Oleum ſtomachale Cratonis. deſtill. menth. Zedoar. caryophyll. maſtich. macis. ol. expreſſ. nucis Moſchat. Balſamus Peruvianus.*

Nota. Medicamenta, quæ in βραδυπεψία dicta utilia ſunt, etiam in ἀπεψία & δυσπεψία valdè conducunt, obſervatis obſervandis circumſtantiis.

Contra Singultum Medicamenta Specifica Interna.

In omni ſingultu præſentiſſimum adfert remedium ℥j. Cornu Cervi uſti cum vino rubro exhibita. Franciſc. Joël. lib. 4. ſ. 2. practic.

Nota. Singultus in febribus nonnunquam ſeqvitur intemperatum refrigerantiũ uſum julapiorum ſecundũ.

Lemnium referente Schenckio tunc convenit vel Tinctura Bezoardica, vel Horſtii obſ. 22. ex ſemin. aneth. cum Mithridat. potiunculâ poſt evacuationem præmiſſam.

Semen Aniſi adſumptum peculiariter etiam ſingultum tollere creditur.

Externè Caſtoreum pulveriſ. c. aq. menth. applicari poteſt ventriculo.

Platerus in obſerv. refert, ſe puerum decem annorum per octiduum dies noctesq; ſingultientem curâſſe aquâ nucum viridium cum raphano prius in aceto maceratarum deſtillata, qvam vomitionis excitandæ gratiâ propinare ſolebat. Verum etſi minimè vomuerit, tamen ſtatim ſingultum deſiiſſe.

Si ſingultus ab evacuatione nimiâ proveniat, præſtat Ebur ſ. ign. pulvis analepticus Mindereri.

Sin à veneno adſumpto pulvis Bezoardicus cum aq. Bezoardicâ utilis.

Sin à flatibus, internè commendantur ol. d. aniſi, Eſſ. carminativa. Sp. carminativus.

Externè, Emplaſtrum contra ſingultum

gultum D. Mynſicht. addit. ol. d. Zedoar. chamamel. Aniſi.

In ſingultu à Febribus malignis convenit Tinctur. Bezoardica cum Extract. Laudani opiat.

Externè applicandum ol. Scorpion. compoſ. cum ol. d. Citri.

Contra Ructum & Rugitum.

Ructus moleſtiſſimus optimè curatur ambrâ cum quadruplo vel octuplo Sacchari.

In *Acido Ructu* curatio *præcipitantibus* peragenda. *CC uſtum & Ebur. uſt. ocul.* ♋. *Corallia cruda*, quæ curandi Methodus licet veteribus ſit incognita, ratione tamen chymicâ & Experientiâ conſtat.

Nota. Hoc ſymptoma, etſi *Colicis doloribus* valdè familiare, tamen in *hypochondriacis & hyſtericis mulieribus* etiam non infrequens. Novi Mulieres, quæ infinitos ſæpè eructare ſolent ructus, ſive gravidæ fuerint, aut ſecus, qui ventrem ſæpè intendunt ut in *Tympanitide*. Et quod magis eſt, eâdem ratione etiam prodeunt ex *utero, ut ex alvo. Similia vide in Zacut. Luſitan. l. 2. prax. admir. obſ. 141. & in Salmuth. c. 2. obſ. 57. Thom. Bartholin. c. 3. obſ. 21.*

Nota. Qui ſuprà modum ructant ante cibum, diſpoſiti ſunt ad Colicam, qui verò poſt cibum, ad Tympanitidē CL. Sennert. l. 3. p. 1. ſ. 2. c. 12.

Contra Nauſeam & Vomitū Specifica Interna.

Aq. Cinamom. c. vino cydon. Spiritus maſtich. it. decoctum maſtich in aq. fontan. liqvor ſtipticus. Sirupus Corallor. Tinctura Martis adſtrictiva cum Sirup. d. agreſt. vel myvâ cydoniorum. Præmiſſis præmittendis Tinctura ♀ris ⊕li cum Sirup. d. Corallis. Stiptico Mynſicht.

Si *Vomitus à veneno aſſumpto, præmiſſo vomitu, vomitus enim primò curandus eſt Vomitu, teſte Gal. comm. 4. in libr. de vict. ratione in acut. & l. 3. Meth. c. 19. Alexipharmaca miſcenda cum ventriculum confortantibus. Et Medicamenta continuanda, donec in ventriculo remaneant. Et exhibentur optimè in formâ pilulari vel Boli. Externè convenit ol. Scorpion. Matthiol. & ol. d. Citri.*

Vomitus ſæpenumerò oritur ex obſtructis lienis *arteriis*, & tunc confert uſus acidularum Martialium. Conſulis Sergeri Civis Jenenſis uxor 39. annorum menſibus ritè fluentibus conquerebatur de Vomitionibus ſingulis diebus infeſtantibus vel ante prandiū, vel ante cœnam cum dolore gravativo hypochondrii ſiniſtri, capitis dolore, cordis anxietate notabili. Varii humores vomitionibus rejiciebantur. Exhibita fuére primò vomitiva, purgantia &c. Externè balſama corroborantia, ſed omnia fruſtra. Tandem ex ſolo uſu acidularum Martialium in decocto pomorum Borsdorff. convaluit.

In Vomitu Scorbutico calida & acria nocent, & exaſperant magis malum,

malum, conveniunt contra mitigantia dolorem & Acrimoniam & Sal Scorbuticum. *Inprimis Lac Caprillum cum ſucco Naſturtii vel cochlear. item, Ebur ſ. ign. ocul.* ♋ *Corall crud. & aliquot grana Lapid. pumicis. Petraus in Noſolog. Harmonic. p. m. 400.*

In Vomitu, qui febribus malignis ſolet accidere, præſtantisſimum eſt remedium *Salis abſynthii* ℈j. *cum ſucco citri rec.* ℥ß. Hoc enim præter detergendi vim ſaturat aciditates peccantes, id quod etiam *Margarit. præparat. Corall.* v. *præpar. Terr. ſigillat Bolus Armen. cum Roob Ribium vel Berber. mixta in aq. acetoſ. præſtant.*

Externè fiat Cataplaſma cum pulv. menth. ſicc. roſ. v. *maſtich. nuc. moſchat. caryophyll. macis. Cinamom. c. fermento & aceto roſac. ſ. q. mixtum. Item Empl. de cruſtâ panis malax. ol. coct. maſtichino & addit. ol. d. menth. & expreſſ. nuc. moſchat.*

Si Vomitus fuerit ortus à Medicamento Emetico, inſerviunt *Aq. Cinamom. vel Sp. Theriacal. Maſtichinus. Laudanum opiatum cum Sirupo de menth. vel Theriac. aut Mithridat.*

Contra Cruentam Vomitionem.

Aqva deſtill. radic. Urtic. maj. cum Sp. Vitrioli acidulata frigida ſumta. Aq. plantag. portulac. cum Sirup. Corall. It. Sal. Prunellæ.

Poma granata in hoc affectu valdè etiam conducunt. Tinctur. ♀*ris Vitrioli cum arcano Tartari ſoluti mixta ad gutt.* v. *vel* vj. *in aq. Cichor. vel equiſeti edulcorata Sirupo Corallor.*

Poſt aliquot dies ad ſanguinem concretum diſſolvendum inſervit *decoctum Myrobalanorum ex aqua charefol. c. Sir. d. Cich. c. rh.*

Nota I. In Sanguinis vomitu ſuſpectus eſt *oleorum uſus*, eò quod orificia venarum reſerent magis, quā adſtringant; *Unde oleum amygd. d. omnibus vomiturientibus denegat Aloyſ. Mundella dial. 1. ſ. 4. Th. Bartholinus h. Anatom. c. 3. hiſt. 61.*

Deindè, Aceti ſolius uſus in vomitu ſanguinis eſt ſuſpectus, quia partes exaſperat, ac tusſim excitat, unde novum fluxum promovet, dulcorandum igitur eſt *aut melle, aut Saccharo.*

Nota. Si ſanguis vomitu rejicitur, & quidem è ventriculo, eſt qualitate exiguus & rubens. Si aliundè infunditur in ventriculum, eſt multus & nigrior; & quidem niger, ſi ex liene, rubicundior verò, ſi ex epate.

Juxta *CL. Helmontium* in hoc affectu quando fermentum lienis aut fellis exorbitant, Archéus tantam per anaſtomoſin venarum quantitatem ſanguinis profundit. *Exempla vide in Zacut. Luſitan. l. 2. de M. P. h. p. m. 183. Thom. Bartholin. hiſt. Anatom. c. 1. h. 87. c. 3. h. 36. & 61. Laz. River. c. 1. obſ. 45.*

Contra Choleram Medicamenta Specifica Interna.

Succus menthæ, & alia inde præparata Medicamenta proprietate quâdam ſingulare præſtant contra hoc malum. Aq. maſtich. Mynſicht. Spir. maſtich. Sirup. maſtich. mirè commendat Horſtius. Theriaca Smaragd. Petri à Caſtro de Febr. Petech. valdè laudatur.

Cryſtallus præparatus ſpecificum etiam hujus affectus eſt, in *ſucco citri & Berberum. Henric. ab Heer. lib. 1. obſerv. 1.*

Si Febris maligna adſit, *conveniunt Ebur. ſ. ign. pulv. Bezoardic. D. Sennerti. Cryſtall. præparat. Smaragd. præpar. Croc. Martis adſtrictivus. Magiſter. Corall. c. ſucc. citri. Terra ſigill. Liquor ſtypticus Bol. Arm. Terra Solaris. Sirup. Corallor.*

Nota. *Si metus ſit, malignitatem ultra primam corporis regionem ſeſe jam penetrâſſe, pro meliori impreſſæ malignitatis diſcuſſione hydrotica cum alexiteriis intrinſecè adſumere convenit. CL. Sennert. lib. 3. part. 1. ſ. 2. c. 13. Sed ſimul adſtringendi vim habere debent, qvalia Terra ſigillata. CC. uſt. & præpar. &c.*

Externè poteſt fieri Cataplaſma ex pulv. menth. roſ. v. *rad. tormentill. biſtort. maſtich. nuc. Moſchat. c. ferment. acerr. & aceto roſac. vel ſpecies pulveriſ. poſſunt inſpergi pani toſto in vino madefacto. It. Empl. de cruſtâ panis malax. c. balſam. Peruviano & ol. coct. maſtich. obduct. ſuprà alut.*

Contra Choleram Siccam pugnant internè.

Aq. Carminativa Dorncreilii. Aq. menth. c. v. ejuſd. Eſſentia. Externè convenit ol. d. menthæ. chamamel.

Nota. Si ab eſu cucumeris, melonum &c. conveniunt Clyſteres, & in principio ſtatim, ſi accerſatur Medicus, vomitoria.

Si à veneno, ad ſpecifica recurrendum; Lactis potus commendatur, cui appropriata poſſunt miſceri, ol. amygdal. recens expreſſum. Vel ol. olivarum, &c.

DE AFFECTIBUS INTESTINORUM.

Contra Vermes in Inteſtinis Medicamenta Specifica Interna.

Succus Naſturtii valdè prodeſt, ſi ſumatur tempore matutino, & hic ſolus ſuccus ſæpè ſatis ſufficiens eſt remedium.

Flores Perſicorum cum nodulo in cereviſiâ ordinariâ infuſi. *It. illorum Sirupus & nuclei Perſic.*

Tanacetum cum fl. & ſemine. Ex allio deſtill. aq. in diebus canicularibus & pro uſu reſerva.

Lupulus Autumnalis pulveriſ. cum aq. tanaceti.

Abrotani maris m. j. coq. in lacte caprino, & reſerva pro uſu matutino & veſpertino.

Cortex

Cortex viſci quercini pulveriſ. detur cum lacte calido.

Centaureum minus. Abſynthium. fl. hyperic. ſcordium & omnia Medicamenta indè parata utilia ſunt. Laz. River. c. 1. obſ. 16.

Corallina ℈j. *pulvis ſecundinæ primiparæ præſentanea ſunt remedia.*

De ſemine ſantonici dubium movet ROCHAS, qui tractatum de Sale Naturæ ſcripſit, utrùm adverſetur vermibus, an verò potius ex eodem *illi generentur?*

Decoctum acetoſæ cum portulacâ & ſcordio & CC. uſtu in Lumbricis cum febre conjunctis valdè utile eſt. Siquidem Foreſtus lib. 6. obſ. 4. teſtatur, nullum remedium æquè profuiſſe febre malignâ laborantibus, in quibus Lumbricorum copia adeſt, cum julepis idoneis ad ℥j. *exhibitum.*

Lapis Bezoardicus genuinus. Laz. River. c. 1. obſ. 91.

Ol. juniperinum ad gutt. j. exhibitum cum juſculo multum opitulatur, modò febris abſit. River. in praxi p. m. 164. it. ol. corylinum.

Aqua communis bullita cum Argento vivo pauco & innoxio potu omnes interimit vermes, tàm in inteſtinis, quàm alibi. CL. Helmontius. Id quod & approbant P. Poterius P. S. L. 1. c. 2. & Laz. River. in praxi p. m. 165.

Nota. Nihil *vino & ſp. vini* præſtantius ad enecandos in corpore vermes, omnes enim Vinum averſantur, & fugiunt ex antris terræ vino irrigatæ. *Th. Bartholinus c. 4. obſ. 19.*

Stannum aliquoties in aquâ extinctum ad expellendos vermes etiam commendatur.

Ad Lumbricos latos tanquam ſpecifica commendantur radix Filicis, a. ℈ß. *ad* ℈j. *cum aq. galegiæ. It. cort. rad. mori. Elixir. propr. Crocus Martis aperitiv. Glauberus p. 2. furn. phil. p. m. 24. It. Succus Naſturtii. & decoct. radic. bryoniæ. graminis cum ſp. Vitrioli.*

Spiritus CC. eſſentificati. Ligni corylini rectific. De Lumbric. lat. vid. Horſt. in Epiſtol. Medicin. ſect. 18. p. 498. Schenck. lib. 3. obſ. Medic. 208. Adrian. Spigel.

Nota I. Omnia dicta Medicamenta Lunâ decreſcente hîc propinanda eſſe; Nonnulli ex vulgo diem Jovis ad felicem eorum uſum commendant.

II. Debent Medicamenta contra vermes ſemper cum dulcibus exhiberi, ut alliciantur & fallantur, cum amara valdè refugiant: vel Dulcia aliquot diebus ante, vel præcedente veſperâ exhibenda ſunt. Cavendum tamen, ne per dulcia ſuprà exhibita eos, qui in inferioribus inteſtinis ſunt, ſurſum ad nobiliores partes invitemus, ubi majus creant periculum; ſuprà igitur amara, inferius dulcia ad provocandum potius apponere conſultum videtur. Et ſi fuerint infimis locis, amariſſima, *ut*

eò vis ipſorum penetret: ſi verò in recto ſubſiſtant, amaris illicò ſuffocari poſſunt.

III. Monent etiam Practici in cibis & potibus freqventer Oleum immiſcendum eſſe, cum in eo pereant & ſuffocentur. Petræus in Noſologiâ T. 2. p. m. 143.

Metus *Heinrici ab Heer*, quem fovet de lumbricis puerorum contra ipſos lumbricos exſiccatis & propinatis *l. 1. obſ. 9.* de nihilo eſt, potuerunt enim in corpore adeſſe, priusquam pulvis lumbricorũ adhibitus fuerit.

Monitum autem *Lazari Riverii in obſerv. communic. p. m. 308.* aliquid judicii infert; *Pueri, inqvit, vermibus ſæpè laborant, etiamſi nullus rejiciatur, nam in humores putridos facilè convertuntur; ſicuti enim vermes in phiolâ concluſi & fimo calente obruti brevi convertuntur in paſtam: ſic in corpore noſtro, cujus calori fimi calor reſpondet, idem fieri poteſt, vermibus enecatis ab amaris Medicamentis.*

De Verme umbilicali, qvi Germanis dicitur der Hertz-Wurm. Beich-Wurm/ Nabel-Wurm *vid.* Das Fürſtliche Anhältiſche Artzney-Buch *lib. 5. Hechſteterum part. 2. decad. 6. ſchol. obſ. 6. P. Borellum c. 1. obſ. 40. CL. Sennert. l. 3. pract. p. 10. c. 4. & D. D. Joh. Michaëlis tr. de Vermibus ſub præſid. D. D. Sultzbergeri habitum. Quam ipſam Experientiam ego etiam in praxi multoties à fide dignisſimis accepi veram.*

Nota. Si *adſunt convulſiones & tremores*, tunc eligenda etiam ſunt Medicamenta, quæ ſimul vim habent *contra Epilepſiam ut Cinnabaris Antimonii. CC. ſ. ign. ſp. CC. flores Vitrioli Veneris gr. 1. ad* IV.

Externa.

Oleum diacolocynth. Qver. deſtill. abſynth. Ligni coryli. fel piſcium. tauri inſpiſſatum. ol. nucl. perſicorum. Extract. aloës.

Nota. Si vermes in ventriculo detinentur, non tantùm in anticâ ſtomachi parte externa Medicamenta reponenda, verùm poſticâ etiam, ibi enim melius virtus eorum penetrare poteſt.

Item, *unguentis* poteſt admiſceri *unguentum de Arthanitâ.*

Contra Herniam Inteſtinalem Specifica Interna.

Appropriata ſunt Hippogloſſum; It. Piloſellæ pulvis in cibis exhibitus. It. perfoliata & ejus ſemen. Ut & Herniaria. Cinis lactentis leporis in vino rubello propinatus. Decoctum contra Herniam Mynſicht. Eſſ. contra Herniam D. Joh. Michaëlis. Eſſ. ſymphyt. Crocus Martis adſtrictiv. Terra Vitrioli internè & externè.

Si à Peritonæo rupto Eſſ. conſolidæ majoris balſamus Salis gemmæ, cujus deſcriptionem vid. apud. Schrœderum libr. 3. c. 22. valdè utilis, intra corpus

corpus dantur cottidie gutta. 3. 4. 5. cum Extract. conſolida. Extus ſit illitus. Nec Magnetica cura hîc ſunt negligenda.

Externè fiat Emplaſtrum de pelle arietinâ Mynſichti. cum croc. Martis adſtrictiv. & malax. ol. ovor. & perfoliat. Novi virum peregrè à nobis habitantem, qui Herniam inteſtinalem in provectioris ætatis hominib9 ſine ullâ manûs operâ feliciter Emplaſtro quodam reſtituit, cujus virtute circa foramen proceſſus aliquid calloſi generatur, quod inteſtinorum prolapſum prohibet.

In Herniâ Umbilicali plantag. & muſcus pruni ſylveſtris coq. in vino rubro, & imponantur umbilico. Foreſtus in nuper natis globulos ſeu rotulas ad formam nummi parvi è corio conficit, easq; oxycroceo obducit, ſindone rubrâ cooperit, & ita unam umbilico imponit, nec ante qvintum diem amovet, poſteà aliam imponit. Vel quoq; Pileolus fiat ex globo plumbeo, quo cervus fuit occiſus, Cura, qva cum fruſtulo ligni Salicis recentis hoc in affectu peragitur, vulgo nota eſt & fit per tranſplantationem.

Contra Ani Procidentiam.

Exterius fl. verbaſci indantur ſacculo, & in lacte cocti tepidè foveant anum, quo poſtmodum facilius inſeratur. Poſtmodum imponatur ſuccus acacia calidè, ad repoſiti in ſuo loco retentionem.

Utiles etiam ſunt furfures ſecalis tepidè cum ſacculo ſi imponantur.

Aut fiat ſuffumigium ex aſphalato, ſuccino, maſtiche, thure, myrrh. a. ℥j.

Poſt repoſitionem imponatur calidè Empl. ex opopanac. ſagapeno circa regionem oſſis ſacri, ne ulterius prolabatur inſtinum.

Internè commendatur decoctum muſci prunell. ſylv.

Anti-Colica Specifica Interna.

Hæc debent eſſe vel *Anodyna vel carminativa*, quibus ſi *confortantia & ſpecificè agentia* adjungantur, præſtantiora & tutiora fiunt.

Appropriata ſunt inteſtina lupi exſicc. & pulveriſ. ut & ejus excrementa, quæ à pluribus Authoribus valdè commendantur. Alii inteſtina Amuleti loco uſurpant.

Teſticuli Equorum, de quibus vid. Rodericum à Fonſecâ in ſuis conſultationibus.

Herba item Veronica ab omnibus habetur pro ſpecifico.

Eſſ. Zedoar. Hartmanni. It. Cortic. aurant. chamemel. carminativ. D. Joh. Mich. & ejus Spiritus Anti-Colicus. Aq. carminativ. Dorncreil. Extract. ſpecific. colicum Mynſicht.

Specifica item carminativa ſunt ſem. Aniſi. Anethi. carui. fœnicul. Dauci. cumini. coriandr. bacc. laur.

Pulvis priapi cervi vel tauri. Th. Bartholinus c. 6. hiſtor. 50.

Contra Flatuum ſuppresſionem facit uſus quotidianus Theriacæ ad magni-

magnitudinem ciceris cum conſervâ roſar. v. *ad ſignum campanæ. Poſt medium noctis ſumptum matutinum ſomnum reddit ſuaviorem. Crato.*

Heurnius Medicus eximius coli cruciatus multoties placavit Aniſi decocto, quos ejus oleo demulcere nonpotuit. In praxi Medicâ.

Juſculum cum allio & oleo Olivarum calidè hauriatur cum vini optimi dimidiâ parte, & ſæpè probatum eſt. P. Borellus c. 4. obſ. 92.

Nota I. In Colicâ paſſione ex acribus humoribus ortâ, ſi anodyna nihil proficiant, & vitæ periculum immineat, tutò ad *Narcotica* confugere poſſumus, quia humoris acrimoniam mitigandi, eum incraſſandi, & morſum ac motum inhibendi vim habent. In frigidis autem & lentis humoribus *Narcotica commoda non ſunt*, cum cauſam morbi deteriorem & curatu difficiliorem reddant. *CL. Sennertus in praxi Medic. l. 3. p. 2. ſ. 2. c. 2.*

II. Narcoticis utamur, cum vires adhuc conſtant, nam ſi viribus jam proſtratis uſurpentur, non ſolùm non proſunt, ſed ægro etiam interitum accelerant, & cum ſenſu vitam auferunt, dum Spiritus anteà languentes aut deficientes ſopiunt, & calori nativo obſunt. *l. c.*

Nota de carminativis: Hæc majores ſæpè ſolent excitare cruciatus ob ſiniſtram adhibendi rationem. Nam ſi flatuoſus Spiritus craſſus denſusque fuerit, aut materia multa & denſior, quàm quæ carminantibus Medicamentis evinci poſſit, iisdem potius flatus multò plures generantur, ut qui anteà erant craſſiores, tenuiores evadunt: fit itaque, ut diſtenta & dolens pars flatus novâ propagatione & attenuatione amplius diſtendatur, oleumque camino addatur. Quare conſultum eſt, eisdem admiſcere emollientia, & præmittere evacuantia, antequam carminativa trahantur in uſum; aliter enim flatus potius augebunt, quàm dimovebunt. *Gal. 14. Meth. cap. 7.*

Externa.

Ol. expreſſ. nuc. moſchat. cum Zibeth. ventriculo inunctum. It. Balſamus Zibeth. Mynſicht.

Ol. d. rut. aneth. chamamel. n. Lauri.

Pinguedo cati ſylveſtris umbilico calidè inuncta colicos tollit dolores.

Seq. Empl. ego in praxi admodum proficuum expertus fui; Rec.. Empl. d. bacc. lauri ℥ß. ʒij. *Ung. de Arthanith.* ʒiij. *Nitri præparati* ʒj. *ol. d. ſuccini* ℈ß. *extende ſuper alut. obduct. ſyndon.* v. *m.*

Vel: *Empl. d. bacc. lauri. c. Tacamahac. ol. d. chamæmel. aneth. malax. c. ol. coct. chamæmel. & aneth.*

Vel: *Fiat ſacculus ex fl. Sambuc. chamæmel. ſumm. anethi. ana m. j. Milii. m.* jß. *Salis m. j. ſem. anethi. m. inciſ.*

cumini. carui ana ℥iij. *bacc. lauri* ℥ij. *m. inciſ. dentur in ſacculum.*

Contra Alvi Conſtipationem Specifica Interna.

Pulpa paſſularum absq; admixtione aliorum mirè commendatur.

Ficus Maſſilienſes & pruna Brünnenſia 6. vel 8. ſumpta; it. dactyli alvum laxant.

Duabus horis ante cœnam *pruna cocta cum eorum decocto* ſumantur, quibus addendus *vini lymphati cyath. ſemis, cujus media pars ſumatur ante pruna, altera verò medietas iis aſſumptis. River. c. 3. obſ. 6.*

Torreatur mica panis, & oleo olivarum irroretur, & manè deglutiatur, videbis effectum, ſi bis vel ter idē repetatur. P. Borellus c. 2. obſ. 14.

Guttæ duæ olei nuclei pinei Indici, ſeu Ricini Americani in juſculo adſumptæ. Alii eo umbilicum fricant, & ſic etiam effectum aſſequuntur. Idem. c. 3 obſ. 29.

Sorbilia ova in prandio ſumpta lubricam alvum concitant. Th. Bartholinus c. 6. h. 65. Vel particula de ovi vitello indatur parvo nodulo & immittatur loco ſuppoſitorii in Anum.

Potio laxativa & emolliens. Horſtii libr. 5. obſ. 8. de Morb. mulierum.

Externa.

Oleum lini cum ſtuppâ cannabinâ umbilico impoſitum.

Pulvis ſalviæ miſceatur cum axungiâ porcinâ, & imponatur ad avellanæ magnitudinem umbilico.

Fel muri aut piſcis alicujus imponatur umbilico, & in Clyſterium decocto diſſolvatur.

Ex urinâ pueri cum fermento acerrimo & vino Rhenano f. Enema.

Fiat item ſuppoſitorium ex alumine.

Et clyſma ex croco metallorum decoctum jure commendatur. Decoctum autē hoc diligentiſſimè filtrari debet, aliàs facillimè noxam parere poteſt.

Nota. *Aloëtica* hîc non conveniunt, quia nimis exſiccant; Ut & à Medicamentis adſtrictionem relinquentibus, ut *rhab. Tamarind. Myrob. &c.* Hîc planè abſtinendum eſt.

Contra Iliacam Paſſionem.

Prodeſt globulus deglutitus ex regulo Antimonii. Mercurius vivus ritè depuratus hîc etiam tutò poteſt intra corpus dari. Laz. River. in obſ. comm. 1. p. m. 316. cum Sulphure extinguit, in formam pulveris redigit & globulo ceræ incluſum offert.

Pinguedo circa inteſtina & omentum vituli hærens data cum brodio optimæ notæ Medicamentum eſt.

Ol. item amygdal. dulc cum Tinctura aperitivâ meâ & D. Mœbii in brodio calido.

Externè.

Stercora ſtercus propellere dicuntur, hinc bovinum vel etiam caprillum (qvod acrius eſt) ſolet abdomini applicari, vel Zibetho qvoqve umbilicus inungi.

Item Ung. de Arthanatit. c. ol. diacolocynth. umbilico etiam inungendum eſt.

In ILIACA ex incarceratâ herniâ Emplaſtrum meum Magneticũ lumbis appoſitum mira præſtat. *Vid. infrà libr. 2. cap. 2. p. 426. 427.*

Contra Lienteriam Specifica.

Interna.

Sp. Maſtich. ſeu decoctum maſtich. cum aq. fontan. liqvor ſtypticus, Sirup. Corallor. de Maſtiche. Decoctum ad lienteriam Qvercetani. Mithridat. cum ſucco cydon. Crocus Martis & ejus Tinctura. Aluminis dextro uſu nihil ferè præſentius eſt. Aq. menth. c. vin. & Sirup. de menthâ.

Nota. *Si contracta fuerit ex fungis & aliis fructibus horariis, proſunt Alexipharmaca & quidem ſpecifica.*

Externe.

Prodeſt ol. ſtomachal. Craton. ol. expr. nuc. Moſch. inunctum. Empl. ſtypticum Mynſicht. ex Tacamahac. & maſtich. c. ol. maſtich. Item, fiat ſacculus ex menth. abſynth. fl. roſ. v. maſtich. nuc. Moſch. aſpergatur c. vino, vel ſi hoc non ſuffecerit, fiat Cataplasma ex fermento cum aliis anteà dictis ſpeciebus & aceto roſac. deſtillato.

In Cœliacâ ortâ à venarum lactearum obſtructione conveniunt *aperientia ex Marte, Eſſ. ejus aperitiva. Eſſ. Martis liqvida. Tinctura Tartari. Arcanum Tartari ſoluti.*

Sin à *facultatis Attractricis imbecillitate*, proſunt *Epaticum rub. ebur ſ. ign. ſpec. diatrion Santal. Tinctura fl. bellid.*

Externè ceratum ex Santalo uſitatum.

Contra Diarrhœam Specifica.

Interna.

Nota. In *hoc affectu primò abſtergentibus, præcipitantibus & corroborantibus, & deinceps Adſtringentibus uti debemus.* Pro *abſterſione* inſervit *decoctum polentæ ex hordeo probè coctum, ante prandium hauſtũ. Vel fiat Clyſter ex fl. chamæmel. cum jure gallinaceo. Deinde CC. uſtum. Corall. præparat. Margarit. præparat. decoct. maſtich. in aq. fontan. Terra Solaris Ungarica vera. Bolus Armenus, cryſtalli præparati, ſmaragd. præpar. &c. præcipitant & corroborant. It. Spiritus Vitrioli guttatim adſumptus.*

Adſtringunt pulv. radic. tormentill. biſtort. & earum Extractum. Roob prunor. ſylveſtrium. Lignum lentiſci. Crocus Martis adſtrictivus.

Tinctura ♀ris Vitrioli. Pulv. nucleorum in dactylis. Semen lapathi acuti pulveriſ. &c. vid. P. Poterius cent. 2. cur. 61.

Sæpè obſervavi, inqvit Lazar. Riverius de febr. peſtil. p. m. 144. Alvi fluxum pernicioſum, ex quo æger ad interitum ruere videbatur, potentioribus diaphoreticis magnâ doſi exhibitis quaſi momento cohibitum fuiſſe,

qvalia ſunt Bezoardic. Martiale cum CC. uſto. & præparato. Theriac. A. c. ſp. ⊕ol. Tinctura Bezoardica auctâ Sp. Vitrioli doſi. &c.

Nota. I. In omni excretione præ reliquis duo ſunt notanda; *primò, qvid; deindè, quomodô* excernatur. *Omnis fluxus ex utilium colliquatione cohibendus.*

Deinde; Dum alvum ſtringimus, uſum remediorum talium inire debemus, quæ & temperant viſcerum calorem, & leniter adſtringunt, ſi exigius, validius verò, ſi effuſior.

Externa.

Empl. Diaphœnic. fr. c. ol. myrtill. malaxat. de cruſtâ panis. Balſam. Peruvian. c. nuc. Moſchatâ. It. Theriac. A. c. pulv. tormentill. Extr. tormentill. & ol. nuc. Moſchat. expreſſ.

Nota. Oritur non rarò ſpontanea evacuatio in ſanis à Naturâ robuſtâ facta, qvâ ſe à ſuperfluis humoribus liberat, de quâ Celſus loqvitur lib. 4. c. 19. Uno die fluere alvum ſæpè pro valetudine eſt, atque etiam pluribus, dum febris abſit, & intra ſeptimum diem id quieſcat. Purgatur enim corpus & qvod intus læſurum erat, utiliter effunditur. Petræus in Noſolog. l. 2. p. m. 79.

Anti-Dyſenterica Specifica
Interna.

Linteum cruentum in leporis, qvi venando per canum morſum interiit, ſanguine, & ſiccatum adſervatum, idq; in vino carptim exhibitum. CL. Helmontius.

Ungulæ Eqvorum non luxuriantium in butyro frixæ, ſi autem beſtia laſciviat, tum magis furorem augent, & dyſenteria magis promovebitur.

Miraculo quaſi juvat uſus aquæ pro potu ordinario, in quâ ſuber ebullierat. P. Borellus c. 1. obſ. 47.

Hœdi coagulum ſummum eſt arcanum in hoc affectu. D. J. M.

Lac caprinum hauſtum cum ſaccharo. Idem l. c. obſ. 36. vel idem lac coctum cum radic. tormentill. ſem. lapath. acuti. & cera rec. cujus colatura bibatur.

Smaragdus præparatus ſpecificum etiam eſt.

Rec. Ol. olivar. ſacchari ana ℥ij. liqveſcat ſaccharum in vaſe terreo, adde vitell. ovor. no iij. & per tres dies ſume manè. Item. Aq. anſerin. ℥vj. ſacchari ℥iß. vitell. ovi j. ol. coct. aneth. cohl. 3. M.

Rec. fabarum cum cortic. pulveriſ. ℥vj. caryophyll. igne exſiccat. no. viij. M. f. pulvis. poſtea accipe lentium integrarum ℥vij. & cum aqua amphoris duabus bulliant, tandem chalybeetur hæc aqua 12. vicibus, & cum pulvere dicto ſumatur 3. horis matutinis P. Borellus l. c. obſ. 13. Item. Aqua baccarum ſambuci probatum eſt, ſpecificum. Priapus cervi vel tauri pulveriſ. aut ejus decoctum. Priapus cati certiſſimum eſt remedium in hoc affectu, raſura ejus poteſt cum Electuariis miſceri.

miſceri. Item talus porcinus calcinatus certâ Experientiâ ſe etiam commendat.

Epar ſerpentis ſingulare etiam eſt ſpecificum. Item in principio dandum etiam Antimonium diaphoreticum.

Manifeſtâ vi adſtrictoriâ vel præcipitativâ agunt Crocus Martis adſtr. Tinctura ♀ris ⊕li. Eſſ. Martis D. D. Balthaſaris Glasſii vel per ſe, vel cum arcano Tartari ſoluti. It. Tinctura opiata anodyna. Lapid. hæmatit. cryſtall. præparat. ſang. Dracon. Corall. v. præparat. gelatin. CC Eboris. liquor ſtypticus pulv. radic. tormentill. biſtort. & illarum Extracta.

Spec. dia plantagin. dia Martis Mynſichti. & ejusd. decoctum adſtringens. CC uſt. & præparatum. CC. cum ♁io uſtum.

Sp & ol. Terebinthinæ non poſtremas quoq; ferunt in Dyſenteriâ. Item Cera alba in pomo excavato indito operculo prunis admoto & liquefacto in juſculo aut cereviſiâ calidâ. Tutior tamen eſt uſus pulv. Tragacanth. in ovo ſorbili cum pulv. Corall. v. & nuc. Moſchat.

Medulla Lapidum quoq; commendatur.

Externa.

Anſerinam ſummoperè commendat P. Borellus c. 1. obſ. 13. idq; Experimento conſtare ait, ſi plantis pedum applicetur 24. horarum ſpatio profluvium ſiſti. Eandem herbam butyro frixam & ventri applicatam ex obſervatione commendat D. Joh. Michaëlis.

Perſicaria pulſibus applicata, oſſi ſacro & umbilico impoſita.

Lagopus loco anitergii uſurpatus.

Acori aquatici lutei radicem in Majo effoſſam & collectam ſingulare amuletum pronunciat Croll. de ſignat. rer. intern. appenſam ad ventriculi regionem.

Si duo aut tres ſurculi Tithymali Paralii in calceamenta ponantur & ſic deambuletur. Idem Crollius.

Prima excrementa ſanguine tincta ſi Salis manipulo miſceantur, magneticâ vi curant, quidam caput Vitrioli, alii anguillarum cutem pulveriſatam addunt.

Lignum fraxini debito tempore collectum inquina excrementis ſanguine tinctis, inſere lardo ad tempus.

Nota, in Dyſenteriâ Epidemicâ & malignâ conveniunt terra ſigill. vera. CC. ſ. ign. Ebur ſ. ign. Epar lupi præparatum Serpentum. Aq. plantaginis, quæ valdè malignitati reſiſtit & in peſte commendatur. Magiſter. Corall. c. ſucco citri. item Antimonium cum CC. calcinatum.

Contra Fluxum Alvi Sanguineũ.

Sin à diſpoſitione viſcerum calidâ decoct. radic. cichor. acetoſ. Pimpinell. rubr. Tinctor. cum Sirup Corall. roob ribium, berber. conveniunt. Mixtura ex ſucco portulacæ plantaginis & ſorborum etiam utilis eſt.

Magiſter. Corallor. cum ſucco citri.

Commendantur & epata gallinarum, pullorum anſerum.

Tinctur. Martis adſtring. c arcan. Tartari ſolut. Tinctur. Sulphuris Vitrioli. c. Eſſ. hepatic. D. Johann. Michaëlis.

Epar lupi præparatum. Ebur. ſ. ign. decoct. cydonior. agrimoniæ, cujus ſolo decocto Poterius hunc affectum curâſſe ſe teſtatur. in Pharmacop. Spagyric. l. 1. c. 2.

Eſſ. Plantaginis in hoc affectu tanquam ſpecificum commendatur ab Angelo Salá.

Aq. deſtill. ex epate humano, vituli, lupi, capon. & aliorum animalium. Caro quoq; cochlearum hîc valdè commendatur. It. Paſſulæ minores.

Externè proficuum eſt cerotum ſantalinum cum croco Martis adſtrictivo.

It. fiat fotus ex fol qvercus, plantagin. radic. tormentill. biſtort. cinamom. &c. in ſacculo incluſis & in vino rubro & aceto decoctis, toti ventri admovendus.

DE RECTI INTESTINI AFFECTIBUS.

Contra Recti Inteſtini Inflammationem internè conveniunt Bezoardi cum Martiale, Joviale, Antimoniū diaphor. cum ſacchar. Saturni in aq. plantagin. acetoſ. &c.

Externè inſerviunt mucilagines rad. ſymphyt. c. ol. roſar.

Contra Verrucas Recti inteſtini, ſeu criſtas ſive carnoſas excreſcentias ex præpoſterâ Venere ortas internè uſurpantur Eſſ. fumar. Tinctura Antimonii Tartariſata. Antimonium diaphor. Externè convenit decoctum croci Metallorum cum linteis applicatum.

Contra Rhagades ſeu Fiſſuras Ani valet Clyſter Mynſichti it. Ung. ſevi hircini ejusd. it. cum ol. lini. lil. alb. mucilag. ſem. cydon. Lytharg. ol. roſac. & Vitell. ovor q. ſ. f. linimentum.

Contra Fiſtulas Ani internè adſumi poſſunt Eſſ. agrimon. lignor. D. Joh. Michaël. Sirup. ad fiſtulas Ani. Horat. Augenii, qui extat. in Diſpenſator. Horſtii. & Appendice pharmaceutic. Qvercetani. It. Eſſ. Travmatic. D. Michaëlis.

Externè ad mundificationem facit decoctum agrimoniæ cum pauxillo aluminis.

Ad conſolidationem laudat Franciſcus Joël pulverem Mercurii præcipitati inſperſum, Emplaſtro communi impoſito.

Fiſtulas Ani primò ſarmentorum lixivio lava, & deinde utere unguento ex ſacchari, olei olivarum, argenti vivi & vini ana conflato P. Borellus c. 1. obſ. 83. & c. 2. obſerv. 67.

Contra Teneſmum ex fl. verbaſci chamæmel. n. melilot. lut. ſem. lini. fœn. græc. inciſ. & contuſ. f. ſacculi no ij. coq. in aq. ferrariorum & per vices applica. Poteſt qvoq; inſimul decocti vapor Ano excipi. Vel. Fiat

fotus ex fol. qvercus cum fl. verbaſc. chamæmel. roſ. rub. ana inciſ.

Contra Nimium Hæmorrhoidum Fluxum Specifica Interna.

Millefolium infuſum in aq. fervente & adſumptum per menſem integrum, aut diutius in hæmorrhoidum doloribus, & fluxu illarum immoderato valdè confert. Laz. River. in obſerv. communicat. p. 1. obſ. 5.

Radix Scrophulariæ movet & ſiſtit *hæmorrhoides. Vid. Craton. conſil. à Scholtz. edita p. m. 589. conſil. 207.*

Virtute ſtypticâ agunt Tinctura ſulphuris vitrioli. Eſſentia Martis adſtrictiva ex floribus Martis per deliqvium ſolutis D. D. Balthaſar. Glasſii aut per ſe, aut cum arcano Tartari ſoluti. Item Tinctura opiata anodyna. Lapid. hæmatit. ſpec. dia Martis Mynſichti. Eſſentia Mumiæ. Tinctura mea Corallorum. Aqvâ ſempervivi ſolâ ego novi fluxum hæmorrhoidum feliciter fuiſſe curatum.

Ut & ſequens exoptatisſimo ſæpè cum effectu fui expertus; Rec. pulv. radic. tormentill. biſtort. ana ℥ß. cinamomi. caryophyll. galang. a. ʒj. camphor. ʒß. m. f. pulvis infund. in menſurâ unicâ vini & coq. ad conſumpt. duorum transverſorum digitorum in diplomate. De hoc ſingulo manè probè mixto ſume cochl. 4. & veſperi itidem.

Qvidam etiam commendant pulverem dentis Marini, ad ℈j. adſumptū.

Unicornu fosſile herbinium nec minores obtinet vires.

Decoct. radic. tormentill. & fragor ſiccorum.

Externa.

Sanguis adhuc calens & recens ex qvovis animali extractus & injectus, teſte Felice Platero, mirificè juvat. Alii in eundem uſum ſolum plantaginis ſuccum præſcribunt.

Crepitus lupi ſiccatus & Venis fluentibus admotus juvat.

In Croco Martis inſperſo magna & tuta ſpes eſt.

Decoctum foliorum qvercus calidè admotum.

Hæmorrhoides ſi tangantur tuberoſâ radice chondrillæ, ſiccantur, ſi chondrilla ſiccatur; corrumpuntur verò, ſi corrumpatur, qvare ſub camino exſiccanda.

Suffumigium ex decocto tapſi barbati per infundibulum recipiatur in anum, & eſt ſenſibilis ejus effectus. River. c. 2. obſ. 49. & in obſ. communic. p. m. 367.

Cingulum ex foliis hellebori nigri conquaſſatis recentibus nudo corpori circundatū, donec puſtulæ excitentur.

Contra Hæmorrhoidum ſuppresſionem Aloëtica internè adſumpta proſunt, qvalia Aloë violata roſata. Pilulæ aloëphanginæ. Franckofurtenſes; Glasſianæ, It. Elixir propr. P. ſpecifica proprietate hæmorrhoides ſuppreſſas aperit cruor leporis cum pulv.

caryo-

caryophyll. vel cinamom. aceto & ſaccharo coctus in prandio vel cœna adſumptus. (*vulgò* Haſenſchwartz *appellant.*)

Decoctum radicis Scrophulariæ etiam movet hæmorrhoides. Heinric. ab Heer lib. 1. obſ. 20.

Externè ficulneorum foliorum ſucco cyclaminis madentium frictu feliciter provocantur l. c. obſ. 6.

Succus cœparum aloë miſtus & panno aſperiori fricando applicatus aperit hæmorrhoides.

Ad Dolorem Hæmorrhoidum minimum qvid Scrophulariæ, vel radicis, vel foliorum cum cibo aut potu ſumatur. Sive ipſa plantæ ſubſtantia ſicca aut viridis, ſive decoctum ejus adſumatur. Heinricus ab Heer l. c.

It. Millefolium infuſum etiam in hæmorrhoidum doloribus valet. Riverius in obſ. communic. p. 1. obſ. 5.

Semen trifolii hæmorrhoidalis ad ʒj. *cum vitello ovi per plures dies exhibitum.*

Tapſi barbati pulv. exhibitus cum lacte.

De dente eqvi marini quidam uſurpant ℈j.

Externè valet linaria cum lacte cocta & impoſita; vel ejus unguentum. Joh. Hartmannus p. m. 203. Horſt. lib. 4. obſ. 42. Aut ejus oleum. It. Oleum ex millepedibus, qvod ſingulari pro arcano habuit principiſſa quædam in Italiâ & P. Borellus communicat c. 1. obſerv. 63.

CL. Helmontius commendat annulum de dente eqvi marini.

Morientium ſudor mirificas habet vires hæmorrhoides mortificandi, & excreſcentias Helmontius in Latice §. 17.

Nota. Hæmorrhoides cæcas cum ficubus & mariſcis multi confundunt, quod tamen minimè eſt faciendum. *Mariſcæ* enim longè alius ſunt affectus, nempè tubercula carnoſa, oblonga, quaſi verrucæ ad cutẽ tenuia, ſuprà lata, ſubrubra, aſpera, florem thymi referentia, unde & *thymi* appellantur, & ſi magni ſint, *Ficus.* Sic *condylomata* ſunt tubercula rugarum Ani orta à confluentibus humoribus vitioſis. *Sic Formicæ, Verrucæ, clavi aliiq; circa anum affectus ab Hæmorrhoidibus ſeparandi ſunt, cum Naturâ, Definitione, ſignis & curis differant.*

Ad *Condylomata facit Ung. Linariæ cum Croc. Martis adſtrictivo.*

Contra Meſenterii Obſtructionem ſpecifica interna aperientia ſunt Tinctura & ſp. Tartari. Arcanum Tartari ſoluti. Terra foliata Tartari. Spiritus aperitivus Penotti. Spiritus Vitrioli volatilis ſ. Tinctura aperitiva mea & D. D. Mœbii. Tinctura Martis Zwelfferi. Crocq Martis ſaccharinq. Extract. Martis Mynſicht. Acidulæ artificiales ex Marte. Pulv. cachecticus ♀. *Crocus Martis aperitiv. cum terrâ foliatâ Tartari.*

Nota, poteſt fieri decoctum ex radicibus

dicibus aperientibus ut aſparagi. graminis. cichorii. petroſelini. ononid. urtic. min. c.h. in brodio carnis, & in hoc dicta medicamenta pro ratione circumſtantiarum, & præmiſſis præmittendis propinari poſſunt.

Meſenterii inflammationi febris ardens magnâ ex parte præcedit vel conjungitur, & tunc Bezoardicum Martiale, Solare, Joviale conveniunt; malo autem abſceſſum vergente lenta inſeqvitur; Inter abſtergentia nobiliora ſunt Martialia, ut Eſſ. Martis cum arcano Tartari ſoluti. Sirupus mercati ex Marte. Claretum chalylis Mynſichti vinum chalybeatum. Extractum chalybis.

Inter conſolidantia excellit Terebinthina, quæ omnibus ſimul indicationibus ſatisfacit. It. Pilul. de Terebinthin. c. Antimonio diaphor. Vel Tereb. diſſolv. in vitell. ovor. aut in juſculo carnis propinetur. It. Eſſentia perſicariæ. cum ſp. meo Martis, vel aperitiv. Penotti. It. Eſſ. travmatic. agrimon. fl. hyperic.

Nota. Eadem medicamenta etiam in inflammationibus & abſceſſibus & muſculorum Abdominis tutò uſurpari poſſunt.

Nota. Si vis explorare, utrum in parte quâdam inflammatio adſit, an non, applica topica calida, ſi iſta pars ferat, nulla adeſt inflammatio, ſin autem non ferat, certò credas inflammationem adeſſe, & inde ſubſeqvuturum abſceſſum; Id qvod multoties fui expertus, cum Laz. River. c. 1. obſ. 51.

Contra Meſenterii Dolorem, ſi ille urgeat, convenit internè *laudanum opiatum* diſſolutum & miſtum cum *purgantibus*, quod dolorem ſiſtit purgando. *Externè proderit ol. expreſſ. hyoſcyami. Poſtmodum præparantia & aperienta internè conveniunt ex radic. Scorzoner. graminis. cum fl. cordial. Epatic. v. geniſt. bellid. v. coct. in juſculo carnis vitulinæ. Et præmittatur inunctio abdominis ex ol. hyperici. & butyro rubro potabili.*

DE EPATIS AFFECTIBUS.

Sin ſalia peregrina acida ſylveſtria epatis parenchyma mediante ſanguine intrârint, id quod non ſolùm ex ipſius æſtu, verùm etiam actionis læſione cognoſcitur, conveniunt *radic. cichor. Scorzoner. Taraxaci. acetoſ. graminis pulv. Epaticus ruber. Ebur ſ. ign. Sal. cichor. Taraxac. abſynth. Vitriolat. cichor. Vitriolat. vel ⦶atum. Spiritus Martis volatilis. Tinctur. fl. bellid. roſ. v. violar. Aq. epatic. frigid. Mynſicht. ſerum lactis deſtill.*

Nitrum vitriolatum Mynſichti. & alia ex Nitro.

Externè Spiritus Camphoratus maximè prodeſt, & plus præſtat, qvàm Epithema refrigerans. It. Ung. refrig. Gal. roſatum Meſuæ cum camphor. mixt.

Sin Naturale epatis fermentum à Scoriis Tartareis vel aliis mucilaginoſis

noſis humoribus fuerit obrutum, ut ejus calor non rectè ſeſe exſerat, & in parenchymate ſanguinis ventilatio fieri neqveat, etiam radices Cichorii. pimpinell. rhab. monachor. proderunt; Item tinctura Martis liqvida. D. Joh. Michaël. vel Zwelfferi. Aq. epatic. calida Mynſicht. Eſſ. abſynth. agrimon. centaur. min. Epatica D. J. Michaël. pulv. cachectic. Q. ſpec. Diamargarit calid. cum Croc. Martis aperitiv.

Nota. Quod *Galenici* intemperiem vocant, hoc *Helmontius* dicit eſſe ſpinam quandam infixam, ſeu fermentum alienum digeſtionem perturbans, & totam œconomiam pervertens, Archéum modo ad frigus, modo ad calorem, imò ut is laticem alliciat, commovens, hinc illi ex intemperie ſine materiâ intemperiem cum materiâ naſci voluerunt. *In tr. Retenta. inqvit, cum membra non alantur, niſi ſub qvâdam proportione mortalibus incognitâ, neceſſe eſt interdum inordinationem ſubnaſci, quam communiter calori hepatis attribuunt ac falſò per refrigerantia ſanare intendunt. Jecur enim in ſe cadaver eſt, & friget, niſi per Spiritum vitæ foveatur. Atqve omnis calor hepati advena exoticus eſt. Perindè enim ſe habet, prout digitus in ſe temperatus, cui ſi ſpina infigatur, & ſi actu & potentiâ ſit frigida, tamen mox tumet, pulſitat, caleſcit & inflammatur digitus &c. Ita qvoq; nunqvam calet hepar, niſi moleſtam ſpinam in ſe conceperit. Qvocircà etiam evellendæ ſpinæ, non autem refrigerandæ ſedulò eſt incumbendum.*

Nota. Jupiter utilis eſt in omnibus aſpectibus ad morbos Epatis & lienis curandos. Et Venus ad corrit gendam Epatis inemperiem calidam; In omnibus autem caveas à ☌ □ & ☍ ☿rii.

Contra Epatis Obſtructionem Specifica Interna.

Ex Tartaro & Marte paratæ medicamenta hîc utilia ſunt, Arcanum Tartari ſoluti. Sal Tartari volatile. Terra foliata Tartari. Spiritus. Tartari. Tinctura Tartari. Tinctura Martis Zwelfferi. Extractum Tartari Martialis. Crocus Martis aperitivus cum ſalibus hepaticis, vel cum Sale hepatico Mynſichti. præparatus. Crocus Martis ſaccharinus dicitur à quibusdam verum Epatis reſtaurativum. Hæc Medicamenta longè tutiora ſunt & convenientiora, quàm in crudâ formâ ut hactenus adhibuerunt. Nec minoris valoris ſunt *Spiritus aperitivus Penotti. Martis volatilis. Tinctura aperitiva mea & D. Mœbii.*

Si *obſtructio in gibbâ Epatis Diuretica proſunt, ex qvorum cenſu tinctura Tartari cum Calce. Arcanum Tartari & alia, quæ inſimul vim aperiendi habent.*

Si *flatulentia unà adſit, adde Eſſ.*

carminativ. Aq. carminativ. Dornkreil. cum Epaticis appropriatis.

Hepar roborant Ebur. ſ. ign. Tinctura mea Corallorum, vel Laz. River. c. 1. obſerv. 49.

Nota. I. Ubi adeſt obſtructio hepatis, ibi eſt initium & fundamentum omnium morborum, & niſi citò diligenter, penitusq; tollatur, corruptionem ſanguinis, inflammationes, febres, ſcirrhos, alvi fluxus varios, diuturnos ac vehementes, cachexiam, Icterum, hydropis ſpecies, colicam, atrophiam, maraſmum, alioſq; infinitos morbos producit. Licet autem totum αἱματώσεως *Monarchicum imperium cordi decernamus, tamen ſciendum eſt & hepar ſuum huc* ἐπιβάλλον μέρος *conferre; Si enim hepar ſanguinem tanquam novum parenchyma à corde transmiſſum, & ſerum à vaſis lymphaticis adductum ulterius non benè coqvat, depuret, & ad eam, qvam habere debebat, perfectionem deducat, obſtructiones in capillaribus ſuboriuntur vaſis, bilis non ſegregatur, unde ſangvis incaleſcit, inflammationes, Icterus, Eriſypelata, febres & varia oriuntur Hydropis ſpecies.*

Nota. II. Ab aperientium uſu non prius deſiſtendum eſt, qvàm dolor omnis remittat, & hypochondria fiant leviora, cum Chronicum malum ſit hepatis obſtructio, & plerunq; non unâ ſeptimanâ, ſed vix integro menſe referari poſſit. Petræus in Noſolog. T. 2. p. m. 165.

III. In omnium Medicamentorum exhibitione ordo debitus obſervandus, ſemper univerſalia particularibus & topicis præmittenda.

IV. Medicamenta non niſi longiſſimè à cibo propinanda.

V. Medicamenta debent eſſe liqvida, ut penetrare qveant.

VI. Attenuantia, reſolventia & diſcutientia, præterqvam qvod moderata eſſe debeant, ſint etiam inſuper Epatica & adſtringentia.

VII. Dulcibus in Hepatis morbis non utendum eſt ut cibis, ſed ut condimentis, ſi priſtinus ſanitatis vigor redierit; Ipſi autem malè adhuc affecto planè non offerenda ſunt.

VIII. Externa Topica nunquam ſint actu frigida, ſed ſemper calida, vel tepida.

Nota. Sextilis Jovis Veneris ad epar obſtructum curandum Salutaris eſt.

Contra Hepatis Inflammationem prodeſt Tinctura mea parata ex Marte & ſaccharo Saturni in aqvâ plantaginis. Saturnus enim omnibus inflammationibus contrariatur. Cavendum tamen, ne nimis creber hujus ſit uſus. Si febris ardens conjungatur, convenit Bezoardic. ☉ ♂le. Joviale. Antimonium diaphor. ex regulo. Spiritus Martis meus volatilis, cum aq. plantagin. Roſar. fragor. ſ. v.

Externè ſaccharum Saturni miſceatur

atur c. dictis aquis vel Solani & linteolis madidis tepidè applicetur. Petræus l. c. p. m. 211.

Nota. Trigonus Jovis & Veneris commendat curam morborum ab inflammatione ſanguinis, & ictero flavo ortorum. Item, Trigonus Jovis Solis ſalutaris eſt.

Contra Epatis Scirrhum valet tinctura mea Antimonii. & Martis aperitiv. cum ſp. ⦶tri parat. ſp. gummi Ammoniac. cum Eſſ. agrimon. MP. de Ammoniac. Q. Tartar. Vitriolat. cum ſal. Cichor. abſynthii. Terra foliata Tartari cum Croco Martis aperitiv. Sal hypochondriacum P. Poter. cum croco Martis aperitivo communi.

Externè utile eſt Empl. de cicutâ malaxat. c. ol. deſtill. Ceræ. It. Ung. de cicutâ Fabricii Hildani.

In Vulneribus & Ulceribus Epatis proficua ſunt Medicamenta de Agrimoniâ, ut & Eupatorio deſumpta. Tinctura fl. bellid. Epatic. nobil. inſtillari poteſt cerevisiæ & pro potu ordinario uſurpari.

Contra Hepatis Tonum læſum valet Epar lupi ad ʒj. in aquâ Epaticâ exhibitum, Epar vituli, ex quo cum Cichor. & Eupatorio aqva poteſt deſtillari. Cochlearum carnem quidam ſpecificâ vi Epati conducere putant. Item paſſulæ minores & majores. Roob paſſularum. Sirup. conſervativ. radic. Cichor. Ebur. ſ. ign. decoct. agrimoniæ. Diatrion ſantal.

Contra Cachexiam proſunt centaur. minus. abſynth. agrimonia. radic. graminis Cichor. pulv. Cachecticus Q. Crocus Martis aperitivus cum ſalibus. Saccharinus. Tinctura Martis Zwelfferi. Eſſ. cum Extract. Martis Mynſicht. tinctura Martis tartariſata. ſ. & Antimoniata. Tartarus Antimonialis & omnia medicamenta ex tartaro. Acidulæ artificiales in tollendâ cachexiâ principatum obtinent. Naturalibus acidulis etiam melioris & facilioris operationis gratia poteſt miſceri Vitriol. Martis. Item Clyſſus, ſi miſceatur cum aqvis appropriatis & ſuccis.

Nota. Non prius debet inſtitui purgatio, anteqvam Digeſtiva fuerint præmiſſa: Aut ſi tandem adhibeantur, miſcenda ſemper erunt digeſtiva.

Nota. In fine morbi conveniunt ſudorifera & exſiccantia, ex qvorum cenſu Bezoardic. Martiale & Eſſentia Lignorum. CC. ſ. ign. Sal fumariæ. Antimonium diaphor. arcanum duplicatum.

Contra Hydropem Aſcitem medicamenta ſpecifica ſunt ſambucus, ebulus ruta. Braſſica marina, radic. urtic. major. & ex illis parata remedia. Decoct. radic. vincetoxic. Ejusq; Eſſentia & Extractum. Decoctum radic. bruſci. Laz. River. c. 3. obſerv. 52. decoct. radic. cichor. & calcatripp. Idē in praxi p. m. 208. Succus chærefolii cum vino exhibitus. Id. l. c. p. m. 203. Ptiſana herba ceterach ad tres hauſtus

manè ſumpta quotidiè juvat. Item, ſuccus ſatureja utilis eſt cum ſuffumigio ſpiſſamenti ceræ. It. Veronicæ aqva manè epota ad ℥vj. per tres dies P. Borellus c. 2. obſ. 53. De Tabaci virtute in hydrope vid. Thom. Bartholinus centur. 6. hiſtor. 17.

Lotium ovinum aliquot diebus potum multos hydropicos reſtituit, imò propriâ urinâ bibitâ qvosdam detumuiſſe conſtat. Unde & Spiritus urinæ tanqvam Diureticum ſpecificum egregium commendatur, & ejus Sal volatile. Pulvis Bufonum exſiccatus pro ſingulari arcano habetur, cujus Experimenti inventor primus mortis accelerationem ex eo quærens inſperatò convaluit. Vid. Wierus libr. 3. c. 35. de præſtigiis Dæmonum, Solenander conſil. Medic. ſect. 5. num 15. Libavius 2. Batrach c. 20. Foreſtus libr. 19. obſ. 35. Marcell. Donat. in hiſtor. Medic. libr. 7. cap. 7. Vermes majales in oleo oliv. infuſi deinde expreſſi & deſtillati cum aq. raphani oleum propinatum urinam juxtà ac ſudores ſpecificè pellit. Vermium terreſtrium liqvor, & illorum Spiritus cohobatus. Item Tinctura ex capite vermium præparata. Decoctum cancrorum fluviatilium cum felle vitri ad ʒß. vel ℈ij mira præſtat. Item, Spiritus aperitivus Penotti ſingulariter præparatus maximè etiam proficuus eſt ob partem volatilem ſilicum & Salis tartari; qvid autem ſilices in hydrope valeant, vid. in Laz. River. obſ. comm. p. m. 390. 391.

Nota. Galenus cæteriq; poſt ipſum omnia qualitatibus Elementorum tribuentes non à ſpiritibus Hydropem, verùm potius ab intemperie jecoris frigidâ & humidâ oriri dicunt. Sed qvàm aptè ad benè medendum conjicere licet. Etenim dent qvantùm velint calida jecori, nihil efficiunt, ſitim augent, frangunt vires, & morbo alimentum & incrementum præbent. At ſpiritibus impetum frangant, obſeratos meatus aperiant, intus congregatæ aqvæ ſpontè effluent, & ſanabitur hydrops. Qvæ praxis nobis feliciter ſucceſſit in omnibus. Verùm in nonnullis ubi ſubſtantiæ adeſt corruptela, aut ſaltem ſuſpicio aliqua, viam hanc inire non audeo, & tantum prognoſtico cautè deferendum judico. Idem Hipp. l. 4. de morbis ſub f. hujus morbi curationem tradit. Vid. P. Poterius centur. 1. curat. 1.

Nota. Hydrops Aſcites oritur vel ex vitio hepatis, aut aliorum viſcerum obſtructionibus Tartareis validisſimis laborantium. Nam hæc debebant ſerum à vaſis lymphaticis adductum recipere, denuò coquere & cum ſanguine miſcere. Verum cum viſcera illa ſummè laborent, ſint obſtructa, & forſan etiam quodammodo corrupta, ſerum adductum in abdomen regurgitat, ad pedes deſcendit, tumorem excitat, qui

indies

indies magis adſcendet, totumque abdomen occupabit, exinde reſpiratio periclitatur, ac mors in propinquo eſt.

Nota. Dulcia ac mulſum perinde ac Peſtis in hydrope vitanda ſunt. vid. Conſil. Medic. Scholtzii. p. m. 361.

Hydropicam unicornu Grœnlandico curatam vid. in Th. Bartholin. c. 5. h. 46. It. per oſſa exſiccata & ſuccum petroſelini. Laz. River. in obſ. communicat.

Externa.

Lapis fulminaris in Hydrope tam internè, quàm externè commendatur à D. Joh. Michaël.

Lapides item in capite ranæ terreſtris reperti ventriq; alligati ſpecificâ proprietate onus aqvoſum averruncare creduntur. De Tabaci virtute in hydrope vid. Th. Bartholinus c. 6. hiſtor. 17.

Obſervatione dignum eſt, qvod ſibi Experientia compertum eſſe teſtantur Wierus & Varignana Bufonem ſylveſtrem, qvi in nemoribus reperitur, per ventrem ſectum & renibus obligatum Aquas hydropicorum per urinas educere, & cum amplius evacuare volumus, applicationem eſſe renovandam. Riverius in praxi p. m. 207. & CL. Helmontius in tr. Ignotus hydrops §. 36. Idem non ſolum confirmat, verum etiam addit ſe vidiſſe ruſticum hydropicum ſanatum alligatâ anguium ſenectâ per ventrem & renes. Id qvod & Joh. Riolanus in operibus de colubri fluviatilis lapillo teſtatur; induci hiſce Ideam metus renibus, qvâ indignationem amittant, modò laudatus Helmontius arbitratur.

Nonnulli etiam per tranſplantationem curam inſtituunt, includentes ſanguinem ægri ovi putamini, qvod fovendum exponitur, & carnibus demum admiſtum cani vel ſui eſurienti dant; Pharamundus Rhumelius veſicam ſuillam urinâ hydropicorum repletam in fumibulo committit, urinâ exhalatâ ſedatur tumor hydropicus, ſedato tumore veſicam in cloacam projicit vid. & Joh. Löſelius de podagra ſ. 2. membr. 2. art. 2. ſubſ. 5.

Contra Tympanitidem internè adhibenda carminativa, qvalia Eſſ. carminativa. Spiritus anti-colicus; Eſſ. Lignor. carminativa. Spiritus Salis coagulatus, qvi poteſt coagulari cum Sale abſynth. chamæmel. &c. Externè convenit Empl. d. bacc. lauri. Ung. carminativ. Mynſicht. ol. d. cumini, carui. urina pueror. cum fermento in Clyſteribus.

Nota. Qvoad indicationes in hoc affectu. Primò ſeroſitates unà cum flatibus ſenſim ſunt evacuandæ. Deindè per dicta appropriata reſidua flatuoſa materia cū fermento morbifico diſcutienda. Et tandem viſcera corroboranda ſunt.

Nota. Hydrops Leucophlegmatia ſeu Anaſarca per concoctionem, & non per evacuationem ſubigitur. Præmittere

mittere cathartica & phlebotomias omninò mortiferum. P. Poterius c. 2. curat. 20. Et in omni hydrope obſervandum eſt purgantia non debere eſſe admodum valida, & frequentius uſurpanda, teſte Laz. Riverio in praxi p. m. 201. qvia corpus debilitant juxta Galenum 9. de partibus, ut poſtea major aqvarum & flatuum proventus exoriatur. Ideò ſpecifica roborantia & aperientia Diuretica freqventius, qvàm purgantia ſunt præſcribenda. Et experientia nos docet, evacuationem in hoc morbo, quæ fit per urinas, melius ſuccedere eâ, quæ fit per alvum.

Contra Icterum ſpecifica Interna marrubiũ, qvod maximã unà aperiendi vim habet. Chelid. maj. cum radice. Abrotanum mas. anſerina. fl. hyperic. calendulæ. croci fl. & radic. fragariæ. Centaurium minus. Decoct. rad. rubiæ tinctorum. P. Poterius.

Anſerculorum ſtercus. Lapis flavus in felle bovis. pediculi. Sal volatile urinæ. Lumbric. terr. Flavi vermes inter aſſeres millepedes.

Eſſentia contra Icterum D. J. Michaëlis. Pulvis ejusd. ſpecificus ex Lapide fulminari.

Externè linteum purum in Icterici urinâ intinge & Soli expone, ut exſiccetur, hoc ſæpius facias eodem linteo.

Tinca viva umbilico impoſita, donec moriatur.

Aranea viva in teſtâ nucis de collo ſuſpenſa, & ſcrobiculo cordis impoſita, donec moriatur. Petræus in Noſolog. Harmonic. T. 2. p. 276.

Sangvine ex medianâ ægrotantis extracto, ovi gallinacei teſtâ artificiosè incluſo, & deindè ovo gallinæ per qvatuordecim dies ſuppoſito poſtmodum famelicæ exhibito Icterum, morbosq; qvosvis ex cachexiâ ortos abolere apud multos innotuit.

Contra Atrophiam Medicamenta Specifica Interna. Lac caprillum Aſininum, humanum; Aq. ſanguinis ſuilli. cochlearum teſtudinum. Oſtrearũ, de qvibus vide Zacut. Luſitanum in hiſtor. prax. ubi obſervationem adducit ſolo teſtudinum uſu qvendam fuiſſe curatum, & Dominus D. Johan. Michaëlis novit Practicum qvendam, qvi hiſce aqvis multa præſtitit. Sirupus qvoq; convenit de teſtudinibus ſeu reſumptivus. It. Electuar. reſumptivum.

Externè. Rec. gummi Tragacanth. ℥j. infunde in aq. roſar. per noct. & diem, adde pingved. galli Indici recent. ℥ij. camphor. ʒß. miſce in mortario cum Lacte muliebri & fiat Ung. dorſo applicandum.

Sin Atrophia proveniat à vitioſo ventriculi fermento, conveniunt pulv. ſtomachal. Elixir ſtomach. D. Joh. Michaël. Empl. Cratonis, & ejus ol. cum gummi Tacamahac.

Sin ab hepate, aq. ex epate vituli deſtill.

Sin à liene, ut in ſcorbuto, Anti-Scorbu-

Scorbutica miſceantur cum Medicamentis contra Atrophiam.

Sin à Venarum lactearum, Pancreatis aut omenti obſtructione radic. graminis. cuſcut., cum Medicamentis Martialibus conferunt.

Externè prodeſt Ung. reſumptiv. pingvedo humana galli Indici recens.

Sic e. g. Celſisſimus ac Illuſtrisſimus Dux quidam, 10. annorum, temperamenti calidi & ſicci *Anno 1659. d. 18. Febr.* incidebat in maciem totius corporis cum dolore hypochondrii ſiniſtri & calore in volis manuum ac pedum tempore inprimis nocturno invaleſcente. Hunc ſequentibus cum *D.D. Mœbio* p. m. curavimus.

Primò, fiebat decoctum ex *radic. graminis & petroſelini ana m. j.* In *brodii caponis* demptâ pinguedine ac ſalſedine menſuris quatuor, ad dimidiæ partis conſumptionem. De hoc ſingulis novem diebus manè circa horam ſextam, horam nonam, & à meridie horâ quartâ quatuor unciæ cum *ſcrupulo uno Magiſter. perlar. cum ſucco citri & Tinctur. aperitiv. parat. & ambrâ griſ. guttis una additis tribus vel quatuor Spir. Martis unico hauſtu abſumebantur.* Manè recommendavimus lecti decubitum usque ad octavam; Et hiſce novem diebus ſpina dorſi ſemper ante lecti introitum *cum Ung. reſumptivo & pingved. recent. liqvat. galli Indici* inungebatur.

Inſeqvente altero novendio à dictis inducias agentes horum loco *Lac humanum* ſubſtituimus, quod ſingulis diebus manè circa horam ſeptimam calidum, prout à nutrice puerulum lactante venit, pro ſpecie *emulſionis cujusdam* ſubſtituimus injuncto quatuor horarum jejunio.

Tertiò novendiô ter inſeſſus fuit adhibitus, ſingulo triduo ſemel horâ pomeridianâ *ex aqvâ fluviali cum ſemine graminis, malvæ, alth. ſalicis &c.* coctâ, brachiis, pedibus, ſcapulis, dorſo lentè frictis & deterſis; Finito hoc inſeſſu decubitus in lecto per horam unam vel alteram ſequebatur inſtitutâ poſteà Cœnâ.

Reliqvis diebus ſuprà dictum decoctum radicum aperientium cum pulvere cordiali & Spiritu Martis in uſum recipiebatur, & ſiniſtro hypochondrio *Emplaſtrum ſpleneticum ſupra alutã extenſum* imponebatur. Hiſce ita actis *ſomnus moderatus, aër temperatus, & cibus εὔπεπτος excluſo vini uſu admittebatur, intermediatâ nonnunqvum emulſione ex aq. Cichor. Endiv. cum ſemin. 4. fr. major.* præparatâ. Et ſic *Celſisſimus hic Princeps Neſtoreis dignus annis* feliciſſimè divinâ gratiâ fuit reſtitutus, ut nihil reliqui jam manſerit præter dolorẽ illum, quem in ſiniſtro hypochondrio quandoque ægrè fert, ſed *Eſſentiâ meâ Martis* tandem etiam hic penitus fuit ſublatus, pro quo DEO ſit laus, honor & gloria.

In

In Atrophiâ partis cujusdam præter picationes, de quibus vide Zacut. Luſit. in praxi Medic. admir. convenit quoq; arcanum aluminis Fœlix Wurtz. Spirit. formic. Lumbric. terr. Sp. Vini, in qvo rad. Aron. raphan. Armorac. ſemina urtic. infuſ. fuerunt. Ung. Agrippæ. Nervin. Auguſtan, pingved. human. vulpin. urſin. canin. & taxi. ol. d. juniperi. Cera item, Saponis. ol. piper. lumbric. terr. Nervinum.

A Vermiculis intercutaneis etiam Atrophiam oriri præſertim in puerili ætate non deſunt Magni Authorum, qvi hoc affirment, vocantes Eſurinos ſive commeſſores, (die Mitt-Eſſer/oder Elben) *videatur Horſtius in Epiſtol. Medicinal. de Pilari affectu puerorum & P. Borellus centur. 1. obſ. 80.* Ejusdem etiam ſunt opinionis Barbitonſores & Balneatores quidam, qui lucri causâ vulgò perſuadent infantes atrophiâ laborantes ejusmodi vermiculis ſcatere in dorſo nigra capita oſtendentibus; unde hujusmodi inſtituunt curationem: Infantes in balneum inferunt, dorſum melle inungunt, & cum panè usque fricant, dum vermes prorumpant, & capita oſtendant, & tunc ipſa deradunt novaculis, & ferè contabeſcentes infantes reſtituiſſe affirmant. Verùm, fallunt, & falluntur, ſordes ſunt, non vermes, quæ in poris cutis ſtabulantur à viſcosâ & lentâ mategiâ ob cohibitam tranſpirationem ortæ. Calor autem aperit poros, ſordesque protrudit. Tales ſordes in facie, præſertim circa naſum, ſi digitis comprimatur, prorumpere videmus. *Vid. Excell. D. Schenckius in Exerc. Anatomic. III. Lib. 1. ſ. 2. c. 3. p. 213.*

DE LIENIS AFFECTIBUS.

Contra Lienis Obſtructionem Specifica Interna ſunt herb. ſcolopendr. Cuſcuta. Ceterach. radic. 5. aper. filicis. polypod. Cortic. radic. cappar. Thamariſc. fraxini. Crocus Martis aper. Eſſ. ♂is liqvid. ſplenetic. Extract. chalyb. Mynſicht. Eſſ. ſplenis bovini. ſp. gummi Ammoniac. Arcanum Tartari ſoluti. Tinctura aperitiva mea & D. D. Mœbii. ſp. Saturni, it. cryſtalli minera. Saturni in aqvâ ſpleneticâ, vel in juſculo.

Externa ſunt empl. ſpleneticum uſitatum. meum ex reſolventibus. de cicutâ. gummi. Ammoniac. ſacchar. Saturni cum ol. d. cappar. malax.

Contra Lienis Inflammationem internè Saturnina omnium medicamentorum optima ſunt, cum inflammationes ſimul mitigent & aperiant. Externè poteſt applicari Empl. de cicutâ c. ſaccharo Saturni.

Contra Scirrhum Lienis valet internè Spiritus filicis; gummi Ammoniaci. Tartari. Decoct. ligni Thamariſci. Fraxini. Decoct. contra duritiem lienis ℞. Spiritus Saturni.

Externè conducit Ung. Fabricii

Hildani ex gummi Ammoniac. & ſucco cicutæ. Item Empl. meum magneticum ex ſulphure Antimonii & amalgamate Mercurii. ſplen bovis recens etiam calidè applicetur. Duplex ſcirrhi lienis curati ſympatheticum remedium vide in Th. Bartholini c. 3. hiſtor. 66.

In Ulceribus & Vulneribus Lienis utilis eſt Eſſ vulneraria cum ſplenetico permixta. Si *dolores* conjungãtur *laudanum opiatum in ſirupo ſplenetico convenit.*

Contra Icterum Nigrum etiam ſuprà allata *Martialia & ex Tartaro parata Medicamenta* conveniunt in *decocto marrubii, ſcolopendr. cuſcut. cortic. Tamariſc. radic. chelidon. maj. rec. cum ſucco cochleariæ.*

Externè conducit *Aq. fl. fabarum, omnium florum, radic. ſigill. Salomonis.*

Nota. Conjunctio Jovis Solis facit ad curam ſpleneticorum, & omnium Saturninorum morborum. Item, Quadratus Jovis Veneris & Trigonus Jovis Solis inſerviunt dictis morbis Saturninis, quales Quartanæ, malum hypochondriacum, tusſes inveteratæ, &c.

Contra Affectionem Hypochondriacam Specifica Interna Medicamenta Martialia & Tartarea familiam cum conſenſu unanimi ferè omnium Medicorum ducunt. *Mars Macrocoſmi metallicq* analogiâ Microcoſmi Marti reſpondens viſcerum primæ & ſecundæ coctioni deſtinatorum ſolamen egregium, auxiliatrices manus præ cæteris hic porrigit, ſanitatis cuſtos & reſtaurator nobilisſimus. *Ex cujus proſapia oriuntur Crocus Martis aperitivus cum ſalibus Excell. D. D. Michael. Saccharum Martis; Tinctura Martis rubra & aurea. It. Zwelfferi. Spiritus Martis meus & D. D. Mœbii* Hęc duplici nomine hypochondriacis proſunt; vel enim propter inſitum ipſis vitriolum habent vim præcipitandi, ut ſuprà docuimus, vel etiam privativè edomãt humores cauſticos. Dum enim hic humor acidus, & cauſticus chalybeata aggreditur, & in ſubſtantiam eorum operatur, ferociam & acrimoniam ſuam proprio veluti enſe jugulat, infringit ac retundit, ut ſic retuſus, mitigatus & evictus absq; ullâ incommoditate reſiſtendi expurgari poſtmodum queat.

In nobis ſcilicet, inqvit Tachenius in Hipp. Chymico ex Nobilisſ. Helmontio non rarò obberrat Sal qvoddam reſolutum, ex acido & alkali invicem minus concordante compoſitum & diaphareſi & tranſpirationi ineptum, illud propter ſaporum inæqvalitatem Medicamentis purgantibus non auſcultat, vel in primâ vel in ultimâ corporis regione exiſtens, cujus ſive uterus, ſive epar ſive lien &c. ſit generator, perinde eſt. Sumpto igitur Marte illicò Sal iſtud nocivum liqvidum ad ♂em præceps ruit, eiq; adhæret, ut

ret, ut illud diſſolvat, adeoq; excrementum illud ſalinum juxta ſaporis ſpeciem, dum Marti adhæret, illudq; rodit, coagulatur (Sicuti videmus, cum Sp. ⊕ioli verti in ⊕iolum cum acido vini in rubiginem; ſic qvoq; in cupro evenit, iſtud, ſi acidum rodit, fit ærugo, ſi idem cuprum rodit Spir. Vitrioli, fit Vitriolũ Veneris, qvod huc qvoq; qvadrat. Cum autem in alimentum non poteſt adſumi, ideoq; cum ♂e ſoluto ſub nigro colore foras ejicitur, qvi color oritur, cum acidus Sal ferrum rodit, ac alkali illud in colcothar præcipitat. Cum verò ♂ in acido ſtomacho grato liqvore diſſolutus potatur, abſumptis & penitus admisſis iisdem liqvoribus, ♂ mox alimoniæ ineptus ab acido ſeparatur (alkali virtute) à commiſto; In qvâ ſegregatione confluunt dicti ſales ad ♂em & illi adhærent; Sicuti videmq argento evenire in aquâ forti ſoluto, in hanc ſolutionem ſi cupri lamellæ injiciuntur, tunc ſtatim aciditas aqvæ fortis deſerit argentum & rodit cuprum, argentumq; cupro adhæret. Ita in humano corpore contingere Mechanica ratio & necesſitas dictitat, cùm Natura in omni re ſimilis exiſtat, ut loquitur Senex. Niſi enim excrementitius humor cujusdam ſemiacidæ Naturæ & ſaporis foret ferrum in corpore non diſſolveretur in viride vel nigrum liqvamen. Et niſi excrementa ita tingãtur, jam ♂ inconſideratè propinatur, non enim reperit humorem idoneum, qui illud ſolvat & tunc potius adſtringit, licet Crocus ♂is aperiens per os adſumptus fuiſſet. Hactenus Tachenius.

Ex *Tartari* familiâ uſu ſunt recepta & Experientiâ probata *Tinctura Tartari ſ. & antimoniata. Arcanum Tartari ſoluti. Terra Tartari foliata. Spiritus Tartari. Aperitivus Penotti. &c.* cujus virtus dependet à volatili parte ſilicum & Salis Tartari. *Tinctura aperitiva mea & D. Mœbii.*

Acidulæ etiam, & quæ inprimis participant multum de ♂e, hîc commendantur, *Ægranæ & Swalbachenſes* proſunt. Rectè hinc Medicum illum dixiſſe cenſeo, absque Medicamentis metallicis vix rectè curari ullum affectum. *Artificiales* tamen præferendæ Naturalibus, ſi ritè fuerint præparatæ, quia non in tantâ copiâ porriguntur, nec ventriculum adeò debilitant. *Vide de his Kyperum. Thermarum* autem uſum internum hîc prodeſſe poſſe, rationi & experientiæ repugnare videtur. *Vide infrà pag. 1109. 1110.*

Ex *Vegetabilibus* inſuper hîc etiã non parvi æſtimii ſunt *radic. Aron. præparat. pimpinell. filicis. polypodii. h. fumar. ſcolopendr. rec. centaur. min. Abſynthium, qvo ſolo nonnulli hoc affectu detenti fuêre curati. cort. radic. cappar. fraxin. Tamariſci; Hæc enim præter vim corroſivam etiam ſalium acidorum vim obtundunt.*

Nota. Reſpiciendum eſt hîc primò ad

mò ad affectum, unde ortum maximè trahat hoc malum, eòque *digeſtiva ſunt dirigenda:* ideoque ſedulò attendendum ad humorem peccantem, & viſcerum diſpoſitionem. Sic alia conducunt cruditati acidæ; alia nidoroſæ corrigendæ: alia humoribus Tartareis, crasſis, & viſcidis. Alia ventriculo debili, alia epati, & lieni laboranti. Quare alterantia, attenuantia, incidentia, & detergentia Medicamina ita in vicem miſcenda, ne uni proſpicientes alteri incommodemus. *Unde ſi affectio eſt ſtomachica, inſerviunt pulv. ſtomachal. Q. Sal ſtomachal. Mynſicht. Sal abſynth. cryſtallin. ſp. maſtich. Eſſ. menth. Sin autem Epatica eſt, valet ebur, ſ. ign. pulv. epatic. ruber. Crocus ♂is ſaccharinus. Sal epatic. Mynſicht. Tinctur. fl. bellid. Sp. ♂is &c.*

Hic exulet Spiritus ceraſorum dulcium cum Eſſ. ambræ & julebo violarum adulteratus. Calida enim hæc Medicamenta καῦμα viſcerum hypochondriacis familiare exaltantia plus nocent, quàm proſunt. Trincavellius libr. 3. conſil. 43. p. 445 dum ſalia ſylveſtria in hypochondriis deliteſcentia magis magisque acuunt, fermentant & illorũ ebullitionem promovent. Grembs. lib. 2. cap. 1. no. 8. p. 194. & Melch. Sebizius in ſpecul. Medic. Practic. part. 4. ſect. 5. cap. XI. p. 1317. Adhuc abſurdius, ſalibus volatilibus ex CC. & ſuccino ad præſervationẽ hujus mali non injuncto ſudore & in minimâ doſi propinatis velle pugnare; Rationem vide ſuprà pag. m. 400. Horum ſiniſtrè adhibitorum uſum ſin aliquando febres ardentes, phlogoſes hypochondriacis familiares, internæ inflammationes, Arthritides &c. ſint manifeſtatura ebullientibus, ſtatis temporibꝰ ſalibus ſylveſtribus in maſsâ ſanguineâ accumulatis, Nemo mirabitur. Atque hæc in malo hypochondriaco ducali perſonæ adminiſtrata fuiſſe novi.

Contra Scorbutum Medicamenta Specifica interna ſunt cochlearia, Naſturtium, ejusq; ſpecies, Beccabunga. Chelidonium minus, & majus. Cl. Sennerto in freqventi uſu fuit conſerva de fumariâ, ita ut per annum duo centenarii vix ſufficerent, uti Pharmacopœus Wittebergenſis olim D. Joh. Michaëlis retulit. Qvod autem plerunq; cum ſaccharo conficiatur, merito ſuſpecta eſt, & ejus loco ſubſtituenda *Eſſentia cum Spiritu vini parata*, niſi phlogoſis viſcerum obſtet, tunc ſufficit ejus *Extractum cũ ſ. aq. fontan. fact. absq; S. V. Beccabunga ſuprà allegata*, tanquam moderatrix eſt Medicamentorum reliquorum anti-ſcorbuticorum, temperata enim eſt, ideoquẽ alia *Anti-Scorbutica* hac herbâ corrigantur. *Raphanus ruſticanus ſeu Armoracia* mirum etiam in modum prodeſt, corrigit enim vitioſam ventriculi dige-

digeſtionem & fermentationẽ chyli promovet. Commodiſſimè uſurpantur Embammata, quæ ex radice conficiuntur, quæ quo acrior, eò etiam efficacior. Idem in taleolas inciſus unà cum *cochleariâ, anagallide aqvaticâ ſ. Beccab. in vinum injicitur & poſtea bibitur*, quod multum quoque in plurimis profuit (niſi quod ventriculi digeſtioni apud quosdam negotium faceſſat.) *Item radic. & fol. Chelidon. major. rec. m. iij. cum cochlear. m. j. inciſ. & contrit ſtent per 24. hor. in cellâ ſubterraneâ, manè exprimatur ſuccus, cujus doſis ſingulo manè ſunt cochl. iij. cum brodio vel cereviſiâ calida, per quinq; ſeptimanas hujus uſus eſt continuandus, & mira præſtat.* Convenit quoque *ſedum minimum ſeu vermicularis. Piperitis. Perſicaria ſeu hydropiper. Summitates abietis vel Pini ſylveſtris, qvæ earundem eſt virium. Vid. Pancovius in herbar. portatili. Ruta muraria* egregiam habet efficaciam in *Scorbuto* curando, *de qvâ retulit D. Joh. Michaëlis, qvod arce Pirnenſi ab hoſtibus occupatâ omnes fermè milites in ipsâ detenti ob malã diætam, aërisq; liberioris denegationem ſcorbuticum contraxerint malum, à qvo tamen omnes modò laudata herbæ uſu fuerunt curati.*

Infuſum Seri caprini, in quo *Beccabunga & cochlearia* fuerit, Medicamentum quidem eſt vulgare, ſed reverà in *Scorbuto* multum prodeſt. Incidit enim & attenuat craſſiſſimũ illum ſanguinem, *inqvit Avus meus D. Balthaſ. Brunnerq in conſil. Medic. p. m. 165.* ſicque expulſioni idoneum facit. Ipſe *Lactis* uſus etiam in *Scorbuto* non eſt rejiciendus, retulit *D. D. Joh. Michaëlis* ſe ſolo *Lactis* uſu multos *Suecos* hoc vitio frequenter laborantes curâſſe; demulcendo enim Salis ſcorbutici acrimoniam & humectando maximam vim præſtat ad hunc affectum debellandum. Optimè autem & quàm opportunè adſumitur manè jejuno ventriculo duab9 horis ante cibum; poteſt etiam inſtillari *Spiritus quidã anti-ſcorbuticus*, vel *Medicamenti anti-ſcorbutici* ſuccus infundi.

Anſerinum ſtercus etiam contra hunc affectum commendatur, id quod teſtatur hiſtoria civitatis Freibergenſis, in cujus obſidione milites ſcorbutici ab hujus ſtercoris ſucco ſummum ſenſerunt levamẽ. *D. J. M.*

Ex *Compoſitis ſunt aq. anti-ſcorbutica Dorncreil. Mynſicht. Qvercet. Sirupus Eſſentificatus cochleariæ. Elixir propr. anti-ſcorbuticum. Eſſentia Pini, in qvo ſummum latitat arcanum curandi ſcorbutum, adeò ut ſolo ejus turionum decocto multa millia hominum curata fuerint. Præſtat qvoq; multum in Paralyſi & contracturâ. Item Eſſ. Lumbricorum. ſp. eorundem. Eſſ. viperarum.*

Nota. Omnia ſaccharata Scorbuticis & hypochondriacis ſunt hoſtilia

ſtilia, ideoque ab eorum uſu abſtineamus, in ſcorias enim non ſolum abeunt affines ſalibus in ſcorbuticorum hypochondriis deliteſcentes, ſed & lieni inimica ſunt, Celſ. libr. 4. c. 9. p. 171. Nam bilem movent, fermentant humores, obſtructiones viſcerum pariunt. *D. D Mœbius* in Epitom. inſtitut. Medicar. lib. 5. part. 1. ſ. 2. c. 1. p. 529. & illorum ex uſu teſte Medicinæ Parente ἐξαίρεται καὶ μέγας γίνεται ὁ σπλὴν. Quapropter & Dorncreil. in Præfat. ſuæ Diſp. & Gregor. Horſtius libr. 7. de Morb. contag. & malign. p. 379. ea ſcorbuticis interdicunt.

Nota. Rectè illi ſtatuunt, qui *Anti-ſcorbuticorum* vim & efficaciam in Sale volatili, quo abundant, facilè avolante, ponunt. Etſi enim à ſalitis ſcorbutus inducatur, longè tamen alia Salis fixi eſt operatio, quàm volatilis, qualis eſt in antiſcorbuticis. Imo etſi concedatur Sal Scorbuticum eſſe etiam volatile quandoque, unum tamen Sal alteri eſſe adverſum, & ejus acrimoniam tollere, multa alia docent. Sic vis rodendi in Sp. Vitrioli auffertur per liquorem Salis Tartari, vel Sal abſynthii, aut aliud Sal lixivioſum è plantis paratũ. Ita etiam vim corroſivam Mercurii ſublimati tollit idem Sal Tartari. Ratio eſt, quia Salia alkalia & acida perpetuam invicem alunt hoſtilitatem, ut unum alterum abſorbeat & deſtruat. Vid. Tachenii Hipp. Chimicum. Butyrum etiam Antimonii multis volatilibus ſcatens ſalibus reſolutis corroſivis tantam acrimoniam habet, ut cutim etiam arrodat, cum Spir. tamen Nitri miſtum omnem deponit acrimoniam; atque hujus ratio conſiſtit in mutatâ partium ſalinarum acidarum texturâ.

Nota. Volatilitas Anti-Scorbuticorum neque coctionem, nec fermentationem patitur, ideoque in ſuccis potius exhibenda, ne cum ſale volatili evaneſcente etiam vis eorum pereat.

Anno 1660. Dn. Caſparus Straube. *Paſtor in Pago* Bleſien *ad Martisburgum, Vir 40. annorum*, temperamenti cholerici *d. 9. Septembr.* per trimeſtre ſpatium, & ultrà graviter *Scorbuto* decumbens usque ad deſperationem omnium Medicorum, prout ipſe & alii teſtes ſunt, me etiam in conſilium adhibuit. Summa aderat roboris vitalis, naturalis & animalis debilitas cum anxietate cordis, diſpnœâ, febre lentâ Scorbutica, ſiti ingenti, appetitu proſtrato, laſſitudine totius crurum impotentiâ, gingivarum putredine, ac dentium eroſione, Ictero nigro, doloribus vagis, maculis lividis, agrypniâ conjuncta; adeo ut nulla corporis pars eſſet, quæ non hujus mali experiretur truculentiam. Ego elapſo jamdum trimeſtri accerſitus jam planè à Medicis derelictum ſequentibus

tibus DEI benedictione in integrum reſtitui, ut jam pancraticè vivat.

Præmiſſis prius *leniter aperitivis & fermenta viſcerum confortantibus anti-ſcorbuticis ex fecul. aronis. Sal. fraxin. Magiſter. cochlear. ſucc. granator. Naſturt. aqvatic. in ſero lact. caprin. Tinctur. Bezoard. cum Spir. cochlear. in brodio calido.* Per ἐπικέρασιν poſtmodum materiam morbificam leniter evacuavi cum *pulv. gialapp. Tartar. Vitriolat. cryſtall. Tartar. Extract. panchymag. &c.* Intereà & *cordialia* frigida & humectantia *anti-ſcorbutica* ſuccenturiata ſemper aderant. Ex omnibus tamen maximè profuerunt *Tinctura mea aperitiva. Sp. aperitivus Penotti cum ſp. cochleariæ, & Extract. centaur. min. ſp. Tartari volatilis & Salia mea antifebrilia* alternatim exhibita; hiſce enim ad menſtruum ſpatium, & quod excurrebat cum *externis topicis* adhibitis ſingulariter benedixit *Divina clementia*, ut ſanitas exinde conſtans ſubſequuta ſit ægroto optimè jam valente, qui in Archeruſiâ palude hæreret.

D. Simon Reichart Judex Suburbanus ætatis 72. annorum Anno 1657. graviter ſudore diaphoretico decumbebat, ut interdiu ac noctu eo tantum non difflueret, & quicquid eſculenti vel potulenti adſumeret, illicò ſenſit per poros cutis efflari; Cauſa hujus affectus fuit humorum ſeroſorum abundantia cum *malo ſcorbutico* implicatorum, qui in totâ maſsâ ſanguineâ colligebantur ex depravatâ ac vitioſâ Organorum ſanguificationi deſtinatorum fermentatione ſalia acida ciborum in volatilia ſalſa non transmutante. Per trimeſtre ſpatium hoc malum duraverat, quo ego ad conſilium vocarer. Sed brevi divinâ favente gratiâ à me curatus fuit *ſolo ebore ſ. ign. in emulſione ex ſemin. 4. fr. major. & aq. cichor. ac bugloſſ. paratâ*; Interpoſito uſu pulveris gialapp. cum cryſtall. Tartari. Poſthabito Vini, ciborum acidorum, & aliorum ſanguinem ſcorbuticum generantium uſu. Hic Judex agens annum octuageſimum tertium ante biennium mundo valedixit.

DE RENUM AFFECTIBUS.

Contra Inflammationem Renum internè valet Lapis prunellæ cum Saturno fixatus. It. Flores Nitri Mynſicht. cum Tartaro Vitriolato. It. ſacchar. & ſp. Saturni. Tinctura roſar. violar. fl. bellid. v.

Externè convenit Ung. refriger. Gal. roſat. meſ. cum ſacchar. Saturni. ol. camphoræ. Succus cancrorum fluviatilium cum Unguentis poteſt miſceri.

Contra Calculum Renum extra Paroxyſmum valent Medicamenta *ex Terebinthinâ*, nec dabitur hâc præſtantius remedium in hoc affectu abſterſivum, & mundificativum diureticum

reticum, id quod probat hujus uſus, urina namque poſt ejus uſurpationem violaceum ſpirat odorẽ, quod etiam *ſp. Terebinth.* facit. Poteſt *Terebinth præparari in formâ boli, vel per ſe exhiberi cum vitello ovi diſſoluta in juſculo carnis, vel ita diſſoluta cum Sirup. de alth. Fernelii & aq. petroſelini offerri.* Sed cave, ne barbam hâc attingas, aliàs eandem conglutinabis. *Tinctura Roris Solis* etiam commendabilis eſt parata multiplici infuſione herbæ ſiccæ cum Sp. Vini aliquot guttulis *ſp. Salis philoſ.* acidulo. It. *Tinctura Nephr. D. D. Sultzbergeri (ex ♀ & Calce) Eſſ. ocul. ♋. Spiritus juniperi cum roob juniperino. It. Infuſum ligni Nephritic. cum aq. ononid. vel ſaxifrag. ſemen caucalis excorticatum ad ʒß. vel ʒj. in brodio calido exhibitum. Argentina in juſculo per ſe data mira præſtat. Poterius in pharmacop. Spag. lib. 1. c. 2. Piloſella item ſola exhibita non minima præſtat.* Idem l. c.

Succus Betulæ CL. Helmontii encomio commendatur; ſemen item Dauci cereviſiis incoctum odorem ſaxatilem domat & comprimit id. de Lithiaſ. c. 1. §. 19. & p. m. 697. §. 14.

Decoctum radicis cardui aſinini ℥ß. fact. cum liqviriz. ʒij. in aq. fontan. pro ſingulis doſibus q. ſ. valet etiam in hoc affectu Laz. Riverius.

Ptiſana fructus cynorrhodi ſeu roſæ ſylveſtris in furno ſiccati & pulveriſati multos à calculo liberavit. *P. Borellus cap. 3. obſerv. 22.*

Paſſer Troglodytes ex monito Charlet. p. 162. citra effuſionem ſanguinis, cui indubitatè vim hanc ſpecificam ineſſe credit, occiſus, plumisque & extis vacuus, locoque horum baccis juniperi refertus, & in decocto ligni Nephritici (vel liquore betulæ) per noctem maceratus ac leniter vaſe optimè clauſo coctus, ſicque refrigeratus cum liquore jejunè calculoſis exhibitus, & ab iis comeſtus prodeſt. Verùm hanc virtutem lithontripticam ſibi potius vendicant additamenta, quàm ipſe troglodytes.

Ovorum putamina excluſis pullis etiam ſunt proficua *vid. Th. Bartholinus c. 4. hiſtor. 23. Menſe majo ſcarabæorum ſubcæruleorum ſpeciem, qvæ in viis reperitur matutino tempore, ſtatim atq; tanguntur aqvam gummoſam quandam emittunt, tanqvam invidiâ qvâdam Naturæ. Quare charta ſubitò excipiantur & exſiccentur igne projectis pedibus, alis & capite, fiat inde pulvis & cum caryophylli modico à gr. 4. ad 7. in vino manè per tres dies propina, ſi ſit neceſſarium nec primâ aut ſecundâ vice ſufficiat. P. Borellus c. 4. obſerv. 73. Plura vide ſuprà de Diureticis.*

In *Paroxyſmo* conveniũt *ol. amygdal. dulc. rec. expreſſum cum vino Malvatico vel Rhenano; It. Tinctura mea aperitiva cum dicto oleo in brodio calido gallinæ, in qvo radic. alth.*

coctæ

cocta fuerunt. Commendatur etiam ſuccus citri cum ol. modo allegato. Crato in conſil Medic à Scholtz. editis p. m. 401. Quem ſuccum CL. Helmontius non vi ſuâ abſterſiva & inciſiva ſuæ aciditatis juvare putat de Lithiaſ. c. 7. §. 10. & 17 ſed qvia ſuccus citri prima digeſtione caloris ſuũ deponit acorem, inſtar pomi immaturi, & reſidua manet ipſi vis demulcendo ſpasmo conveniens, dum ſcilicet in lotum converſus prioris vitæ mediæ aliqvalem notam adhuc retinet. Quæ igitur hîc jam de ſucco citri adducta fuerunt, eadem etiam dicta ſunto de Sp. Salis. ph. Tinctura aperitiva & omnibus acidis ſpiritibq.

Ubi Dolor adeſt acutisſimus & vigiliæ Præſentes ad *anodyna* confugiendum, ſi ſcilicet non magn ad- ſit humorum copia, hiſce enim ſpasmus inhibetur, fibræ laxantur, & calculus eò facilius poſtmodum deſcendere poteſt.

Nota *CL. Helmontius jubet in curatione Calculi Fel confortare, qvod dicit eſſe remedium à priori, nam debilitato felle omnis generis aciditates rapiuntur in vias urinarias, qvæ ſolent dolores & furores Renum excitare, à qvibus ſuppresſio urinæ & reliqva ſymptomata pendent.*

Calculi Remedium primò ſit aptũ in urinam mutari, ut ſcilicet locum affectum tangat. Deindè, habeat in ſe poteſtatem ſolvendi repagula calculi. Tertiò, posſideat iſtud in proprietate ſpecifica. Qvartò ſit ſubtile, ut qvaqvaverſus eat. Qvintò, amicum ſit Naturæ, ne ſcilicet cuncta pervertat. CL. Helmontius p. m. 560. De Lithiaſi.

Extra applicanda ſunt Renibus & pubi Ung. dialth. ol. amygd. d. nucl. perſic. expreſſ. lil. alb. Scorpion. ſ. amygdal. amar. Ung. Nephrit. Mynſicht. Axungia cuniculi cum ſucco malvæ cocta. Empl. diachylon cum ol. Scorpion. qvibus inungendi lumbi manè & veſperi.

In ſummo dolore Renum ol. ſem. hyoſciami expreſſum egregium Medicamentum eſt. Item, Ung. anodynum Mynſicht.

In urinæ obſtructione à calculo vel craſſis humoribus meatus urinarios obſtruentibus decoctum ſtraminis carui in cereviſia ſecundina convenit, immiſſa mentulâ totâ cum ſcroto in vas ſubjectum.

Paroxyſmum Calculi ſæpius obſervavi tum in aliis, tum potisſimũ in *Catharina* Eichlerinn *Ducali Miniſtrâ à Camera* cum dolore hypochondriorum ſummo, ut & dorſi, interdum etiam lipothymiâ, vomitu, appetitu dejecto, obſtructione urinæ, retractione umbilici, urinis in principio claris. Feliciter autem DEO benedicente rem expedivi ſequenti modo.

Interius dedi per vices Tincturã meam aperitivam, Arcanum tartari ſoluti, Sal meum anodynum. item

Item purgans ex cryſtall. Tartar. Sal. ononid. cum gialapp. cryſtall. Martis. ol. d. fœnicul.

Exterius Fomentationes cum aneth. chamæmel. ſemin. lini. Inunctione umbilici cum Sp Terebinth. adhibitis hiſce Medicamentis urinæ ſubſequutæ ſunt ſabuloſæ rubræ cũ ſedimento rubro copioſo, unde dolores ceſſarunt ſanitasque adfuit exoptatisſima. Hanc crebrioribus vicibus ab hoc inſultâ liberavi donec ſexageſimum ſeptimum ad annum perveniens, hectica febre ſupervenienre Ao. 1665. fatis cesſit.

Chirurgus Jenenſis Petrus Bezoldus laborans Podagrâ ad decem dies incidit ſimul in obſtructionem urinæ cum dolore hypochondrii dextri ſævisſimo, alvi obſtructione, duritie manifeſtâ & tumore. Exhibita fuit *Tinctura aperitiva in juſculo, & potu mixta aqva petroſelini aliquoties in die.* Præſcriptus etiam *Clyſter emolliens, & topicum externum de chamæmel. melilot. lut. ſemin. lini in lacte.* Umbilico & Renibus *ol. Terebinthin.* inunctum, & paulatim rediit urina cum calculo & ſabulo. Die ſecundo ſumſit *ol. amygd. dulc. ℥ij cum Tinctur. aperitiv. gutt. 20.* in juſculo, quod quater ſubduxit alvum, expulit calculos & ſabulum; tulitque levamen notabile.

Anno 1648. circa Feſtum Nativitatis Chriſti uxor Reſtiarii Jenenſis incidit in dolorem gravativum lateris ſiniſtri ſub coſtis nothis ſubſequente vomitu ſanguinis copioſisſimo, quotiescunque incurvabatur, redibat adeò, ut virium imbecillitas non levis exinde ſequeretur. Judicavit *D. D. Mœbius p. m.* calculum grandiorem latitare in ſiniſtro hypochondrio & ex ejus motu ſanguinem extravaſari in tantâ copiâ, fundi in Ventriculum & demum Vomitu rejici.

Calculum pellentia non audebat præſcribere, ne vaſa recluſa magis aperirentur, & ex majore ſanguinis vomitu de vitâ periclitaretur. Dabat itaque *CC. calcinatum in brodio carnis non ſalito ad tres dies. Exterius locum dolentem fovere jubebat fol. Malvæ fl. chamæmel ſemin lini coctis.* Et ſic ceſſabat vomitus ſanguinis, lapis movebatur ad dorſum & demum ad veſicam, hærebat in collo veſicæ excitans imanisſimos dolores. Ibi dabat ſuum *Sal anodynum in decocto Malvæ. Circa lumbos & pudenda fol. Malvæ. ſemin. lini in lacte cocta apponenda ſæpius calidè mandabat, pudendis interius cum ol. lil. alb. inunctis. Et ſic intra ſex horas lapis inſtar fabæ magnus excludebatur & ægrota DEI beneficio reſtituebatur.*

Similem fermè caſum *ego Anno 1659* obſervavi in *D Michaële Methio* hujus loci bibliopolâ, à quo etiam prævii vomitione ingentis nigri cruoris copiæ calculus ad for-

mam nuclei dactylorum ſummo cum dolore excretus fuit, quem *Excell. D. Rolfinckio* aliquot ante annos transmiſi.

Nota. Cave ne in urinâ cruentâ ex calculo renum temerario ſtatim auſu adſtringentia, & cruorem ſiſtentia propines, ut pronuper novellus quidam Practicus hîc loci fecit, dum cuidam miniſtræ in aulâ quâdam Ducali Nephritide laboranti cum urinâ cruentâ Medicamentum propinavit, quo illicò cruor ſtetit, unde ſtatim nauſea, vomitus, apepſia, cachexiâ, atrophia & demum hectica, mortis conciliabula ſuborta. Ante ejus obitum per extremum Naturæ conatum ipſa, quaſi jamdum agonizans per easdē vias ſanguinis excretionem tentavit, quâ ipsâ anima unà mundo & corpori valedixit.

Contra Ulcera & Vulnera Renum faciunt Terebinthina vel per ſe, vel in compoſ. ocul. ♋. fl. hyperic. Decoct. agrimoniæ. Eſſ. traumatica. Aq. heder. terr. cum Sir. de ſymphyt. Fernel.

Externè prodeſt ol. hyperic. Item. momordic.

DE VESICÆ AFFECTIBUS.

Contra Calculum Veſicæ valet pulvis millepedum deſcriptus ab Hartmanno in not. ad baſil. chim. Crollii p. 433. Si ejus ʒj. cum ℥vj. decocti cicerum rubr. manè jejuno ſtomacho ſingulis vel alternis diebus offeratur. Horatius Augenius illos etiam in Epiſtolis mirum in modum commendat. Præparationem eam, quæ cum ſp. Salis compoſ. peragitur, præ aliis commendat D. D. Joh. Michaëlis.

Sanguis hirci commendatur ab Helmontio & aliis Recentioribus. Ajunt in hoc ſanguine qvemvis lapidem ſolvi poſſe. Hircus autem ut per aliqvot dies herbis Lithontripticis nutriatur, omninò neceſſum eſt. Poteſt inde deſtillari Aqva, vel exſiccatus per ſe exhiberi.

Lepus Martio menſe combuſtus à nonnullis hîc qvoq; multum prodeſſe dicitur. Et inprimis oſsiculum, qvod in poplite poſteriore eſt, talus leporis vulgò dictum, Fernelius commendat de abdit. rerum cauſ. l. 1. c. 4.

Pulverem Scorpionum etiam qvidam commendant; & putat D. D. Joh. Michaelis omninò tutò gr. ij. vel iij. ſi nimirum cum ſp. Salis corrigantur, exhiberi poſſe; eos etiam in peſte tutò internè exhibere poſſumus.

Sal fimi columbini cum Sale prunellæ etiam miræ eſt efficaciæ. It. Sp. Tereb. cum Tincturâ aperitivâ.

Si ſuſpicio adeſt, patientem laborare Calculo veſicæ, ſublatis pedibus ponatur in dorſum, & ceream candelam ol. lil. alb. inunctam membro genitali immitte, atq; ita calculum à veſicæ cervice removere convenit. Balnea etiam in hoc caſu multùm præſtant.

In Veſicæ Inflammatione primas

partes

partes ſibi vendicant Saturnina. Ol. Saturni deſtill. ſacchar. Saturni. Ung. roſ. Meſuæ, refriger. Gal. ol. Nymph. roſar. cum camphor.

In Veſicæ Scabie conducit emulſio facta cum Aq. fumariæ, fragor, ex ſem. 4. frigid. ſemin. violar. Sirup. violarum fragor. de alth. Fernel.

In Veſicæ Ulcere recenti à cantharidibus inducto Lac copioſè eſt exhibendum, in quo radices ſymphyti coctæ fuerint. In inveterato autē conſolidantia conveniunt, ut decoctum agrimon. Eſſ. fl. hyper. Travmatica &c.

Sin autem ab urinâ acriore, valet decoctum alterans. Epaticum rubrum Tinctur. roſar. viol.

Sin ab humoribus acribus & ſalſis, proſunt Sir. de Nymph. aq. Nymph. Lactuc. Endiv. melonum, quæ egregia eſt aqva.

Contra Veſicæ fiſtulas inſerviunt præter Travmatica ſuprà dicta decoct. Qvercetani ad ulcera veſicæ. Externè convenit Ung. Comitiſſ. cum ol. hyperic. Mundificantia ſunt Terebinth. & Caſſia.

Contra Meatus Urinarii anguſtiam à grumo ſanguinis valet Eſſ. cherefol. travmatic. fl. hyperic. ocul. ♋. Tinctur. fl. bellid. v. Si à pituitâ craſsâ & viſcidâ ſp. gummi Ammoniaci. ſp. Salis compoſ. pilul. de ammoniac. maximam incidendi vim habent.

Sin à conſtipatione per carunculā prodeſt internè Eſſ. Lignorum. Tinctura corallor. cum ſp. Lignorum. Infuſum ligni Saſſafr. Externè decoctum calcis vivæ. & Sal calcis Zwelfferi.

Sin à pene & collo veſicæ intumeſcentibus ex beccabungâ cum fl. chamæmel. & lact. fiat Cataplaſma & imponatur locis affectis.

Contra Urinæ Incontinentiam ſpecifica interna ſunt guttur galli toſtum & exſiccatū, ut in pulverem teri poſſit, ſub noctem cum vino adſtringente rubello exhibitum. Veſica capræ in clibano exſiccata & pulveriſ. ad ℥j. pondere exhibita. Stomachus gallinarum, cineres erinacei combuſti. Magis prodeſt medulla lapidum. D. D. Joh. Michaelis retulit quidam Medicus, ſe per viginti annos hoc affectu laboràſſe & ſolo hoc Medicamento demum curatum fuiſſe. Piſcis in ventre Lucii piſcis inventus commendatur ab Hartmanno. Pudendum Suis cum braſsicâ capitatâ acidâ & muriâ conditâ inſcio laborante calidè exhibitum, arcanum eſt; poteſt etiam inde fieri farcimen, multoties eſt à D. D. Joh. Michaelis probatum. Externè valet ſacculus collo appenſus, in qvo eſt pulvis bufonis vivi in nova olla uſti. Heinricus ab Heer l. 1. obſ. 14.

Contra Diabeten internè valet Eſſ. ♂is adſtr. Tinct. ♀ris ⊖ioli. crocus Martis adſtr. ſpec. diaplantagin Mynſicht. Externè convenit Ung. Comitiſſ. cum Croco Martis adſtr. & ol. maſtich. ſ. q.

Contra Iſchuriam ſpecifica interna ſunt infuſum calcatrippæ in vino. de-

coctum Rhamni in vino. Tinctura fl. hyoſcyami. Emulſio ex ſem. violar. & nucl. perſicor. cum aq. radic. urticæ vel raphani. Liqvor Nephriticus. Magiſter. nephritic. Vinum Malvaticum juniperinum. Ol. amygd. dulc. cum Tinctur. aperitiv. meâ in decoct. rad. ononid. Eſſ. Lumbric. terr. vel Lumbrici pulveriſ. & cum vino mulſo bibiti. Teſta item ovorum valdè prodeſt It. ejus Magiſter. vel liquor cum ſp. ſalis paratus. It. Magiſter. ovorum ſtruthionis. It. Liqvor ejusd. ſp. Urinæ. cerebrum picæ exſiccatum & cum vino albo exhibitum.

Externè convenit Cataplaſma ex parietar. cum ol. Scorpionum. vel amygdal. amar. item fomentum ex ſtramine carni coctum in cereviſiâ ſecundariâ. It. Renes inungantur ol. Scorpion. Matthiol. & poſtmodum placenta ex cepis minutim inciſis, ovis qvibusdam agitatis & pingvedine porci confecta imponatur.

Contra Stranguriam Specifica Interna ſunt liqvor betulæ, de qvo vide CL. Helmont. de Lithiaſi cap. 8. §. 24. Oculi Cancri in tract. à ſede animæ ad morb. §. 25.

Nota. Ex doctrinâ Helmontii de Lithiaſi cap. 4. §. 19. Senum ſtranguria fit, qvoties fermentum bilis juſto debilius eſt, & non poteſt acidũ ſtomachi chylum in ſalem ſalſum commutare, quocirca ex acidi tantillo relicto perſeverat ſenum ſtranguria etiam non dato calculo. Sic cereviſiæ novellæ pluribus concitant ſtranguriam propter reſiduum & inhærentem recentioris fermenti acorem. Unde & ſalia lixivioſa hîc plurimum valent, qvalia Sal ſtipitum fabarum in decoct. cicer. rubeorum. qvæ omnes aciditates combibunt. Item in ſpiritu ſalis teſte CL. Helmontio etiam ſummũ latitat arcanum. Vinum item, in qvo ſilices aliqvot fuerunt extincti. Infuſum fl. cyani. & calcatrippæ in ſero lactis.

Externè prodeſt axungia hirci umbilico inuncta. It. ol. maſtich. deſtill. guttis aliqvot umbilico inſtillatum. It. Balneum aq. dulcis ex fol. Nymph. ſalicis. fl. viol. roſar. malv. &c.

Contra Dyſuriam, ſi à cantharidibus oriatur, valdè prodeſt Lac copioſè ſumptum cum radic. ſymphyti. trochiſ. alkekengi & terr. ſigillat. Si verò ab urinæ acrimoniâ, conveniunt emulſ. ex ſem. 4 fr. maj. papav. alb. cum aq. alkekengi, & Sirup. de alth. Fernel. vel mucilag. ſemin. alth. cydon. malv. cum aq. puleg., & Sir. de papav. ſ. Externè prodeſt Ung. roſ. meſ. refriger. Gal. cum mucilag. ſemin. cydon. pſyllii.

Nota. Interdum in *Dyſuriâ* per urinarios meatus materia alba & lactea in tantâ copiâ emittitur, ut dimidiam matulæ partem, ubi ſubſedit, occupet. Cauſa eſt, tum debilitas ventriculi, qui chylum non benè elaborat, tum renum debilitas; cum enim venas lacteas quasdam

renes

renes etiam teſte avtopſiâ recipiant, ut dubio procul chylus aquoſior ſtatim ad renes abire poſſit, hinc ubi renes debiles chylus tenuis nec à ſcoriis ſalſis tartareis optimè liberatus per has lacteas allatus ſimul cum urinâ tranſit in veſicam. Unde in fœminis pleriſque & aliis temperaturis frigidioribus ſemper tale albicans ſedimentum in urinâ deprehenditur. *Convenit hîc pulvis ſtomachal. Qvercet. cui admiſcetur interior tunica ventriculi gallinæ. Item. Uſus vini Hippocratici vel Malvatici. Externè proſunt linimenta & Emplaſtra ſtomachica.*

Contra Cruentam Mixtionem ſpecifica interna ſunt Iva Arthetica in potu decocta per aliqvot dies exhibita. P. Poterius libr. 1. cap. 2. Spagyr. Pharmacop. Eſſ. agrimoniæ. Item millefolii. cum lacte ovillo vel caprillo. Decoctum Mynſichti. Spec. diaplantag. Mynſ. Eſſ. vulnerar. hyperic. cum tinctur. Martis adſtring. Aqva plantagin. burſ. paſtor. agrimon. cum Sirup. Corall. ſymphyt. Fernel.

Externè Ung. Comitiſſ. cum Croco ♂is adſtring. & ol. myrtillor. applica renibus; vel fiat fotus ex fol. qvercus, rad. biſtort. tormentill. coct. in aq. ferrariorum renibus impoſitus.

Obſervationes mixtionis cruentæ vid. in Heinric. ab Heer libr. 1. obſ. 1. p. 20. Laz. River. c. 2. obſ. 13. Th. Barthol. c. 4. hiſtor. 45. Salmuth. c. 2. obſ. 70. Foreſt. lib. 24. obſ. 5.

In Purulentâ Urinæ excretione valent trochiſci Gordonii, quos deſcribit de Paſſionib. renum particul. 6. cap. 10. & Pharmacop. Auguſtana.

DE PARTIUM GENITALIUM In Viris Affectibus

De Morbis Teſtium.

Contra Teſtium Inflammationem internè proſunt Aq. & Sirup. Nymph. It. de Portulacâ. Spiritus Saturni. & Cryſtalli mineræ Saturni.

Contra Teſtium Tumorem flatulentum Externè prodeſt Cataplasma ex fl. chamæmel. herb. paridis. farinâ fabarum. Stercore caprillo. coct. in aq. chamæmel. & aceto. Item ex partibus duabus farin. fabar. & parte unâ ſeminis cymini.

Contra Teſtium Scirrhum præſcribendum empl. de cicutâ cum gummi Ammoniaco malax. c. ol. deſtill. chamæmel.

Contra Impotentiam Veneream Medicamenta ſpecifica interna. Si à læsâ ſeminis generatione, ſunt Eſſ. ſatyrionis apud Croll. Confect. magnanimitatis. El. diaſatyr. rad. eryngii condit. Lapathi major. condit. ſpiritus ſanguinis galli. Vel criſta galli, ex qvâ varia Edulia vel farcimina parari poſſunt; inprimis teſticulis additis. Morſuli viriles Mynſicht. Rotulæ ſtimulantes ejusd. Confect. de ſuccollada ejusd. item Eſſ. ambræ juxtà Cl. Zwelfferum parata. Tinctura ſolis cum ol. Cinamomi. Caro ſtyncorum

rum marin. Lingva avis rec. Confect. alkermes c. Moſch. & ambrâ. Oleum ex pineis & piſtac. expreſſum cum ſpiritu vini Malvatici. Teſticuli galli etiam commendantur, ex quibus farcimina parari poſſunt. Secretum Pappenheimii fuit paſſerum in coitu transfoſſorum cerebrum & ſanguis, ex qvibus morſuli fiunt. Sperma cervorum in coitu transfoſſorum ſummum eſt arcanum ad proritandã Venerem, It. ex horum teſticulis ſangvine adhuc turgeſcentium optima fiunt Medicamenta in hoc affectu. De Boleto cervino Excell. D. D. Johann. Michaël. mihi retulit qvandam hiſtoriam de inſigni Mœcho Lipſienſi, qvi ab uſu hujus juſto tempore ac loco collect. ſexageſimam ultra vicem coivit & tantam ſeminis excrevit copiã, ut Proſtibuli vulva ad hoc recipiendum non ſatis capax fuerit, ſed reſiduum in pelvi excipere coactum fuerit.

Externè oleo formicarum ad Venerem minus proni illiniri poſſunt; vel ol. de caſtoreo.

Si qvis ad coitum torpeſcat, caudam cervinam urat, & conterat, vinoq; levigatâ pudendum atq; teſticulos unge. Th. Bartholinus c. 6. h. 50.

Si pollex pedis dextri ungatur ex oleo, in qvo cantharides ſint diſſolutæ, mirabilem facit erectionem virgæ. P. Bayrus in Practic. l. 16. c. 1.

Si impotentia Venerea ex Veneficio fuerit, CL. Hartmannus in praxi Chymiatricâ commendat hauſtum aqvæ frigidæ ex ore maſculi Eqvini (von einem ungeſchnittenen Hengſte) *in præterfluente potantis, elapſæ & ſubito vaſculo collectæ. It. Liqvor Betulæ cereviſiæ commiſſus etiam non vulgaris eſt efficaciæ. Vid. CL. Helmontius de Lithiaſi cap. 8. Externè abluatur membrum decocto aqvilegiæ; Carrichterus hujusmodi incantationes curavit mingendo per ſcopas betulæ. vid. lib. 2. c. 12. & Heinric. ab Heer obſ. 8. Ex dente demortui maris adhibeatur ſuffumigium. Et meminit D. Joh. Michael. magnum aliqvem Medicum ſolo hoc dente talem craſſe impotentiam. Conſul. Pedemontanus in memorabilibus & Keslerus in Experim. Ex ſtercore humano notum eſt evporiſton. Accipe h. Ricini injice in ollam novam & ſuperfunde Urin. patientis, coque benè coopertâ & perlutatâ ollâ lento ign. poſtmodum ſepelias in loco invio. Veneficæ ut plurimum poſt coctionem ſangvinem cum maximo dolore mingent, vel intenſiſſimos dolores percipient, usq; dum ægrum à maleficio liberaverint. Ex communic. amici mſſ. Morbi ab incantatione qvomodo cognoſci poſſint, vid. Th. Bartholin. Centur. 5. hiſtor. 35. P. Borellus c. 1. obſ. 29. & 30. mihi, inqvit, pro ſecreto revelatum fuit, mulieres concepturas, licet ſteriles exiſtimentur, ſi, anteqvam virum accedant, placentulam mentaſtri vulvæ imponant, coronæ inſtar effigiatam, idq; ſub fine*

men-

menſtruarum purgationum fieri debet.

Contra Salacitatem valet Eſſentia Caſtitatis. Vel Aq. Caſtitatis Mynſicht. vel Riverii. Oleum rutæ deſtillatum guttulis aliqvot intrò ſumptum & etiam inunctum abſumit ſemen & ſimul pellit flatus. Quæ etiam in Priapiſmo & Satyriaſi conducunt. Uſus Salis Nitri in aquâ Nymph. manè & veſperi mira præſtat in ſalacitate nimiâ B. Timæus à Güldenklee libr. 3. de morb. infim. ventris.

Contra Gonorrhœam ſpecifica interna ſunt Terebinthina Cypr. in pilulas redacta. It. urtica mortua ſeu galeopſis fl. albo in vino decocta. Magiſterium oſſis ſepiæ. Folia menthæ exſiccatæ. Semen agni caſti. Conſerva fructus bruſci à ℥ij. ad ℥ß. per aliquot dies exhibita. Laz. Riverius in comm. p. m. 368. Antimonium diaphor. ritè præparatum. Bezoardicum Martiale Veneris in Spiritu Terebinth. ſolvatur camphor. & ſacchar. Saturni.

Nota. Hujus immediata cauſa efficiens eſt vaſorum ſemen ejaculantium facultas expultrix irritata, forti coitus imaginatione adjuta. Materialis verò cauſa immediata eſt materia quædam ſeminalis, aut ſi mavis ſeminiformis copiâ acrimoniâ interdum & fermentatione turgens. Copioſa eſt, acris & turgens ratione materiæ cujusdam à partibus ſuperioribus per nervos ad vaſa ſpermatica ſenſim repens, quæ cum propter conſuetum & diuturnum affluxum debilitentur, materia hæc perfici nequit. *Heinric. ab Heer lib. 1. obſerv. X.*

Externè ſpinæ dorſi & Lumbis inungatur Ung. refriger. Gal. & Empl. ex Saturno renibus applicetur.

In Gonorrhœâ Virulentâ valet Eſſ. Lignorum. Caſtitatis. Spiritus Lignor. Cinnabaris nativa rubic. It. Bezoardic. Martial. Veneris cum Terebinth. Cypr. f. pilulæ.

Nota. Si adeſt unà exulceratio, injectiones fieri poſſunt vel ex lacte, in qvo coquenda ſpecifica ut ſemin. cydon. qvod habet vim conſolidandi, ſem. alth. & acetoſæ, quæ habent vim adſtringendi & conſolidandi. Vel poteſt coqvi radix ſymphyti in lacte.

DE PARTIUM GENITALIUM in Fœminis Affectibus.

Contra Uteri Inflationem, valet nux Moſchata tuſa, & cum radicibus matricariæ in diplomate decocta ex vino. Eſſentia item Zedoariæ. Vel Cortic. aurantior. It. matricar. ſummit. Pulegii vel ejus Eſſentia. ſemen. cymini. pulv. baccar. lauri. Coſtus Arabicus. Caſſia caryophyllata. Aq. vitæ mulierum. ſpec. diacymin. Hipp. lib. 1. de mulieribus oviculæ vel capræ jecur cineribus contectum, deindè coctum in cibum ſumendum, & vinum vetus meracius exhibendum præcipit.

Externè fiat ſuffitus cum nuce Moſchatâ juxta Hartmannum in praxi Chy-

Chymiatr. p. m. 279. item imponatur Empl. de bacc. lauri cum Theriacâ.

Contra Inflammationē Uteri conveniunt decoct. ſerpilli cum aquâ chalybeatâ paratum & extrinſecus cum ſpongiis applicatum. It. in principio Cerotum ſantalinum lumbis & lateribus apponendum eſt. Internè prodeſt Bezoardicum Joviale. Tinctura fl. violarum. bellid. rubr. Borrag. Magiſter. matris perlar. &c.

Contra Scirrhum Uteri internè proſunt Martialia, & quæ in Scirrho lienis uſurpantur.

Contra Menſium Suppresſionem Medicamenta ſpecifica interna ſunt decoct. cicer. rubr. cum radic petroſel. flos & herba calendulæ. ſangvis menſtruus, inqvit Riverius in obſerv. comm. 30 mulierculariarum benevalentium odorem florum calendulæ ſpirat. Hinc conjicio ſimilitudine quâdam ſubſtantiæ calendulam movere menſes. Arcanum eſt conſerv. borraginis in vino albo diſſoluta. Marrubii albi ſummitates in vino albo infuſæ per noctem triduo epotæ mirè ad menſtrua provocanda, ſtomachum roborandum & cachexiam ac fœdos virginum colores arcendos appetitumqve reſtituendum valent. P. Borellus c. 4. obſ. 14 decoctum ſalviæ ebibitum aut appoſitum menſes evocat, ipſa autem ſuffita ſiſtit. Roder. à Caſtro de morb. mulier. lib. 1. cap. 5. p. m. 47. Decoctum radicis aſari mirandæ etiā eſt virtutis in hoc affectu, licet crudū aſarum vomitorium ſit, tam in decoctione recedit, & mutatur in deoppilativum, teſte Cl. Helmontio in Pharmacop. & Diſpenſ. modern. §. 46. It. Sal Cinamomi cum Spir. Cinamomi. Sal meliſſ. Sal roriſm. cum ſp. roriſm. It. ol. d. ſuccini Sal volatil. ejus.

Notæ. Menſes inſtantes in nonnullis virginibus ob vaſorum anguſtiam reſtagnantes multum faceſſunt negotii fermento cum primæ tum ſecundæ coctionis, ut exinde faciei decoloratio cæteraque ſymptomata febrim albam virginum repræſentantia oriantur, inprimis ſi fortis influxus Aſtralis menſes impediens hiſce acceſſerit, dicta ſymptomata non ſolùm ingraveſcunt, verum etiam difficilis ſuboritur curatio. Intereà ab initio planè exulent vehementer expellentia, materiam morbificam tantùm agitantia, non autem promoventia, verùm ſint moderatè moventia, & ſimul primæ & ſecundinæ coctionis fermentationē juvantia, ex quorum cenſu eſt *Extractum centaur. min. juniperi. arthemiſ. ſpec. dialaur. Mynſicht. Extractum ſplenis bovini Elixir propr. P. Uterinum Crollii, ſi loco ſp. vini ſpir. meliſſ. ſalviæ ſurrogetur admiſtá ſub fine Sal arthemiſ. ſ. q. Hæc enim moderatè movent menſes, roborant coctiones viſcerum, reſiſtunt putredini, & lumbricis, ſi qui adſint, ſunt adverſa.*

Deindè, in menſium ſuppresſione non

non ſemper opus eſt prævîâ *univerſali purgatione* aut *per Saphenam V. S. ſed tota curationis ratio conſiſtit in obſtructis meatibus, coagulatum Tartarum diſſolvendo aperiendis, qvo liberius ſpiritus ad propria munia obeunda per totum corp9 vagari poſſint. Spiritus enim veluti radius ſolaris totum corpus permeans mediante ſanguinis motu ipſum regit, nec in ſuâ deſinit operatione, qvoad intercipiatur per objectum ei reſiſtens, microcoſmi Aër Hermeticis dicitur. P. Poterius c. 1. Curat. 6.*

In Fine aperientia, incidentia & attenuantia conveniunt, *qvalia radic. graminis. cichor. fœnicul. cum arthemiſ. Calendul. ſabin. caſſ. lign. Cinamom. &c. Borrax. Crocus Martis aperitiv. uterinus. Extract. ♂is. Eſſ. ♂is Zwelfferi. Vinum Malvaticum ♂le Mynſicht. Utilis etiam eſt mixtura Lazar. Riverii, quam habet in praxi p. m. 279. Spiritus ſalis Ammoniaci ſalſus mira etiam præſtat.*

Nota. Menſibus prodeuntibus ab acidulis & aliis acidis ſexus fœmineus abſtineat, aliàs ſequetur Cephaléa, febris, delirium. Ante eruptionem autem tutò iisdem uti licet. Heinric. ab Heer lib. 1. obſ. 1. p. m. 16. 17.

Nota. *Specifica Medicamenta* commodisſimè aliquot antè conſuetum fluxum diebus propinari conſueverunt poſt balnea & fomenta, quibus Uteri vaſa calefiunt & laxantur. *Deindè* à ſumptis hiſce Medicamentis utile eſt pedes in decoctum plantarum convenientium immergere, & deinde inambulare. Ipſa mulier ſedat in *fomentis umbilicotenus, & coctas herbas ſacculo incluſas ventri imponat. A fomentis vicinæ uteri partes oleis. Ung. foveri poſſunt, ut Ung. Martiato, pingved. colubrin. cum ol. deſtill. Sabinæ. lavendul. laur. lil. alb.*

Externè induatur induſium recenti menſtruo alterius adhucdum conſpurcatum, qvod teſte experientiâ probatisſimum eſt; fermentum enim ſanguinis mumiale interius uteri fermentum per ſymbolum excitat.

In Caſibus deſperatis accipe ſcoriarum reguli antimonii uncias qvatuor, coq. in ſ. q. lixivii ex cineribus artemiſ. præparati ad extractionem, poſtmodum recipe colaturæ ſex drachmas vini Malvatici uncias duas, & miſce, de quâ mixturâ cochl. ij. ſuperfunde ferro vel ſilicibus ignitis, & vapor excipiatur. Petræus in Noſolog. Harmonic. T. 2. p. m. 377. & CL. D. Joh. Michaëlis.

Scrupulus unus groſſo modo pulveriſatus radic. Ellebor. nigri nodulo incluſus indatur vulvæ, ſed diu non retinendus, aliàs fiet exulceratio.

Effluvia Spiritus Salis Ammoniaci ſalſi per inſtrumentum Glauberianum utero communicata uterinas obſtructiones melius reſolvunt. in Furn. Phil. p. 2. cap. 88.

Nota. *Peſſaria & Clyſteres uterini*

nuptis, & viro utentibus tantùm conveniunt. Virginibus verò naſcalia, fomenta, inſeſſus & ſuffumigia ſufficiunt.

Contra Nimium Menſium Fluxum ſpecifica interna ſunt ſemen hyoſcyami alb. cum Sirup. roſar. ſed non nimis diu, neq; in nimiâ qvantitate debet exhiberi, aliàs ſtuporem inducit.

Ad menſium fluxum immodicum nihil utilius eſt ſucco urticæ ad ℥v. aut 6 circà horam ſextam veſpertinam hauſtus, & extrà parti hypogaſtricæ cum farinâ tritici ſubactus admotus: circa mediam noctem utrumq; reiterandum eſt. Lazar. River. in obſerv. comm. p.m. 338.

Radix nymph. alb. in vino decocta & pota, vel aqva plantagin. cum vin. rubr. ana cochl. iij. vitell. ovi unius miſce, ſume ſingulis diebus manè ter aut quater.

Pulv. Diamartis Mynſicht. Diaplantag. ejusd. Crocus ♂is adſtr. Tinctura ♂is adſtring. ſulphur. vitriol. Lapid. hæmatit.

Sperniola Crollii. Uſnea Cranii hum.

Pulv. Ranarum exſiccatus & ad ʒj. exhibitus in juſculo mirificè confert influxionibus ſiſtendis uterinis. P. Poterius in pharm. Spag. libr. 2.

Aq. burſ. paſtor. urtic. plantagin. tormentill. cum Sirup. de Corall. de ſymphyt. Fernel.

Spiritus Vitrioli rectific. cum aq. plantaginis. ſanguis draconis cum Sale prunellæ in aq. plantag. River. cap. 1. obſerv. 94.

In menſium Fluxu immodico cum principio hydropis valet conſerva abſynthii Pontici cum croco ♂is adſtring. & ſpicæ Nardi aliquot granis.

Externè Burſam Paſtoris cum anagallide appende collo. Ex foliis quercus decoct. in aq. fontan. fiat inſeſſus. It. Ex croco ♂is adſtrict. pulv. rad. biſtort. fiat peſſus cum roob acaciæ.

Qvando poſt partum ſangvis nimium effluit, applica aq. ſpermat. ranar. acet. roſar. cum Sperniol. Croll. & cum ſpongiâ imbibe.

Quæ cautelæ in curatione hujus affectus ſint obſervandæ, vid. Roderic. à Caſtro de morb. mulier. libr. 1. c. 5.

In Fluore Albo Uterino ſpecifica interna ſunt fl. roſ. alb. melilot. alb. in vino infuſi. It. Lign. lentiſci. viſcq q. radic. ſymphyt. biſtort. tormentill. Caſſ. lign. pulveriſ. in vino calido ſumptæ It. corall. alb. præparat. CC. uſt. & præparat. ſuccin. alb. præparat. cryſtall. præparat. oſtiocoll mater perlar. alumen plumoſ. &c. Cutis aſelli ſicci ſiccata & pulveriſata.

Externè inungatur Ung. Comitiſſæ roſ. alb. It. cum fol. quercus herb. melilot. alb. fol. ſcarleia, roſ. alb. rad. biſtort. filipendul. coct. in aq. fontan. fiat inſeſſus. Aut cum Olibano maſtich. Ladano. gummi juniperi fiat ſuffumigium.

In Morbo Virgineo ſeu Febre Albâ Virginum valet pulv. cachect. Q. &

omnia

omnia ♃*ialia cum Ebor. ſ. ign. fecul. bryon. aron. ſpec. diarrhod. A. &c.*

Contra Suffocationem Uterinam ſpecifica interna ſunt in paroxyſmo caſtorei pulveriſ. ℈j. *in vino vel cereviſ. Bardana major ſuper caput poſita elevat matricem, ſub plantâ deprimit. Liqvor cynogloſſ. qvorundã arcanum eſt. Stercus gallinæ in vino albo diſſolutum, & cum aliqvo cardiaco mixtum multas juvit. Aluminis momentum in aq. meliſſæ. Juli juglandis in pulvere exſiccati & contuſi ad* ℈ij. *cum gutt. aliqvot ol. ſuccini in aq. meliſſ. commendantur à Thomâ Moufetto Anglo. Aliàs ſuccini Eſſentiæ gutt.* v. *vel* vj. *epotæ, ut & ſi eâ inungatur umbilicus mira præſtat. P. Borellus c. 2. obſ. 66.*

Priapus cervi vel tauri juſto æſtus tempore exſectus, eſt ſingulare in hoc affectu remedium, in ipſo inſultu cultri apex in aq. appropriatâ ſi propinetur. Th. Bartholinus c. 6. hiſtor. 50. Aqva hyſteria P. Poterii in Pharm. Spagyr. tradita ex opio ſummæ eſt efficaciæ, neque id ſine ratione ex conſilio Hippocratis, qvi etiam ſuccum papaveris ſomniferi præſcribit in ſuffocatione uterinâ lib. 2. de Morb. mulier. ſect. 5. p. 237. circa finem in Foëſ. verſ. vid. River. in obſ. comm. obſerv. 10. part. 1.

In ſuffocatione uterinâ cum atrociſſimis doloribus vid. P. Poterius c. 2. curat. 15.

In communi uſu ſunt aq. hirundin. cum caſtor. meliſſ. matricar. cum fecul. bryon. hyſteric. Mynſicht. Tinctura uterina ſpecific. ejuſd. Elixir. uterin. Croll. vel Zwelffer. Magiſter. Jovis. ſpec. diajovis. Mynſicht. Bezoardic. Jovial. Magiſterium caſtorei.

Externè recipe rutæ. Arthemiſ. matricar. tanaceti. lavendul. ment. meliſſ. ana ſiccentur ad umbram, & tandem craſſiuſculè conterantur, ex illis ſic pulveratis ſacculi parentur, qui umbilico & naribus mulierum ſuffocatione matricis laborantium admoveantur, aliisq; partibus doloribus cœcis cruciatis. Ex iisdem cum ol. olivarum fit etiam ſolâ ebullitione oleũ optimum ad eadem, ſi eo tempora, naſus, cor & ſtomachi regio inungatur, in pertinacibus etiam doloribus aliqvot ejus guttæ deglutiendæ ſunt, miroſq; ad uteri ſuffocationes, ejuſq; tormina ac reliqvos dolores producet effectus. P. Borellus c. 2. obſ. 66.

Ex ſolo galbano fiat Emplaſtrum, & umbilico admoveatur. It. cum aq. hirundin. c. caſtor. nares, tempora & pulſus illinantur. It. ol. ſuccini. vel ol. Tartar. fœtid. It. Ex pulv. callor. eqvin. cornuum. ungul. vel pennar. perdic. fiat ſuffumigium. It. Empl. uterin. Auguſt. malax. cum ol. caſtor. extend. ſuper alut. & imponatur umbilico. It. Balſam. uterin. Mynſicht. inungatur. vel peſſi uterini Mynſicht. applicentur.

Nota. Sciendum tamen fœtida tàm internè quàm externè adhibita non ſemper conducere, dum graviora

inde ſymptomata excitantur, in iis videlicet, quibus caput ac nervoſum genus ob crebros paroxyſmos debilio eſt, quare ad odorata Moſchum ſcilicet & ambram ſæpius confugere cum aliis roborantibus cephalicis cogimur Vid. Gr. Horſt. l 5. de morb. mulier. obſ. 26.

Extra paroxyſmum valet Elixir uterinum D. D. Joh Michael. ad 15. guttas in aliqvo vehiculo ſumptum. Ad curationem verò ad 30. 40 vel 50. gutt. qvò ſolo modò laudatus nonnullas mulierculas & liberavit, & poſteà præſervavit.

In Furore Uterino valent aq. Caſtitatis It. Eſſ caſtitat. ſem. cannab. cum aq. Nymph. redigatur. in emulſionem.

Externè ol. Nymph. vel rut. deſtill. inungantur renes & partes genitales. It. Empl. de cicutâ q. ſ. malax. ol. Nymph. induct. ſuper alut. in formâ Empl. uterini.

Contra Sterilitatem mulierum valet ſolus Mercurialis ſuccus in juſculis ſumptus, ſi ex nimiâ uteri ſemen non retinentis humiditate oriatur. Heinricus ab Heer lib. 1. obſ. 14. Item radic. Eryngii condit. Decoct. ſpecific. adjuvandam conceptionem. ℞ cum Sirup. corallor. conſerv. fl. anthos. cum nuc. Ind. condit. & ejusd. ſir. conſerv. nuc. Indic. It. pulv. vulvæ cervinæ. Externè placentula mentaſtri vulvæ imponatur coronæ inſtar effigiata ſub fine menſtruarum purgationum. P. Borellus c. 1. obſ. 29. & 30.

In Molâ exterminandâ non datur præſtantius pulvere ſecundinarum exſiccatarum cum aq. gentianæ vel arthemiſ. compoſ. mixtâ cum aq. cinamom. Externè fiat ſuffitus ex ſabinâ, ſemine anethi. cumini. &c. Et poteſt etiam adhiberi ſuprà adductum ex ſcoriis.

Nota. Si Medicus ex Artis ſignis videat adeſſe molam, tunc in tempore ea expellenda, quo enim major, eò majus adeſt periculum. Molæ præſentis ſigna diagnoſtica vid. in Laz. River. c. 2. obſ. 100.

Nota. Quadratus Jovis Veneris Morbis uterinis inſervit curandis. Item conjunctio Solis Veneris, & Trigonus Jovis Veneris.

DE SYMPTOMATIBUS GRAvidarum, qvæ primis menſibus accidunt.

Contra ſpaſmum internè valet ungula alcis præparata. ſpecific. cephalic. D. D. Joh. Michael. Externè prodeſt aqua articularis. Spir. lumbric. terr. Ung. ſpaſmatic. Mynſicht.

In Schiatico Dolore conveniunt, qvæ in Arthritide ſeqventur. Externè prodeſt Balſamus Podagricus CL. Hartmanni.

In Cibi Faſtidio convenit Spiritus ♂is. It. ſp. maſtich. Elixir ſtomachal. Externè ol. ſtomachale.

In Picâ proſunt Medicamenta ex corticib. aurantior. & citri omnia.

In Nauſeâ & Vomitu dari poteſt Spir.

Spir. maſtich. it. vitrioli rectific. Sir. de agreſtâ. Externè conducit Empl. ſtomachal. Crat. c. Tacamahacâ. It. de cruſtâ panis.

Tormina & Dolores Ventris ſemen fœniculi ſacchare obductum valdè pellit.

Alvi Fluxus compeſcit ſp. maſtich. Corall. v. præparat. & illorum Tinctura genuina.

In dolore Dentium valdè prodeſt ol. Camphor. & ol. origani cretici.

IN MEDIIS GESTATIONIS Menſibus.

Tusſim tollunt *caricæ pingves. Dactyli. It. Paſſulæ minores cum rhab. infuſ. paratæ.*

In Lumborum & Coxendicū dolore convenit Spiritus juniperi, vel aq. vitæ Dresd. Saxonica inuncta.

In omnibus Hæmorrhagiis internè valet ſuccus urticæ; Laz. River. in obſ. communic. It. Sir. Corall. c. aq. burſ. paſtor. vel portulac. Petiam ſanguine imbutam ſub cineribus calidis poſitam hæmorrhagias ſiſtere ſcribit Panarolus in faſcicul. arcan.

Nota. Prægnantem menſtruatam vide in Th. Bartholin. c. 3. hiſtor. 13.

IN ULTIMIS MENSIBUS.

Abortum ſpecificâ vi præcavent Magiſter. Corallor. v. *cum ſucco citri. ebur. ſ. ign. cum aq. plantagin. verben. de Eboris utilitate vid. Zacutus Luſitanus de M. Ph. libr. 1. h. 24.*

Si à nimio frigore oriatur, prodeſt Aq. vitæ mulierum. Si à ſubitaneo terrore, aq. ceraſ. nigr. fl. til. Epileptic. Lang. pulv. Marchion. ſmaragd. præparat. oſſ. de corde cervi.

Externè Lapis Aetites brachio ſiniſtro alligetur. It. Teſticuli Muſtelæ Ungulæ urſinæ in collo geſtatæ. It. Vermiculi, qui ſub radice graminis maj. evulſis colore ſubrubicundo reperiuntur, ſyndone illigati, & in collo geſtati. Adamas in digitô. Lapis lazuli & jaſpis. Sardonius Lapis Ventri alligatus. Lepus marinꝰ mas Sale induratus in brachialibus incluſus ac geſtatus.

In Partûs Difficultate internè valet pulvis ex teſtibus eqvi cum croco, & borrace in aq. lil. alb. Heinricus ab Heer lib. 1. obſ. 14. Horat. Augenius lib. 7. conſult. & Epiſtol. Medic. Roder. à Fonſeca T. 2. conſil. 81.

Jecur cum felle anguillæ ſiccatum, & pulveriſ. in vino potum ad magnitudinem avellanæ. It. Fel cum jecore Serpentum exſiccatum ad ℈j. in aqvâ Cinamomi.

Lapid. ſpecular. ʒj. cum vino albo mirabiliter juvat.

Item, ſtercus Leonis fœminæ poſt partum collectum, & exſiccatum ad ℈j. in aq. cinamomi mira præſtat.

It. Eſſ. Succini ad guttas ſex in vino propinatæ P. Borellus c. 3. obſ. 52.

It. Specificum ex ſecundinis multa præſtat. It. Spiritus fuliginis. rectific.

Externè pudendorum locis clauſis peſſus ex Zibetho Benzoino applicandus.

Axungia ſerpentum umbilico inungatur, ſed poſt partum ſtatim eſt abluenda, aliàs ſanguinem violentur expellit.

Oculi Leporis in Martio capti cum pipere exſiccati, qvorum unus vertici cum pipere ita alligetur, ut vertex à pupillâ tangatur, tum fœtum, ſive mortuum, ſive vivum educet, qvo facto mox amoveatur, ne uterum planè propellat.

Lapis Aetites muſculis pedis dextræ anterioribus applicetur, dum partus editus fuerit, removeatur, Ne ipſa matricem foras elidat, cujusmodi experimentum habet Fr. Valleriol. lib. 1. obſ. 10.

Ad Fœtum mortuum expellendum valet ſabina. It. Borrax. Spirit. Sal. Ammoniac. ſalſ. ſtercor. Leonis.

Ad Secundinarum tardum egreſſum intrò ſumatur pulvis ſecundinæ à ℈ß. ad ℈j. Spir. ſecundinæ ad 40. guttas.

Si remanet ſecundina, prodeſt Elixir proprietatis, qvotidiè ſumptum. It. Elixir Peſtilentiale cum Sp. Theriacal. paratum. Externè fiat inunctio oleo cheirino.

In Virium Imbecillitate parturientium prodeſt Aq. cordis cervi. cinamomi borraginati. cum aqva meliſſ. Tinctura corall. cum ſp. cordis cervi. Magiſterium cordiale. liqvor perlarum Corallorum. Oſſa de corde cervi ſ. ign. præparata.

In Doloribus poſt partum proſunt Aq. chamæmel. R. & ejusdem Eſſentia. It. Eſſ. cortic. aurantior. Zedoar. &c. Externè fiat inunctio cum ol. chamæmel. aneth. cheiri cum guttulis aliquot ol. d. chamæmel. vel poteſt applicari ſacculus roremarino refertus, cum vino calido humectat9, in primis ortis hiſce doloribus à lochiis retentis.

In Nimio Lochiorum Fluxu prodeſt Aq. tenell. CC. burſ. paſtor. Sirup. corall. de ſymphyt. Tinctur. ſulphur. vitriol. Externè Aq. ſpermat. ranar. cum aceto poteſt pubi applicari.

In Purgatione Lochiorum imminutâ valet Elixir. propr. P. decoctum cicerum; Sal meum aperitivum. Eſſ. Martis Zwelfferi. Externè decoctum roriſm. in vino pubi admoveatur.

Contra Arthritidem ſpecifica interna ſunt h. Betonicæ. Fabric. Hildanus. chamædris. Veſalius in Epiſt. de radice chinæ. It. decoctum ebuli. Laz. Riverius in praxi p. m. 23. Decoctum Chinæ. viſci. 9. Ivæ arthreticæ. granorum acanthalidis. Liqviriz. coriandr. ad qvindecim dies ſumptum valdè utile eſt. P. Poterius c. 1. c. 92. Eſſ. arthetica D. D. Joh. Michaël. Lignorũ ejusd. Anodyna ejusd. Arcanum Tartari ſoluti. Tinctura ♀ri antimoniati. Oſſa humana cum pulvere anodyno.

Externè ſummum præſtat levamen liqvor radicis vitis nigræ, dum adhuc viret, raſæ & in vaſe vitreo aliqvando digeſtæ. It. Liqvor thapſi barbati per inhumationem factus. Aq. in Martio ex radicibus arboris nucum juglandium extracta. Decoctum urticæ

ticæ radic. & herb. in lixivio impoſitum.

Radix ſigilli Beatæ Mariæ probè contuſa, & admota genuum tumoribꝰ & doloribus mirè confert. P. Borellus c. 2. obſ. 10.

Aq. articularis cum ſp. lumbric. & Sale ammoniac. Spiritus podagricus Hartmanni. Empl. artheticum Mynſicht. cum ol. camphor. malaxat.

Flud Anglus Podagram cujusdam in cane familiari, quo cum dormiebat, fertur transplantaſſe, quâ deinde torquebatur canis certis periodis, quemadmodum anteà Dominus.

Certum enim eſt, inqvit P. Borellus c. 3. obſ. 28. animalia infirmiora & teneriora mala citius ſuſcipere, morboſq; in illis transplantari, qvare pueri cum ſenibus dormientes halitu ſuo maciem contrahunt. Sic & Podagra mirè levatur, ſi catelli cum podagrico recumbant, morbũ enim contrahunt, adeò, ut vix incedere posſint, æger verò levamen ſuſcipit. Cum etiam ignoratur malum internum, cujusdã, quæve pars in eo laboret, cumq; feneſtrâ careamus, ut momus olim optabat, quâ posſimus partem affectam inſpicere, illud in alieno ac ignobiliori corpore percipere valemus. Capiendi ſunt catuli, & cum per qvindecim dies cum ægro decubuerint, & ciborum ejus reliqvias, & ſputa deglutierint, morbum ſimilem contrahent & tunc, ſi aperiantur, pars eadem, quæ in ægro affecta, reperietur, & ſic cognito morbo remedia admoveri legitima poterunt. Hæc Borellus. Vid. & Th. Barthol. cent. 3. obſ. 66. & cap. 6. obſerv. 53.

Jo. Loſelius de Podagrâ ſect. 2. membr. 2. Art. 2. ſubſ. 5. transplantatoriam curam Podagræ incipientis ita deſcribit; Ægro pilos in utroqve crure novaculâ demunt, & inſimul ungues manuum pedumq; ſtato tempore, vere ſcilicet, arboribus de integro ſuccum recipientibus, & qvidem propridiè ante novilunium, reſecant, poſt terebrâ in populo albâ, vel qvercu vireſcente foramine facto, ad medulloſam usq; arboris partem, unguium ſegmina & pilorum filamenta in locum excavatum nullo ſegeſtri adhibito, transportant, foramine ligneolo ex arboris cujusdam ramulo fabricato, accuratè & profundè clauſo. Ligneoli propendens particula proximè arborem ſecuri amputatur, & admoto fimo vaccino ſaucia ligni pars propediem optimè deligatur. Qvod ſi trimeſtri ſpatio malum Podagricum haud recurrat, arborem magneticâ virtute efficacisſimam arguit. Exemplum etiam habet Salmuth c. 3. obſ. 34. intenſisſimi doloris brachii per transplantationẽ ſublati. Corall. r. cum foliis qvercus contuſos, partiq; affectæ ad ſuppurationẽ usq; impoſitos in foramen in radice qvercus verſus orientem ſpectantis manè terebrâ factum immittebant, & cuneo ex eâdem arbore obturabant.

Dolor inde ceſſavit, & cum refoderetur amuletum, exemplò cruciatus ſæviores recurrebant.

Nota. Trigonus Jovis Veneris levamen affert Arthriticis.

Contra Arthritidem Vagam Scorbuticam Specifica Interna ſunt Lumbrici Terreſtres, ex qvibus paratur Spiritus & Eſſentia vel ſimplex, vel compoſit. Pulvis muſtelæ piſcis ſeu Gobii fluviatilis. Item Magiſterium ex ſpinis viperinis. Talpæ cinis in vino, vel cereviſiâ exhibitus. Oſſa ſturionis Foreſtus lib. 20. obſ. 12. in Epiſtol. D. D. de Brahe. Aſelli ſeu millepedes exſiccati & in pulverem redacti; Non deſunt, qvi etiam ex his Sal præparare volunt, æqvivalens cum eo, quod è viperis fit. Cantarelli ſeu Scarabæi ſubcærulei Majales, vulgò die Meyen-Würmer/ *præter Wierum in Epiſtol. ſecundum Smetium etiam commendantur à P. Borello c. 4. obſ. 73. Verùm Augerio. Clutio de Hemorrobio cap. 4. horum uſus ob qvandam deleteriam qvalitatem, qualis & in Cantharidibꝰ, ſuſpectus eſt, citante D. Valent. Andr. Möllenbroccio in tr. de Varis p. 135. Attamen videtur, nimiam potius illorum doſin noxiam eſſe, qvàm ipſam ſubſtantiam, ex Borelli præſcripto, ſi trahantur eâ doſi, qvâ ſignificavit, in uſum, neminem fore arbitror, qvem læſuri ſint. Decoctum glycypicri ſeu Dulcamaræ Weſtphali ob vim ſuam diaphoreticam maximè etiam recommendant. Eſſ. chamædr. cum Spiritu cochleariæ extracta multum præſtat. It. Elixir. arthriticum D. D. Joh. Michaëlis cum Spir. anti-ſcorbutico mixtum. Elixir. propr. c. ſp. cochl. Spiritus aperitiv. Penotti c. ſp. cochl. ſp. Tartari. It. Eſſentia Pini &c.*

Externè valet ſpecificè Spiritus lumbricorum ſ. & c. cum herbis arthriticis. It. Balſamus Dorſalis D. Obeimii cum camphor. Lenticula aqvatica cum fl. chamæmel. in lacte cocta & parum farinæ hordei in formâ cataplasmatis ſedat dolorem mirificè. Foreſtus.

Item ex abſynthio virid. rutâ virid. extrahatur ſuccus, cui adjungi debet ſp. Lumbric. qvo partes dolentes calidè fovendæ.

Item, fiat Ung. ex Sapone Venet. Spiritu Lumbric. camphorâ & croco ſ. q.

Item, Butyrum Majale recens inungatur linteo mundo & imponatur partibus dolentibus Sevum hircinum calidum inunctum lenit etiam acrimoniam humoris ſcorbutici.

Item fl. Lavendul. anthos, ſolviæ & pulv. baccar. lauri ana ſ. q. infund. in ſp. vini & ol. olivarum ſ. q. deſtill. in Sole & inungantur eo partes dolentes.

DE FEBRIBUS.

Febrium diſtinctionem cauſa fermenti febrilis, quæ ex diverſis elevatur ſubjectis, parit. *In Intermittentibꝰ* enim cauſa occaſionalis in primis hæret viis, ventriculo ſcilicet, inteſtinis

nis & reſiquis adjacentibus partibus. *Ardentium* propriè *ſic dictarũ* continet, ipſa ſanguinis maſſa, quæ vel aliunde corrupta, maligna & venenata eſt, vel inteſtinum gerit bellum. *Continuarum periodicarum ſubjectũ inhæſionis ſeu minera* vel eſt in Meſenterio, pancreate, vel in aliis organis ſanguinis elaborationi, & defæcationi deſtinatis.

In harum autem omnium ablatione potisſima cura dirigenda eſt, ut in reliquis etiam affectibus fieri conſuevit, ad magis *urgens* nimirum ad *ebullitionem ſanguinis*, quæ paroxyſmum febrilem gignit, ſedandam & impediendam. Id quod tamen immediatè nec V. S. nec purgantibus, hoc eſt, virium diminutionibus peragetur, ſed *ſpecificis antifebrilibus materiam febrilẽ præcipitantibus. diaphoreticis unà, & diureticis.* Cui indicationi inſerviunt in *Febribus intermittentibus ſimplici & duplici Tertiana* quędã, quę vel fundendo & exagitando ſanguinẽ fermentũ febrile præcipitant, & ſic paroxyſmum febrilem impediunt, ex quorum cenſu ſunt *Sal CC. vel viperarum fixum. Sal abſinthii. Spiritus Salis Ammoniaci, ſal antifebrile rubrum, album & flavum D. D. Mœbii. Tinctura Bezoardica D. D. Joh Michaëlis. Lazarus Riverius ante paroxyſmum Tertianæ intermittentis ſeqvens offert; Rec. Aq. cichor. ℥iij. ſalis abſynth. ʒß. ſp. ſulphuris ℈j. inſeqvente ſudore per horam c. 1. obſ. 20. 26. Ego ſeqvens ante paroxyſmũ propinatum maximè proficuum expertus Rec. Salis mei antifebrilis ℈ß. Bezoardic. Martial. gr. xij. oſſ. ſepiæ ℈j. M. pro unâ doſi in aqva card. b. horâ unâ, & circiter ante paroxyſmum. In duplici Tertianâ Poterius exhibet ſalis centaur. min. ʒß. cum ſp. vitriol. gutt. v. in aq. appropriata. Præ reliqvis Martialia in hiſce Febrib9 utramq; adimplent paginam.*

Qvædam alexipyreta in dictis Febribus ſanguinem figendo & conſtringendo accesſionem febrilem compeſcunt, *qvalia ſuccus plantaginis, pulv. radic. Tormentill. CC. uſt. & præparatum, alumen &c. in aceto exhibitum.*

Non deſunt etiam, qui ad minuendum, vel inhibendum paroxyſmũ *Opiata* exhibent, non ſolùm in intermittentibus febribus, ſed etiam in malignis, ſi magna adſit ſymptomatum vehementia in morbi principio, vel augmento illa alexipharmacis mixta ad aliquot grana propinant, eò quod illorum virtute narcoticâ & congelante ferventes fuligines cordi infeſtisſimæ figantur quaſi, & materia febrilis maligna compeſcatur, ut Natura à malignis humoribus, & ſpiritibus non laceſſita recollectis viribus alexiteriorũ virtutem facilius ſibi applicet. *Cui ſententiæ ſubſcribit Zacut. Luſit. de M. Pr. 61. lib. 1. Laz. River. in tr. de febre peſtil. p. m. 136. P. Poterius c. 2.*

Cur. 49. Qvi in Febre ardenti cum vehementiſſimo ardore ventriculi ſeqventem Cardiacum potum Narcoticum die octavo præſcripſit. Rec. ſpec. diamargarit. fr. ℥j. Sirup. d. papav. n. ℥j. Aq. acetoſ. ℥vj. ſucci citri ℥ß. m. pro unâ doſi, qvæ finitâ actione repetenda. Iisdem diebus, inqvit Poterius, alios febri ſimili cum iisdem ſymptomatibus ejusdem potionis cardiacæ vi & beneficio feliciter ſanavimus. Qvo argumento Medicos quosdam timidos opiatorum uſus & facultatis ingnaros monere volo, ne futili ſuo ratiocinio pellecti, ejusmodi Medicamentorum uſum reformident.

Verùm, quemadmodum nullum præſidium temerè eſt aggrediendũ, ſed circumſpectè omnia tractanda, ne in ſuſpicionem audacis, vel imperiti Medici incurramus, ita & in *Opiatorum* adminiſtratione eandem obſervemus cautelam. In *Febribus* quidem *intermittentibus*, ſi major materiæ febrilis pars jamdum quodammodò conſumpta, & obſtructiones fuerint ſublatæ, exantlatis aliquot paroxyſmis, non facilè *Opiata* & *alia inde parata remedia*, ritè præparata in minori doſi cum ſpecificis antifebrilibus aperientibus & incidentibus permixta horâ unâ & circiter antè paroxyſmum exhibita nocere poſſunt, *teſte Riverio de Febribus p. m. 84.* Aſt in *ardentibus Febribus* longè alia eſt ratio, in quibus fermentum febrilè malignum & venenatum ex corpore elibrationẽ, & Spiritus vitalis ſeu Archéus ſub illius tyrannide gemens eventilationem flagitat, non autem fixationem aut quampiam congelationem unde & ab ejusmodi *Opiatis Narcoticis* Febris non ſolùm non curatur, verùm etiam gravius quandoque magno ægrotorum damno & periculo malum accerſitur, dum nihil aliud agunt, quàm ut facultatem expultricem ligent, obſtructiones pertinaces creent, materiam febrilem in corpore retineant, eamque ad expulſionem magis contumacem reddant, ut hæc poſtmodum collectis viribus vel gravius exurgat, vel ipſa etiam ſtamina aut fila vitæ abrumpat. Anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo, & quod excurrit, Phyſicus quidam Hallenſis Ordinarius, p. m. cum Cauſone ſeu Febri Ardente continuâ cũ vigiliis continuis ſomno non interrupto per octiduum laboraret, pro magis urgente ſibi viſo ſymptomate vigiliis ſcilicet corrigendis & minuendis Laudani Opiati grana aliquot circa horam veſpertinam, refragrante licet altero Medico, qui tum temporis curæ adjungebatur, adſumſit. Sed ecce quô eventu? fixatâ inde magis materiâ febrili, ſuffocatis Spiritibus & ſufflaminatâ facultate expultrice, criſis fuit impedita & pro Naturali ſibi æternam acceleravit criſin. *P. Poterii* allata quod concernit, ſciendum

dum eſt, *primò* hunc affectum fuiſſe febrim ſymptomaticam ab inflammatione ventriculi dependentem; *Deindè* Sirupum de papavere enim in comparatione cum aliis Narcoticis ſatis mite eſſe remedium.

Ex *Alterâ Parte* ſunt etiam, qui ſtatuunt *Febrium Intermittentium paroxyſmos ab initio non ſtatim eſſe profligendos, ſed illarum acceſſionem ad tempus qvoddam eſſe permittendam.* Hinc Febris incœpta ſi intra modicum tempus finitur vulgò dicitur Medicina potius, quàm Morbus; nam hâc ratione ſanguinis impuritates deflagrant, viſcerum obſtructiones expediuntur & reverà totum corpus ventilatur, ita ut à materiâ quâvis excrementitiâ & naſcentium morborũ ſeminario prorſus liberetur. Verùm, hoc ex parte concedimus, ſi ſcilicet intra modicum tempus finitur, ſi verò diu protrahitur, plurium ægritudinum & diuturnæ invaletudinis cauſa exſiſtit. Hinc enim ſanguinis maſsâ Spiritu vitali plurimùm ſpoliatur, & inſtar vini nimis fermentati vappeſcit, interim partes ſalinę & terreſtres nimis exaltantur, quare Ictericia, ſcorbutus, hydrops, aut cachexiæ aliæ hanc febrẽ ſerò curatam ſæpè excipiunt. Quemadmodum enim domus ab extrinſeco quodam incendio invaſa, facilius à combuſtionis periculo liberatur, quàm ſi jam interiora receptacula depaſcat Vulcanus luculentus. Sic quoque facilius eſt Febres à corporibus humanis à principio arcere, quàm poſtquam Febres jam interiorem viſcerum œconomiam invaſerint. Et ex fermentatione depurativâ humorum, ſi modum excedat, facilè etiam corruptiva fieri poteſt.

Legitimas Tertianas ſeptem circuitibus ad ſummum judicari *Hipp. 4. aph. 69.* tradidit. Non deſunt tamen ſpecifica, quæ unâ vel alterâ doſi hunc Morbum radicaliter tollunt. Ex horum cenſu creberrimo uſu & Experientiâ probata ſunt *Tinctura Bezoard. D.D. Michaël. tũ acida, tum ſalſa. Salia item anti-febrilia D.D. Mœbii p. m.* Et inprimis *ejus emeto-diaphoreticum minerale:* quod interdum primò purgat ἄνω, interdum ſimul κάτω, ſemper autem ſudorem copioſiſſimum movet. Non rarò haſce operationes ſimul ordine & quidem cum εὐφορίᾳ exercet. Notandum tamen, quod, ubi plethora adeſt, ſimul ſit *Phlebotomia* adminiſtranda. Ubi *cacochymia* fortis, ſimul alio purgante Naturæ ſuccurrendum.

De multis aliis curationibus ſaltem quasdam lubet ſubjicere.

Anno 1660. Studioſus qvidam correptus Tertianâ cum inſigni cacochymiâ totius. Huic dedi primo die tribus horis ante cœnam *Salis mei febrilis albi ℥ß. in brodio carnis; ſecundo die manè emeto-diaphoretici mei ℈j. in cerevisiâ calidâ cum butyro. Ter-*

ro. Tertiô pulv. purgantem vegetabil. in ſero caprino. *Qvartô die iterum Sal antifebrile. Qvintô emeto-diaphoreticum* & ita *DEI beneficio* fuit curatꝰ ſine omni recidivæ metu.

Katharina Eichlerinn *Ducalis miniſtra* per plures ſeptimanas ab aliis *prius Tertianâ benè macerata* poſt varia remedia fruſtrà adſumpta, tandem unicâ ſaltem *doſi tincturæ Bezoardicæ D. D. Michaëlis* imminente paroxyſmo exhibitâ *DEI* beneficio fuit reſtituta.

Anno 1655. Calendis Maij cum divinâ gratiâ in integrum reſtitui mulierẽ Plethoricã *Tertianâ intermittente ſcorbuticâ cum Eſſere complicatâ* laborantem. Hujus ſigna erant ab initio aliqualis rigor cum intenſo calore alternis diebus invadens cum urinis craſſis, modo albis, modo rubris turbidis, craſſum & rubrum ſedimentum, quod farinam laterum referebat, ad matulæ fundum deponentibus. Extra acceſſionem hanc febrilem fuerunt lixivioſæ claræ. Pulſus in paroxyſmo debilis erat, imo interdum planè nullus, ut repere magis, quàm pulſare videretur. In Morbi augmento obliteratus planè fuit rigor, & ſucceſſit Lipothymia & anguſtia cordis graviſſima cum maculis iis ſimilibus, quæ vibicibus aut urticarum punctione eliciuntur, confertim eruptis in facie, dorſo, ac toto corpore cum inſigni pruritu, & quod erat admiratione dignum, evaneſcentibus illis maculis & lipothymia & anguſtia deſiit, erumpentibus autem iterùm illis & hæ exacerbabantur, forſan propter impetuoſam humorum ſcorbuticorum ebullitionem. Extra paroxyſmum ſumma virium animalium & vitalium aderat debilitas. Paroxyſmum ſemper præceſſit ventriculi ſubverſio, nauſea & vomitus. Sequentibus autem remediis ſummâ cum divinâ benedictione facta fuit reſtitutio.

A Morbi initio ſecundâ die, quâ accerſitus, extra acceſſionem præmiſſo Enemate abſterſivo Medianæ ſectionem in dextro brachio adminiſtrandam imperari. Elapſo trihorio *Magiſter. perlarum in aq. cordial. Saxon. & fumariæ fuit oblatum.* Et Potui ordinario *Tinctura ſpecifica confortans* fuit inſtillata. *Ante paroxyſmum Tinctura Bezoardic. D. D. Michaëlis cum ſp. Cochelar. miſtâ doſis unica ad ſudorem promovendi in brodio tepido fuit propinata. Seqventibus à paroxyſmo liberis diebus confortantia cum antiſcorbuticis fuêre continuata; Et ſemper imminente acceſſione febrili Tincturæ Bezoardicæ dictæ uſus fuit intermediatus.* Hiſce aliquot diebus adminiſtratis ad ventilandum ſanguinem *Venæſectio Medianæ* in ſiniſtro brachio fuit adjuncta ſummo cum ſanitatis emolumento ſanguine profluenſe âdmodum livido & colore variegato. Imminen-

minentem ſequenti die paroxyſmũ ſequens polychreſton *ſcorbuticæ hujus febris cum Eſſere in ſimplicem poſtmodum Tertianam mutavit*, à quâ tamen ita affecta mulier, etiam brevi cum *DEO* dictis antifebrilibus ſalibus liberata fuit.

Rec. Extract. centaur. minor. ſ. ſp. V. parat. ℈ß. ♁nii. *diaphor.* ℈j. *Salis antifebril. gr. xij. Aq. Centaur. minor.* ℥j. *fumar.* ℥ij. *M. f. uno hauſtu.*

Sublato in totum paroxyſmo *purgantia ad cacochymiam ſcorbuticam* directa curæ finem impoſuerunt.

Alia *Mulier honeſta* ſexaginta aliquot annorum vidua *Anno 1661. d. 1. Decembr.* incidit etiam in *febrem ſcorbuticam intermittentem Tertianam cum Ictero* complicatam. Cauſa externa promovens fuerat intempeſtivus aëris frigidi occurſus, proxima ebullitio ſanguinis dependens à fermento febrili ſcorbutico, cujus minera Meſenterium ac Uterꝰ, in quo Tartarei ſcorbutici ac feculenti crudi delituêre humores. Annus tunc agebatur, ex quo eandem febrem hæc paſſa fuit Matrona, adeo ut non minimum portenderet periculi. I. Ratione ætatis. II. Ratione ipſius affectus ac ſymptomatum. III. Ratione ipſius ægrotæ impatientis, Verùm feliciſſimè ſequentibus curata fuit cum DEO.

Primò extra paroxyſmum manè & pomeridiè Tincturam Bezoardicam D. D. Michaëlis ad gutt. 40. in ſex cochl. brodii calidi cum aliqvot guttis ſp. cochleariæ propinavi, manè ſemper injuncto ſudore, pomeridiè autem minus.

Potui ordinario inſtillabatur *Tinctura mea aperitiva* & cottidiè bibenda pro lubitu dabatur.

Horâ unâ vel circiter ante paroxyſmum *Salis antifebrilis mei ſcrupulum unum dedi* in cereviſiâ calidâ ſudore ad horulæ ſpatium admiſſo. Poſt abſterſum ſudorem elapſâ horâ porrigebatur *Magiſter. perlar.* ℈j. *cum Tincturâ confortante anti-ſcorbuticâ in brodio gallinæ.*

Sublato paroxyſmo febrili leniter *purgans* ſuccenturiatu aderat; & demum ad fermenta viſcerum confortanda & Icterum abigendum ſingulis matutinis & pomeridianis horis *Extract. Centaur. min. ſine S. V. paratum cum aq. fragor. & Tincturâ aperitivâ obtuli.* Et ſic DEI gratiâ brevi curatio fuit abſoluta.

Anno elapſo 1665. d. 23. Aprilis Generoſiſſimus Comes noſter von *Conzien Tertianâ intermittente cum Ictero* afficiebatur, quem ante tertiam acceſſionem cum Deo feliciter reſtitui ſolo *emeto-diaphoretico* ac intermediatâ extra paroxyſmum *Tincturâ Bezoardicâ cum Extract. centaur. minor.* Ad præcavendam recidivam leniter purgans ſequebatur. Et ſic DEI gratiâ curatio brevi fuit abſoluta.

Eodem Anno d.12. Maij D. Johannis Matthesii Ducalis Cameræ Saxonicæ Miniſtri inſultum Febris Tertianæ unicâ *emeto-diaphoretici* doſi ſingulari DEI beneficio abegi.

Febris Tartarea rara mentio fit apud *Doctores*; reperitur tamen inprimis in hypochondriacis ex Tartaro hypochondriorum laborantibus: & typum *Qvotidianæ continuæ* adſumit. In his ſæpè fermento, febrili turgente per motum ſymptomaticum & μετάστασιν unà ſcoriæ tartareæ tum ad ſuperioris ventriculi partis vaſa præcipitantur, unde lateris ſiniſtri dolor, ventriculi nauſea, vomitus, ſingultus aut convulſio infeſtant, tum etiam ad inferiora detruduntur inteſtina, hinc variæ ſymptomatum oriuntur clades. Hoc in caſu *ejusmodi antifebrilia conveniunt*, quæ juxta vim ſuam diaphoreticam etiam *Tartarum* reſolvunt & per urinam expellunt. Cujusmodi ſunt etiam *ſalia anti-febrilia D. D. Mœbii. Bezoardic. Martial. ſp. ſalis Tartari volatil. Tinctur. aperitiv. D. Mœbii. Sp. ♂lis cum decoct. radic. Scorzoner. cichor. fl. geniſtæ &c.*

In *Qvartanâ Intermittente* notandum purgantia ne hilum quidem prodeſſe, imò maſſam ſanguineam magis depauperando ſine medelâ ſæpè vires atterere. Sed adhibenda ea, quæ, quod fixum eſt, exaltant, & volatiliſant, & in totâ ſanguinis maſſâ πνδ(?)μάτωσιν inducunt, qualia *Spiritus Salis ammoniaci ſalſus, ſl. Salis Ammoniaci cum feculâ Aronis, ſale Tartari. Spiritus ſalis marini volatilis.* Commendatur & *Antiqvartium qvoddam Peruvianum, pulvis Indicus ſeu Americanus dictus, It. Cortex Sinenſis, de qvo vid. Johann. Jacob. Chifletius in tractatu Bruxellis Anno 1653. de hoc ipſo edito. Et Rulandus Sturmius apud Delphenſes Practicus. Thom. Willis de Qvartanâ p. m. 63. Th. Barthol. c. 5. h. 50.*

Nota. In conjunctione Jovis & Solis fundatur felix & ſalutaris Qvartanæ curatio, recreat Spiritus vitales, & purificat ſanguinem.

Notandum tamen dictis *ſpecificis alexipyretis* ſemper viſcerū fermenta primæ & ſecundæ digeſtionis confortantia cum *Diureticis* aperitivis eſſe intermedianda, qualia *abſynthium, Card. b. ſcordium. Centaur. minus. agrimon. Eupator. & ex his parata alia Medicamenta, It. Elixir propr.* & in malignitate ſcorbuticâ non omittenda quæ ſalia demulcent ſcorbutica Medicamenta. Inter apeperientia excellunt *Martialia & tartarea, ut Tinctura aperitiva D. D. Mœbii. Eſſ. ♂lis Zwelfferiana. Miſtura ſ. &c.*

Specificâ virtute *Cor Leporinum in Qvartana* operatur. De quo videatur *Horſtius libr. 11. in Miſcellan. obſ. 6. p. m. 529. Monavius in Epiſtol. Scholtzii 229.*

De

De piperis remediis popularibus in febribus adhiberi ſolitis vid. Thom. Bartholin. centur. 5. hiſtor. 48.

Exterius quæ applicantur in hiſce *Febribus*, plerunque vel regioni cordis, vel carpis manuum aut plantis pedum alligantur, hæc interdum adeò proſunt, ut quidam ſub mulctæ cujusvis pœnâ per iſta remedia ſubitam hujus Morbi curationem polliceantur. *Ex telis aranearum & oleo earundem* quidam *Emplaſtrum febrile* conficiunt, imponunt pulſib9 utriusque carpi horâ unâ, & circiter ante paroxyſmum, relinquendo per novem dies. Nonnulli *ſuccum plantaginis, burſæ paſtoris, & herbas alias adſtringentes cum aceto contundunt, & carpis alligant: Radicem millefolii, tormentillæ, item camphoram collo ſuſpendunt, & ita acceſſionem febrilem tollunt. Qvare inquiſitu dignum eſt, inquit Th. Willis de Febribus p. m. 30. qvo modo hæc operentur, & qvâ ratione paroxyſmos ſiſtant. Conſtat ſcilicet, eorum vim & actionem ſanguini & ſpiritibus immediatè impertiri; & cum paroxyſmum ſine humoris aut materiæ cujusvis evacuatione præcavendo arceant, neceſſe eſt, ut hujus effectûs ratio ſolummodo in hoc conſiſtat, qvod hujusmodi Medicamentorum uſu, ſanguinis cum materia febrili turgeſcentia ac fermentatio inhibeantur, nimirum à Pharmaco circa vaſa alligato corpuſcula qvædam ſive effluvia ſanguini communicantur, qvæ ipſius particulas valdè figunt & conſtringunt; aut etiam fundendo & exagitando veluti præcipitant, utroq; modo, ut ſuprà etiam innuimus, ſpontanea ſanguinis efferveſcentia impeditur: non ſecus, ac cum aqva frigida ollæ ebullienti inſtillatur, aut veluti cum acetum, aut alumen cereviſiæ novellæ, & fermenteſcenti infunditur, illicò fermentatio ceſſat, & liqvor novum ſaporem & conſiſtentiam acqvirit, qvo ad potum aqvè ſit idoneus, ac ſi longo tempore maturaverit.*

In Febribus Ardentibus ad ſanguinis ebullitionem ſedandam mirè confert *Bezoardicum Solare, ♂iale, Lunare, Joviale ſeu antihecticum Poterii*, quæ & in *Continuis Periodicis* ſummo cum fructu adhibentur. Quibus ſi opem conferant *Alexiteria ſpecifica*, non tantum omniū *Febrium malignarum*, ſed & *ipſius peſtis* verum obtinebis alexipharmacum.

Hiſce tamen ſemper *cordialia* aperitiva diuretica & abſterſiva ſunt ſubjungenda, qualia *Spiritus Martis ſtriatus. Tinctura fl. viol. borrag. roſar. cum dicto Spiritu & aq. rub. Idæi parata. Ebur ſ. ign. Magiſter. perlar. Corall. ſpinarum viperarum.*

Quàm ſalutarem in dictis *Febribus Ardentibus, & malignis* præſtent effectum hæc *Bezoardica*, ſequentes evincunt hiſtoriæ.

Anno 1665. d. 15. Januarii incidit in *Febrim ardentem Anna* Weyrau-

chinn/

chinn/ ab initio leni rigore correpta mox intẽſiſſimo calore dies noctesque absque ullâ intermiſſione æſtuabat, cum ſiti vehementiſſimâ, linguæ ac faucium ſqualore, agrypniâ, cardialgiâ, dolore dextri hypochondrii, ſub noctem ſemper ingraveſcente affectu. Pulſus erat inæqualis, ſumma virium diminutio, omniumque membrorum dolor & laſſitudo.

Ego ſecundo morbi die accerſitus illico phlebotomiam in dextro brâchio imperavi ad ſanguinis ℥vj. elapſo trihorio enema applicandum jubens obtuli, poſt hujus operationẽ *Bezoardici mei ♂ialis cum Joviali & CC. ſ. ign. mixti doſin unam*, in cereviſiâ calidâ injuncto ſudore per unam horam. A Meridie horâ tertiâ eadem doſis fuit reiterata, ſed absque ſudore. Interpoſito *uſu Magiſterii mei cordialis* poſt horam abſterſi ſudoris & *Sp. ♂is in Keutterlingio* pro potu ordinario. Hiſce per biduum continuatis manifeſta coctionis ſigna in urinâ apparuerunt, unde ab his ferias egimus, & contrà ſolis *Confortantibus* inſtitimus, quæ diebus ſequentibus ingens ſudor non ſolum ſubſequutus fuit cum εὐφορία ſed & lingua puſtulis referta, fauces cruſtâ quaſi obductæ *Febris hujus acuta* cum DEI benedictione curæ finem impoſuerunt.

Anno 1665. d. 20. Martii incidit in *Febrim continuam malignam D. D. Friderici Erneſti Knorrii Ampliſſimi Conſulis Hallenſis Filius unicus, Johannes Fridericus*, magnæ ſpei ſoboles, ætatis ſuæ *octo annorum. d. 22. ejusd.* ad illum vocatus illicò propinavi ipſi doſin unicam *Salis antifebrilis mei cum Bezoardic. Solari & CC. ſ. ign. cum hauſtu Keutterlingii*, cujus uſum aliqualis inſequutus fuit ſudor, cum unicâ vomitione. Horâ tertiâ pomeridianâ eadem doſis fuit repetita, ſed ſine dictis ſymptomatibus. Sequentibus diebus ſolum Bezoardicum *Solare cum CC ſ. ign.* in brodio calido fuit oblatum, interpoſito *magiſter. perlar. Lapid. Bezoar.* genuini & *Smaragd. uſu, Keutterlingio ſemper nupta Tinctura meâ refrigerante cum Sp. ♂is ſtriato*, additis externis *Topicis ex Sp. Theriacal. camph. aq. acetoſ. c. Sp. Vitriol. vulg. Confect. alkermes. &c.* usque dum coctionis ſigna imminerent; circa Aprilem per varia corporis emunctoria ſolutio hujus febris perfecta fuit inſequuta. Et notatu dignum, quod in vigore morbi ſummus artuum tremor, & oculorum ſumma contentio hunc puſillum nimium quantum torſerit, ſed hæc omnia divinâ gratiâ tandem dictis *cordialibus* inſtando penitus fuere ſublata, ut hic puer jam ſanus & incolumis vivat cum DEO.

Eodem Anno d. 5. Novembris Virgo quædam honeſta, nomine *Maria* Görlitzinn, ætatis ſuæ circiter viginti

anno-

annorum, incidit in *Febrem malignã Scorbuticam*, poſtquam *Eſſere* aliquot ante menſes diu conflicta fuiſſet. Gravis aderat Cephalalgia, ſomnolentia cum deliriis interpolatis, febris intenſa cum æſtu vehementiſſimo, qui tamen interdum rigore prævio paroxyſmis vagis modo ſemel, modo bis vel ter per diem exacerbabatur. Ab initio urina erat ſubjugalis, hæmorrhagia narium ſymptomatica, macularum in brachiis & dorſo eruptiones. Pulſus modo debilis, modo fortis, modo rarus, modo frequens, cum ſummâ facultatis vitalis & animalis debilitate. Die quarto demum à *Febris* hujus inſultu admiſſus, licet Venæ Medianæ in brachio dextro ſectio à Chirurgo jamdum fuiſſet præmiſſa, tamen ad delirium & inſignem capitis dolorem demulcendum venarum ſub lingvâ ſectio non ſine ęgrótæ εὐφορία fuit repetita. Poſteà *Tinctura Bezoardica D. D. Michaëlis* uſus in hauſtu unico *Keutterlingii* ad doſin unicam fuit ſubjunctus. Reliquis diebus addidi *Bezoardic. Martial. Jovial. cum ebor. ſ. ign. Magiſter. ſpinar. viper. perlar. Dentis equi marini &c.*

Die 11. Novembr. urina turbida & ſubjugalis degenerabat in tenuem, quæ indicabat humorum anarrhopen, unde aphonia ſubſequuta, ſtupor mentis & ſumma virium jactura, hiſce per 24. horarum ſpatium perſeverantibus. Et quamvis hæc ſymptomata & vel maximè urgerent, nihilominus tamen hæc virgo recuperandæ ſanitatis avida ſummo niſu etiam in ſummâ exacerbatione remediorum oblatorum uſum anhelando appetebat. Die 12. Novembr. dicta ſymptomata quadantenus remiſerunt, & ægrotans ad ſe rediit, quo die ut & ſequentibus adducta *Bezoardica & cordialia ſpecifica* fuére continuata, præterquam quod *Spiritus meus Martis* in uſu cum externis topicis confortantibus capiti, cordi, plantis pedum ac manuum pulſibus applicitis acceſſerit. Veſicatoria etiam durantibus ſuprà dictis ſymptomatibus ex interiore cortice arboris nucum juglandium in aceto maceratâ cervici ac pulſibus non ſine ſingulari effectu fuére applicita. Die 14. aliqualis alvi fluxus apparuit, qui per 24. horas cum aliquali tolerantiâ duravit. Reliquis ſequentibus diebus Lingua, palatum, imò totius oris & gutturis cavitas, prævio ſudore & laudabili urinæ hypoſtaſi, materiâ viſcoſâ albicante veluti cruſtâ quâdam obducta fuére, quæ à Chirurgo crebrius deterſa illicò ſemper repullulavit, ut ſuffocationis periculum quandoque immineret, ſed ego inſtando *cordialibus confortantibus ſpecificis & Chirurgus* ſedulò abſtergendo & mundificando cum gargariſmatibus & oris collutionibus in tantum denique profecimus, ut poſt paulatinam ac ſen-

ſim factam criſin ſeu ſolutionem morbi per varia corporis emunctoria evaneſcentibus omnibus ſymptomatibus *febris* hæc *maligna* curata fuerit, ſalvâ jam virgine & incolume cum DEO.

De *Saccharatis in Febribus hiſce notandum, hæc ſanis ſint licet grata, febricitantibus tamen horrida & hoſtilia eſſe, dum non ſolùm materiæ febrili addunt incrementum, ut febres & febrium ſymptomata inde augeantur, ſed & fermentis digeſtionum è diametro adverſentur, illasq; faciant difficiliores.* Si iſti, qui talia in frequentiori habent uſu, acuitatem Spiritus ſacchari & mellis, illorumque putridas feculentias & fermentationes noſſent, parciori illorum uſu apud ægros eſſent contenti. *vid. Heinricus ab Heer lib. 1. obſ. 5. & obſ. 22. CL. Sennertus in Practic. Medic. p. m. 9. in fine. Angelus Sala in ſaccharolog. part. 1. cap. 6. Unde & D. D. Welſchius Profeſſor Lipſienſis meritisſimus in tr. de Febri malignâ miliari puerperar. theſ. 47. ſcribit: Sirupos vix præſcribo, eò qvod nimium dulces ſint, & propterea bileſcere facilè & corrumpi in diſpoſitis posſint, nec niſi magnâ doſi exhiberi qveant, juxta Primeroſium de vulgi erroribꝰ,* unde cum à crebriori ipſorum uſu nauſeam non tantum excitari, ſed ventriculum & ipſum etiam uterum, cum adverſantur dulcia, lædi, & humores ſcorbuticos fermentari inde experiamur, ab hiſce abſtinendum cenſeo. Qvare commodius non ſolùm ſuprà allata adhibentur, ſed & *decocta fieri poſſunt ex radic. Cichor. Scorzoner. acetoſ. graminis cum Tamarindis in aq. fontan. facta & Spiritu Martis aciaulata, hauſtu aliqvoties abſumenda.*

Præterea in *Febrium acutisſimarum & pernicioſarum curatione* hoc etiam juxta monitum *ingenioſisſimi Valleſii in 1. Epid. in ægrot.* diligenter advertendum, rarisſimè eas fieri ſine internâ & peculiari viſceris cujusdam affectione, & plerunque inflammatione. Quare nunquam omittenda cura hypochondriorum, capitis, thoracis, Meſenterii, pancreatis, renum & veſicæ, ut omni ratione inveſtigemus, quænam harum partium inſigniter laboret, & ei, quoad fieri poteſt, ſubveniatur. Quâ de cauſâ ſemper diſtinguenda febris primaria à ſymptomaticâ, in quâ ſuprà dicta antifebrilia ſpecifica non ſemper intentioni, & ſcopo Medici correſpondent, ut fieri ſolet in *Anginâ, Phrenitide, Pleuritide &c.* Quorum tota curandi ratio dependet à Morbo, à quo accenduntur: Quæ ratio etiam eſt, quod urinæ diversâ appareant facie, multò ſecius, atque in febri primariâ. *Unde & Joh. Fernelius de febrib. c. 7. ait: Febris ſymptomatica nullis ſtatis periodis exacuatur, urina non ſemper putredinis habet indicia ab initio, niſi ex affectâ ſede putredo ſenſim obrepat in venas. Vid. Johann. Garmer.*

anno-

annotat. ad exercit. Franciſci Rubei. 34. p. m. 485.

Anno 1660. d. 10. Novembr. Viri cujusdam Primarii pl. Reverendi & Magnifici Filia tredecim tum temporis annorum incidit in febrem continuam ſymptomaticam cum dolore moleſtisſimo è regione hepatis ad umbilicum unà exporrecto cum tumore inibi ſenſim increſcente, ac tandem in pus degenerante cum macie totius corporis.

Cauſa antecedens procatarctica fuerat pronus in terram lapſus ante bimeſtre ſpatium factus. Urinæ nuptum erat ſedimentum craſſum. Et quod notatu dignum eſt, locus dolens ab initio & augmento inflammationis nulla patiebatur topica, unde patet partem aliquam inflammatam inde cognoſci, ſi admotione topicorum calidorum offendatur. *Laz. Riverius c. 1. obſ. 51.*

Febri Symptomaticæ ſtatim obviam invimus *Bezoardico Martiale. Antimonio diaphor. cum Magiſter. ocul.* ♋ *& CC. ſ. ign.* interpoſitis corroborantibus ex *Magiſter. Perlar. ſpinar. viper. Smaragd. ebore & alterantibus Tincturis ex fl. bellid.* v. *borragin. bugloſſ. Demum iſta inflammatio* in abſceſſum intrà peritonæum & muſculos abdominis latitantem degeneravit, qui intra aliquot dies adhibitis convenientibus topicis apertus, excreto pedetentim pure per aliquot ſeptimanas tandem cum Deo curatus fuit. *Similes vide hiſtorias in Lazar. River. c. 3. obſ. 17. & c. 1. obſ. 92. verùm funeſto eventu curatas.*

Nullum eſt dubium, quin materia purulenta per ulcus excreta vel ex muſculo abdominis vel ex materiâ quâdam in parte vicinâ collectâ provenerit. Cum tamen materia ea etiam urinæ nupta ſimul exierit, viſcera interna vel hepar, vel Meſenterium illius lateris non fuerunt omni ex parte ſalva. Id quod etiam teſtabatur durante illâ puris elaboratione ſumma anxietas & cordis vellicatio cum maximâ dyſpnœâ & vociferatione per intervalla recurrente conjunctâ. Vitium in muſculo ſolum hærens non facilè ad vias urinarias penetrabit. Cogitandum etiam, quod ſæpè materia per umbilicum evacuetur ea, quæ hæret in abdominis cavitate, aliisque partibus internis vicinis. Aquas hydropicorum per umbilicum ſpontè apertum excluſas vidi. Totum abdomen, quod lapſu fuerat concuſſum, non tam quoad muſculos ejusdem, quàm quoad viſcera ac vaſa in eo contenta lædi potuit. Forſan & vaſa eo caſu diſrupta fuére, ſanguisque extravaſatus dedit anſam putredini, febri ſymptomaticæ & inflammationi. Aliàs hypochondriorum apoſtemata omnia ſunt periculoſa, ægrotumq; vel ad mortem deducunt, vel vitam relinquunt

miſeriæ plenam. In præſenti caſu ſingulare emerſit ex parentum precibus, ut ſæpè monui, ad DEum miſſis divinæ benedictionis ad ſalutarem curam argumentum. Hæc duorum liberorū mater jam eſt, cæteroquin optimè ſana niſi quod graviſſimâ interdum cephalalgiâ moleſtetur.

In Variolis & Morbillis Specifica expellentia ſunt ſemina aqvilegiæ, napi, Naſturtii, fœnicul. card. b. Aq. fl. ſambuci, fumariæ. Enulæ. Scorzii. Scorzoneræ. ſcabioſ. fl. calendul. It. decoctum lentium, caricæ pingues. Cornu Alcis ſ. ign. CC. ſ. ign. trochiſci de viperis. Antimonium diaphor. ceruſſa Antimonii, bezoardic. minerale ſ. & c. Solare, Martiale &c.

Hæc ſpecificè expellunt, malignitati unà reſiſtunt, eamq; à corde amovent; Poſtquam expulſio jam peracta fuit, humorum ebullitio iterum ſedanda iis Medicamentis, quæ vi præcipitativâ pollent, & viſcera roborant, qualia *Ebur ſ. ign. corall. v. oculi* ♋. *Margarita &c.* Aliàs ſi in principio magis ſimus ſolliciti de humorum ebullitione ſedandâ & ſopiendo calore, quàm malignitate expellendâ, idem nobis continget, quod iis, qui magis de impluvio tollendo, quàm tectis reſarciendis laborant. Notandum tamen, interdum contingere, ut tanto interdum impetu dicta exanthemata erumpant, & tunc eorum motum aliquantiſper eſſe cohibendum, ideoq; moderatè expellentibus frænantia & temperantia ſeu mitigantia tunc temporis immiſcenda ſunt, hoc niſi fiat, ad exitium ægrotantes perducere conſueverunt. Rectè igitur rem aggrediemur, ſi exhibeamus Medicamenta, quæ membra principalia à proprietate corroborant, venenoſitatem expellunt ſimul mitigant & corruptioni reſiſtunt. *Vid. infrà libr. 2. cap. 6.*

In Aliis Febribus Malignis, quales petechiales, puncticulares, puerperarum miliares &c. Specifica alexiteria ſunt decoct. CC. cum radic. Scorzoner. & anthor. cum Sirup. card. b. aq. card. b. fumar. galeg. fl. ſambuc. ſpir. baccar. ſambuc. cum Roob ſambuci ſeu per ſe, ſeu cum CC. ſ. ign. Item Tinctura Bezoardica D. D. Michaëlis omnibus præripit palmam, vel facit ambiguam. It. Emulſiones ex ſemin. aqvileg. Naſturt. melon. cucurbit. paratæ cum decoct. CC. & aq. fl. ſambuc. qvibus admiſcenda Bezoardica, qvalia CC. ſ. ign. Magiſter. ſpinar. viper. Antimonium diaphor. Bezoardic. Solare, Martiale, pulvis Pannonicus v. Unicornu verum & foſſile, lapis Bezoar or. non adulteratus. Terra ſigillam. Solaris vera &c.

Hæc omnia vi expellendi partim Naturam juvant, virtute partim bezoardicâ malignitati reſiſtunt, ebullitionem ſanguinis fermento præcipitato maligno ſiſtere, & cor inſimul

mul

mul roborare apta ſunt, inprimis ſi iſtis *Magiſterium Perlarum, Corallor.* v. *Ebur ſ. ign. ſmaragd. præparat. oſſ. de corde cervi gelatina CC. vel addantur, vel ſubjungantur. Et Topicorum etiam accedat uſus, ut Balſam. cordial. ex ol. d. roſ. rut. Scorpion. compoſ. Carbuncul. & ſacculi pro pulſibus, qvibus radix Anthor. & contrajerv. addi & aq. fl. borragin. bugloſſ. carbuncul. roſar. irrorari & calidè applicari poſſunt.*

In Peſte ad præſervationem *acetũ Anti-Peſtilentiale* ſequens feliciſſimo cum ſucceſſu apud multos profuit.

Rec. ſummit. ſcordii c. fl. m. jß. Verbenæ. galegæ ana m. j. rutæ ℥ß. cortic. citri exter. ℥iij. Arant. ʒij. Ligni aloës opt. ℈iv. macis. caryophyll. ana ℈iv. ſantal. v. ℥ij. radic. Zedoar. ℥j. petaſit. carlin. angelic. ana ʒvj. meu Olſenicii. Scorzoner. Dictamn. albi. Imperator. ana. ℥ß. enulæ ʒijß. myrrh. rubr. el. ʒij. Theriac. A. Mithridat. Diaſcordii Fracaſtor. ā ʒvj. camphor. ʒjß. bacc juniperi ℥ß. lauri ʒjß. croci ℈j. inciſa & contuſa infunde in aceti vini acerrimi canthar. ij. vaſe clauſo ſtent in loco tepido. De hoc aceto præſervationis gratiâ ſingulo manè detur cochl. j. Præterea ſunt etiam utilia Elixir peſtil. Crollii vel Tychon de Brahe. Bezoardic. Joviale. Solare. Tinctura Bezoardica cum ſale Tartari volatili vel ſp. Sal. ammoniaci ſalſi parata. Prophylacticum Ferdinandi Imperator. Rubinum ſulphuris. Oleum antipeſtil. Nobiliſſimi Heiniſii &c. It. Confectio Orvietana. Diaſcord. Fracaſtor. Elect. de ovo. Sal viperar.

In ipsâ autem *Peſtis* acceſſione dentur quinque Cochlearia cum *Roob ſambuci* cochl. j. cum ſudore inſequente, elapſis duodecim horis hanc doſin repetendo; Interdum addi poteſt *ſcrupulus unicus fl. ſulphuris, vel ſeq.* pulveris:

Rec. Pulv. Ducum Saxoniæ ʒij. (cujus deſcriptionem vid. in Sennert. de febrib. p. m. 618) Pannonic. rubr. ʒij. nuc. vomic. ʒj. Bezoardic. mineral. Solaris ā ʒß. ſal. card. b. ʒj. camphor. ℈jß. m. f. pulvis; cujus doſis eſt ʒj. cum aceto dicto vel cum aq. card. b. acetoſ. &c. D. D. Cruſius Phyſicus Naumburgenſis. Hunc Horſtius approbat libr. 4. obſerv. 22.

Sequens etiam egregium expellens eſt:

Rec. radic. angelic. Valerian. tormentill. petaſit. ā ℥ß. h. galegæ. card. b. ana m. ß. ſem. angelic. meliſſ. ana ʒj. citri. ʒß. coq. in ſ. q. aq. f. Rec. Col. ʒvj. infunde conſerv. acetoſit. citri. ſcordii, galegæ ana ʒiij. ſtent per noctem, manè ebulliant & colentur, adde Elixir peſtil. Crollii ʒj. miſce pro duabus doſibus. De cæteris Anti-peſtilentialibus vid. Authores.

CAPUT XX.

De Humoribus Motu Peccantibus corrigendis.

Reliquum jam eſt, ut *de Humoribus* agamus, qui peccant *Motu & Loco. Medicus Practicus in Motu Humorum ad quinq;* reſpiciat; *primò ad Terminum à quô, ſeu ad partem mandantem*, cui oppoſita eſt *Averſio; deindè ad Terminum ad qvem, ſeu partem recipientem, cui revulſio* competit; *tertiò ad Terminum per qvem ſeu vias, atq; his interceptio medetur; qvartò ad cauſam motus humorum*, qui influunt, aut influxuri ſunt, atq; hi indicant *repulſionem*, *illi derivationem: qvintò, ad cauſam motus ſine qvâ non*, atque hæc vel *attemperationem vel evacuationem efflagitat.*

Cauſas Motus Humorum triplices asſignat Bernhardus Schwalbius *NoſtrumCL.Wallæum imitatus, nimiam ſcilicet humorum tenuitatem; deindè copiam; Tertiò cordis pulſionem; & deniq; viarum nimiam apertionem.*

Primò, Humores nimis tenues duorum ſunt generum; *primò calidi & ebullientes, & hi iterum ſunt vel ſine malignitate, vel cum malignitate; Deindè aqvoſi.*

Humores calidi & ebullientes tenues ſine malignitate cognoſcuntur ex pulſu magno, ſimulq; celeri. Emendantur verò *vel modicè incraſſantibus, vel illorum imminutione per venæſectionem & purgationem. Mobilitatem hanc humorum tenuium ebullientium ſine malignitate ſiſtunt decoctum radic. ſcorzoner. glycyrrhiz. CC. additis paſſulis minoribus. Item Sirupus acetoſit. citri. ſemperviv. portulac. de agreſtâ, Roob Rib. Berber. de papav. erratic. Item, Emulſiones ex ſem. papav. alb. 4. fr. maj. cum confect. manus Chriſti perlat. beneficio aq. portulac. ſemperviv. fl. papav. rh. cichor. &c. extractæ.*

Sciendum tamen, quod ſublatâ dictorum humorũ ebullitione, quod in habitu muſculoſo per congeſtionem & affluxum collectum eſt, per diaphoretica diſcutiendum & reſolvendum ſit, non admodum calida, ſed temperata.

Humores Tenues calidi & ebullientes cum malignitate conjuncti corriguntur partim *alexipharmacis, partim Veſicatoriis & aliis externis remediis. Alexipharmaca* ex ſuperioribus ſunt petenda. *Veſicatoria* variis partibus admota potenter pravos ac venenatos ichores attrahunt & revellunt. In magnâ morbi ſævitiâ in quinque locis admoveri poſſunt, cervici ſcilicet, utriq; brachio parte interiori inter cubitum & humerum, & utriq; femori, parte etiam interiori inter genua; & inguina. *Summus horum uſus ex Galeno libr. 5. Meth. cap. 12. probatur, ubi refert, ex febre malignâ omnes evaſiſſe, qvi exulcerationes in variis*

corporis

corporis partibus paſſi fuerint, evacuatâ per ea ulcera materiâ morbificâ. Verum, cum communiter ut plurimum ex cantharidibus Veſicatoria præparentur, ex quibus ſtranguria ſępiſſimè contingat, harũ locô ſumantur interiores cortices arboris nucum juglandium, macerentur per horam in aceto vini acerrimo in taleolas ſectæ & applicentur dictis locis.

Humores tenues aqvoſos etiam Venæſectio emendat & purgatio. Hæc per rhabarbarum, & ſirupum de ſpina cervina, item de cich. c. rhab. commodius abſolvitur; Maxima aliàs hujus vitii cura in incraſſatione conſiſtit. Cui indicationi inſerviunt *Bolus Armen. Terra ſigillat. Tinctura ſulphuris vitrioli. Aq. portulac. cum Sir. corall. Q. &c. de quibus vide ſupra cap. XIX.*

Humorum Copia optimè *Venæſectione Cucurbitulis, Hirudinibus & Cauteriis* tolli poteſt:

Venæſectionem quod concernit, de hâc hoc loco iterum ſumus acturi, non quidem tanquam de *evacuatione abſolutâ, ſed reſpectivâ,* quatenus loco *Revulſionis* inſtituitur, ſi materiæ fluxus eſt, & pulſus magnus & plenus percipitur.

Cum autem ſanguis diverſis modis *motu* peccare poſſit, *vel qvando in partem aliquam cum impetu & confertim irruit, vel alicui incumbit,* aut καταρρόπος fit, exponendum jam eſt, *qvomodo ejus motus præter Naturam per venarum inciſiones ſit corrigendus? Et verò videtur illud ipſum difficile, inqvit ſagaciſſimus Naturæ interpres CL. Conringius in Aureo illo tractatu de ſang. generat. & motu p. m. 313. poſitâ hypotheſi de circulari ſangvinis motu.* Nam, ſi omnis ſanguis per arterias, non per venas ad corporis partes defertur, & ex arteriarum majoribus ramis in minores venarum movetur; certè Venæſectione non revelletur quippiam à parte affectâ, ſed potius ſanguis majore impetu ad illam ruet. Si enim nihil in venis, niſi ab Arteriis ſuppeditetur, certè evacuatio in venis ſanguine major fluxus ſanguinis ad Arterias concitabitur. Sic e. g. in Pleuritide in primô morbi inſultu cõmuniter ad revellendum ſanguinem ſemper in latere oppoſito; Poſt ubi parti ſanguis infixus & impactus hæret, in eodem, inflammatio percipitur, venam aperiendam eſſe exiſtimant. Jam ſi ſanguis ex dextro cordis ſinu per venam arterioſam prolapſus ac præcipitanter in latum illud pulmonum æquor ſe effundens, ibique impactus revelli debet per venam brachii, ita ut communitas quædam vaſorum cum affectâ parte obſervetur. Venæ autem brachii cum venâ arterioſâ nullam ſortitæ ſunt communitatem, quomodo illa attendenda eſt? Nihilominus tamen ſanguis impetuosè ad mem-

brum aliquod irruens & parti impactus Venæſectione quàm optimè revelli poteſt. Hîc reſpondet modò laudatus VIR; Primò, omnem, qui per arterias affluit, ſanguinem ex venis ſuppeditari, adeoq; quando illæ minus largiter ſanguinem ſuggerunt, non poſſe non parciorem quoque eſſe ſanguinis per arterias fluxũ. *Deindè* fluit ſanguis per arterias alibi majore, alibi minore copiâ, prout exitus propulſo ſanguini alibi facilior eſt, alibi difficilior. Præſtatur autem facillimè exitus non arteriâ tantùm ſectâ, ſed & venâ. *Tertiò*, obſervandum, *Revulſionem* poſſe inſtitui nunc in remotâ, nunc in viciniore parte. Sic e. g. quæ ad caput vergit fluxio, revelli poteſt venâ in cruribus, quæ ad pedes, venâ brachii ſectâ. Proximior & commodior fit *Revulſio* in Pleuritide dexteri lateris apertâ brachii ejusdem lateris venâ. Sic Fœminam quandam in ſuburbio noviforenſi Anno 1661. d. 4. Febr. ætatis 53. annorum plethoricam, dolore acuto in latere dexrto cum dyſpnœâ & febri continuâ laborantem cum DEo feliciter reſtitui; accerſitꝰ ergo illicò venam medianam lateris affecti aperiendo evacuatis ſanguinis admodum lividi & aduſti unciis decem, & ſubjunctis anti-pleuriticis ſpecificis, & aliis ad medelam hujus affectus neceſſariis. Sic inflammato etiam hepate per eandem venam commoda fit evacuatio revulſoria. Ita laborante liene, brachii ſiniſtri vena ſecanda eſt. Hâc ratione *Revulſio* per compendioſiorem fiet viam, nam citius ac facilius ad vicina, & per ejusdem lateris apertam venam ſanguis revellitur, cum totus ſanguis, qui in illud latus à corde per arterias propellitur, determinetur magis in omnes iſtius lateris partes, quàm oppoſitas. Patet hinc fruſtra eos eſſe, qui in *Venæſectione revulſoriâ*, ſuperſtitiosè nimis, ſummè neceſſariam opinantur oppoſitionem ſecundum longitudinem ſimul, & latitudinem, in reſpectu ad partem affectam & venam incidendam. Scilicet in eâ quidam ſunt ſententiâ, humores motu recto in vaſis moveri, ut qui ſiniſtro latere ſint, vergant ſemper in ſiniſtrum, qui in dextro, fluant in dextrum. Quo fundamento poſtmodum etiam ejusmodi humorum motum κατ' ἴξιν in V. S. neceſſariò obſervandum eſſe ſtatuunt. Sic ſanguinem è mali fonte per rectum venarum remotarum tractum, ac ductum ad oppoſitum locum retrahi ſemper ſuadent, & manifeſtum venarum cum parte mittente conſenſum notare volunt. Quem conſenſum ex Galeno triplicem faciunt, ſecundum longitudinem, latitudinem & profunditatem. *Lib. 5. Meth. c. 3. Hactenus CL. Conringius.*

Verùm cum hic motus à nemine hacte-

hactenus potuerit demonſtrari & obſervari & hujus dogmatis Aſſectæ non tam Experientiâ, quàm vanâ illâ de Venarum ductibus perſuaſione nitantur, rejicimus. Interim tamen doctrinam de REVULSIONE rectè tantùm explicandam eſſe volumus.

Quo Loco Vena-Sectio REVULSIONIS ergô in pluribus affectib9 inſtituenda ſit, reſtat jam ut inquiram9.

In Dolore Capitis communiter indicationem partis venam ſecandi ſumunt ab ipſo ſanguine, prout vel totum, vel partem occupat, undè ſanguis ſi redundat in toto æqualiter, eam venam ſecant, quam putant ſanguinem à toto evacuare, hæc autem ipſis eſt mediana brachii dextri. Si verò totum ſit repletum inæqualiter, ita ut major ſit repletio in unâ parte quàm in aliâ; & major ſit repletio in toto, quàm in Capite, Baſilicam dextram aperiunt. Si verò major in capite repletio, Cephalicam tundunt.

Verùm hæc ex veterum ſententiâ ita ſpecioſè proponuntur, inquit Excell. D. Rolfinckius in tr. de cephalalgiâ th. 27. Sed tollunt magnâ ex parte Venarum hunc delectum Principia Harveiana. Neq; enim, cum ſanguinis per arterias brachii in venas remeantis depletio inſtituitur, plus cordi, & multò minus capiti auxiliatur cephalicæ apertio, quàm Baſilicæ. Nam demus, cephalicam cum jugulari habere connexionem, quæ tamen nondum ſatis adſerit, parum illa in Medium confert, cum ſanguis ille per ramulum jugularis nihil ad cerebrum, ſed omnem ad cor revehat ſanguinem.

Si *totum Caput* doleat à ſanguinis repletione, ſanguis mitti poteſt ex venis Narium. Si *determinata pars*, & quidem poſterior occipitalis, apertionem venæ frontis *ab Hipp. ſ. 5. aph. 68.* commendatam obſervare debemus. Hæc apertio inſtituitur ratione *Revulſionis*, quæ ſi non ſuccedat, & dolor perſeveret, debemus etiam occipitio cucurbitam apponere pro *Derivatione*. Contrà, ſi doluerit pars anterior, ita ut dolor foveatur fluxu ſanguinis à poſteriore parte, primò aperienda vena Aurium, pòſt pro *Derivatione* vena frontis. Atq; hæc probantur; ob viciniam enim ex cerebri venis & arteriis aliquid ſubduci poteſt. Eadem etiam in aliis *capitis Affectibus*, ut *ophthalmiâ, phrenitide, hæmorrhagiâ narium &c.* obſervanda ſunt.

In *Anginâ* ſi ingens adſit plethora, ſtatim in Principio *mediana aut cephalica* aperienda in quô latere volueris. Si urgens periculum immineat, & inflammatio ex humoribus gutturi impactis concitata ægrum ſtrangulare velit, *ſectio* inſimul *venarum ſub liguâ* celebranda eſt. *Venas itidem jugulares in deſperatiſſimâ ſtrangulatione aperiendas eſſe teſtatur Zacutus Luſitanus de*

Mph. l. 1. h. 76. dub. 47. p. m. 134. & in praxi Medic. admir. p. 22.

In *Peripnevmonia & Pleuritide*, ut ſuprà etiam innuimus, in affecto latere vena aperienda eſt; quia ſanguis affluens per arterias revellitur ad brachii arterias ſectâ ejus venâ propter exitum longè promptiorem, adeò ut nullâ hîc diſtinctione opus ſit inter morbi Principium & augmentum; in morbi principio venam eſſe tundendã in non affecto latere, antequã materia ſit impacta, in augmento autem in latere affecto. Si enim *Revulſio* inſtitui poteſt nunc in remota, nunc in viciniore parte, cur remotam eligamus, cùm pars vicinior commodior ſit? Nec obſtat adſertio *Dureti in annot. ad Hollerium lib. 1. c. 25. dum inquit: Venæ-ſectio Pleuritidi convenit ad Revulſionem materiæ morbificæ, quæ continenter per venas ad partem affectam curſum inflectit, & ad motionem cauſæ conjunctæ, quæ jam fluxit ad partem, & in eâ morbum facit. Secari autem debet κατ' ἴξιν, & è directo lateris dolentis vena cubiti interna, id eſt, axillaris interior, quæ vulgò Baſilica appellatur. Neq; audiendi illi, qui ex tribus cubiti venis quamlibet ſecãt, quæ magis conſpicua fuerit, ſive ea ſit Cephalica, ſive Baſilica, ſive Mediana. Nam ſine delectu quamlibet ſecari periculi plenum eſt, ut vidimus in uxore Franciſci Raſſii hujus civitatis Chirurgi Pleuriticâ; Cui cùm detractus fuiſſet ſanguis è cephalica ad duodecim vaſcula, nullã inde percepit levationem, quia potiùs ſuffocabatur. At cum me Auctore miſſus fuiſſet ſanguis è Baſilicâ ad duo tantùm vaſcula, ſic totus purulentus effluxit, unde & Mulier iſta recepit curationem. Hæc Duretus.* Verũ hæc quidem pro doctrinâ de venarum delectu ſatis ſpecioſa ſunt, ſed ſi rationem aliam audias, quare Baſilicæ ſectio profuerit, omnis præconcepta opinio delebitur. Commodum enim, quod à v. ſ. in Pleuriticam dimanavit, non ex venarum electione, ſed ex repetitâ profluxit Venæ-ſectione, prout & in eâdem venâ ſectâ repetitâ ſæpiùs fieri ſolet.

In *Hæmoptoë* ſectis brachiorum venis *Revulſio* eò citiorem ac feliciorem conſequetur eventum.

An fluentibus Menſibus fœmina Pleuriticæ vena ſecanda, & qualis? vid. CL. Sennert. lib. 5. inſtitut. de v. ſ. & Gregor. Horſt. in inſtit. Medic. diſp. 18. q. 17.

Item, utrum Venæ-ſectio ex talo celebrata, Menſtruo actu fluente, illud provocet, vel retineat? vid. Zacut. Luſit. in Praxi hiſtor. lib. 3. cap 9. Gregor. Horſt. in inſtitut. diſp. 18. q. 18. Et quomodo Menſibus obſtructis commodè ſanguis per v. ſ. educatur? vid. Eundem in Centur. Problem. Dec. 9. q. 1.

In *Hæmorrhoidum* præternaturalium principio vena aperienda,

quæ-

quæcunque ſit, in cubito dextro vel ſiniſtro, non verò in crure aut pede. Nam quæ ad caput vergit fluxio, revelli poteſt venâ in cruribus ſectâ, quæ ad pedes vel anum, venâ brachii ſectâ. Si enim impetuoſiùs fluat per arterias ſanguis ad inferiores partes, ſecetur autem vena aliqua brachii ibique effluat ſanguis, non poteſt non minore impetu ferri ſanguis in inferiora, quã anteà, propter ſanguinis defectum, multo nempè ejus ex venâ ſectâ profluente. Et cum ſanguis faciliorem habeat exitum, quâ vena eſt aperta, neceſſe eſt ſanguinem per illas arterias potius fluere, quæ promptè deplentur per venam ſectam, quàm per illas, ex quibus in venas minus impeditus eſt exitus: adeoque is, qui per arterias deorſum antè fluebat ſanguis, venâ brachii ſectâ non poteſt non curſu mutato ſurſum & in brachium per ſuperiores arteriarum ramos pergere. Notandum tamen, ſi in Hæmorrhoidibus jam inflammatio facta ſit, tunc potius in cruribus, quàm in brachiis inſtituenda venæſectio, eò quod hîc non ad humorem, qui affluit, reſpiciendum ſit, quàm ad illũ, qui affluxit, & evacuatione & derivatione indiget. *Vid. Gal. l. de cur. rat. per ſang. miſſ. c. 18. & 13. Meth. c. 6. & 11. l. 2. ad Glauc. c. 2.* In omnibus etiam contuſionibus, caſibus, vulneribus &c. ſtatim V.S. eſt adminiſtranda, ne conturbatus ſanguis in partem contuſam, aut in aliam aliquam internam incidens affectum aliquem gravem pariat. *Ego quendam vidi, inqvit Valleſ. libr. 4. Epidem. p. 346.* qui miſſionem ſanguinis à caſu contemſit, & aliquot deinde dies nihil mali putavit ſe habere, poſt aliquot verò alios magnâ febre correptus, feculentum ſanguinem vomens mortuus eſt.

In Revulſione, quâ qvantitate ſanguis ſit emittendus, *an nempè ſimul & ſemel, an verò repetitis vicibus, diſpiciendum eſt?* Et licet Authores poſterius commendent, attamen docet ratio & experientia, diſtinctionem quandam hîc adhibendam eſſe; Nam *primò* unâ vice emittimus è venis majoribus in affluxu humorum ſine effuſione concurrente evacuatione. Pluribus vicibus è venis minoribus in affluxu cum effuſione, ut in nimio menſium fluxu, hæmorrhagiâ immodicâ; *Deindè* ſimul & ſemel tollimus, quando materia jam in partem influxa eſt, & in illâ exiſtit, pedetentim verò, cum adhuc influit. Exemplum præbent *Angina, Mania, Pleuritis, Cephalalgia, Phrenitis &c.*

Utrum ſangvinis miſſione iteratâ, primâ vice ſanguis ſit copioſiùs extrahendus? vid. Zacut. Luſitan. lib. 3. de M. P. h. hiſtor. 1. qvæſt. 4.

Revulſio omni tempore, quandocunque Humorum fluxus adeſt, inſtitui poteſt, & diverſis dieb9 repetenda,

tenda, ut in hæmorrhagiis, principio inflammationum &c. Ubi reſpicimus ad motum, rectiùs fit, ſi diverſis vicibus & intervallo interjecto Natura per v. ſ. contrario motui quaſi adſveſcat, & intervallo temporis incumbens partibus humor regurgitet in venas, & iteratâ v. ſ. utiliter extrahatur.

Accedit, quòd ex iteratâ v. ſ. meliùs vires ſerventur, ex priori fluxu jam ſatis debilitatæ, dummodò ſanguis extrahatur in eâdem quantitate per plures vices, qui unica vice fuiſſet extractus. *Ubi paululum detraxeris, inquit Gal. lib. 5. Meth. Med. cap. 3. mox unam horam intermittens rurſus detrahes, pòſt iterum atq; iterum pro laborantis viribus.*

Quamvis communiter *Revulſio* in ipſo adhibeatur paroxyſmo, attamen etiam poſt eum utilis eſt, ut reliquiæ Morbificæ prorſus tollantur, ne novus fieri posſit. Sic in uteri ſuffocatione proveniente ex retentione ſanguinis, uti & in aliis affectibus, commodum, ſuccurritur per ſanguinis misſionem, tàm in paroxyſmo necesſitate urgente atq; caloris nativi propter copiam ſanguinis exſtinctione imminente, quàm extra eundem, utpotè quâ ſuperfluus ſanguis p. n. retentus evacuatur, ab utero aliò transfertur, & imminens ſpirituum & caloris ſuffocatio ſolvitur. *Greg. Horſtius in Centur. Problem. decad. 9. q. 3.*

In *Obſtructione Menſium vel Hæmorrhoidũ* opportunisſimũ tempus ſecandæ venæ eſt primus dies ante tempus conſvetæ fluxionis, ſi primâ vice ſectio Venæ non ſuccedat, id eſt, ſi nihil ſanguinis, aut parũ profluat, & ſecundò ac tertiò reiteranda erit, cùm ex dextro, tùm ex ſiniſtro pede.

Poſt ſufficientem v. ſ. *Revulſio* etiam celebrari poteſt per *Cucurbitulas tùm ſiccas, tùm ſcarificatas. Siccas* quidem, quando ſimplex *Revulſio* molienda eſt; *Scarificatas verò*, cum ſanguinis redundantis copiâ penitùs ablata non eſt per v. ſ. quam vires ulteriùs ferre nequiverunt. Sic in cephalalgiâ, vertigine, Anginâ, phrenitide &c. cucurbitulis utimur ſiccis cervici vel ſcapulis applicatis. Cucurbitulæ cum ſcarificatione tibiis & ſcapulis appoſitæ in Anginâ magnum levamentum afferre dicuntur. *Franciſc. Valleriola libr. 2 obſ. 10. p. m. 236.* In Morbi initio pectori *Revulſionis* causâ applicari posſunt. Exemplum Anginæ Caninæ cucurbitulâ ſub mento ſcarificatâ curatæ proponit *Zacut. Luſitanus in praxi admir. lib. 1. obſ. 94. hinc & ſcarificationes circà laryngem commendat Riolanus lib. 4. Ench. anat. & pathologic. p. 385. in capitis dolore utitur Galenus etiam cucurbitulis ſcarificatis in occipitio applicatis lib. de v. ſ. cap. 19. In vertigine nonnulli illas cauterii loco vertici imponunt. Rembert. Dodon. lib. 2. Prax.*

2. prax. cap. 14. Alii etiam in occipitio iisdem utuntur. Apoplexiam deſperatam cucurbitulâ bis in occipite ſcarificatâ curatam proponit Zacutus lib. 1. de Mph. 33. obſ. 32. Phrenitis confirmata cucurbitulâ in ſyncipite ſcarificatâ curata eſt à Zacut. lib. 1. prax. medic. admir. obſ. 14. Sic & Auris Dolor inflammatorius nullâ ex v. ſ. cucurbitulis, coſtis, humeris, collo affixis, clyſteribus revellentibus, expurgantibus, cæteriſq; Revulſoriis auxiliis, ſicut & anodynis intra aurem inditis ope inſequutâ ſolâ cucurbitulâ retrò aures ſcarificatâ evanuit, teſte eodem lib. 1. prax. admir. obſ. 69. cordis valida palpitatio cucurbitulâ ſcarificatâ ſupra cor admotâ ad ſævam mamillam curata fuit. Idem l. c. obſ. 143. Sic & in Pleuritide, & Epatis inflammatione poſt ceſſatam fluxionem & depoſita plenitudine cucurbitulis ſcarificatis collo, vel ſcapulis & dorſo applicitis ingentem dolorem ſæpiùs discusſi.

In *Febribus ardentibus* quando ſanguis ἀνάῤῥοπος delirium minitans vel malignitate infectus cor petit, cucurbitulæ ſcarificatæ ſcapulis dorſo, lumbis, brachiis ac pedibus applicatæ citra inſignem virium jacturam illum retrahunt, & calorem febrilem & Spiritus malignitate infectas à partibus internis cum ſanguine tenuiore verſus exteriora evocant & attrahunt. *Petrus Paſchal. prax. medic. de Febrib. p. 109.*

Hirudinum applicatione vitioſus ſanguinis motus etiam corrigi poteſt. In *Febribus Ardentibus & malignis hirudines venis hæmorrhoidalibus* applicitæ magis proſunt, authore *Hieronymo Fabricio ab Aquapendente*; qvàm v. ſ. in brachio inſtituta; Dum enim ex arteriis ſodalibus ita ſanguinem exſugunt, revellunt à corde & capite, quas partes inde ſublevamen percipere non minùs veriſimile eſt.

Pueris ſucculentis, plethoricis & optimè nutritis ſi febribus acutis, & internis inflammationibus corripiantur, ac videantur tamen ob teneram ætatem renuere v. ſ. per Hirudines venis brachii aut hæmorrhoidibus affixas ſanguis eſt exhauriendus. Nam hoc beneficio nulla virium fit diminutio, & quod etiam ſanguinis fuerit detractum, in ejusmodi ætate minori reparatur negotio.

Ante biennium, & quod excurrit, in pertinaci Ophthalmia *Ducalis* cujusdam Filiæ poſt variolas excluſâ *Hirudines* utrinq; in collo ad venas jugulares ſummo cum fructu vidi applicitas.

In *Gravidis* brachiis ſolùm communiter apponuntur, ſed & hæmorrhoidibus, ſi ex conſveta hæmorrhoidali

rhoidali evacuatione forſan incidant in Epilepſiam ſummo cum emolumento affigi poſſunt. *Zacutus Luſit. de Mph. 32. obſ. 27.* Sic & Phrenitis ex lochiis retentis Hirudinibus internæ uteri parti appoſitis curata fuit, *teſte eodem l. c. lib. 1. hiſtor. 4. obſ. 5.* ideoq; ſi immineant ſymptomatum vehementia, variandus interdum locus, prout hæc vel illa pars afficitur. *Sic Anginam caninam idem Zacutus in praxi hiſtor. lib. 2. cap. 2.* trium magnarum *Hirudinum* ſub lingua ſuctu feliciſſimè curavit. *lib. 1. de Mph. 69. obſ. 47.* Sic & immanis temporum dolor cum eorum palpitatione conjunctus *Hirudinibus* arteriis temporalibus affixis curatꝰ fuit. *Idem lib. 1. prax. Medic. admir. obſ. 9. Pleuritis maligna Hirudinibus etiam ſupra locum affectum impoſitis ſuam etiam debet eradicationem licet difficilem. idem lib. 1. prax. admir. obſ. 113.*

Denique *Cauteriorum* hîc etiam mentio facienda eſt, utpote quæ in vitioſo *Humorum* motu corrigendo non etiam ſpernendi ſunt effectus, ſed efficaciſſimo hoc præſidio Medici à plurimis exitioſiſſimis morbis *Revulſione* vel *Derivatione* indigentibus ægros vendicare ſolent. In Sympathico affectu cùm in parte mittente tùm etiam in recipiente ſummo cum fructu affiguntur *ad Revulſionem & Derivationem*; Sic v. g. locum habent dicta Cauteria tàm in Eſſentiali, quàm in Sympathicâ Epilepſiâ aut vertigine. In Eſſentiali Epilepſiâ *Lazar. River. c. 2. obſ. 93.* In ſuturâ coronali feliciter cauſticum applicabat in puero duodecim annorum ſingulis diebus paroxyſmo conflictato, & per multos annos fruſtrà fonticulum in brachio gerente. In Parte vomitem ſubminiſtrante *Zacutus lib. 1. prax. Medic. admir. obſ. 22.* felici eventu cauteria admovet actualia. *Tulpius lib. 4. obſ. medic. c. 3.* Adoleſcentis viginti annorum meminit, cui è pedis pollice elevabatur aura frigida, & ſolum profuêre ferra candentia ad ipſum os pollicis inuſtum.

Nonnulli Practicorum etiam in Sympathicâ Epilepſiâ in ipſo capite cauteria applicant. *Johann. Zechius in conſult. Medic. 92.* In Epilepſiâ ex utero pro efficaciſſimo prophylactico habet duplex cauterium, cùm in occipitio, tùm infrà, quâ ſumma vertebra cum capite committitur inuſtum.

In Reſolutione & aliis affectibus convulſoriis ſummoperè etiam juvant, *vid. Zacut. Luſit. de M. Ph. 20. lib. 1. obſ. 16.*

Suo etiam non deſtituuntur effectu *Cauteria potentialia ſeu Fonticuli*, qui ſenſim educunt materiam ichoroſam, & ſeroſam acri ſale imbutam. Sic & in Epilepſiâ *teſte Zacuto*

cuto lib. 1. prax. admir. obſ. 32. in oculorum affectibus, narium, linguæ, gingivarum, palati, oris morbis inveteratis præſentaneum exhibent auxilium.

In *Thoracis affectibus*, ut raucedine, catarrho, tuſſi, perniciem minantibus commodè aperiuntur. In *Phthiſi* ad vitam producendam, ne ampliùs Ulcus ſordeſcat, fontanellas brachiis affigere optimum eſt conſilium, quæ quidem non conveniunt ulceri nudo in Pulmone jam facto; hoc enim conſolidantia requirit, ſed humorum affluxui ſalſo & acri à capite delabenti, à quibus Ulcus de pendet; Et tunc non ſunt remedium curativum, ſed Prophylacticum. *Capivaccius in praxi c. de Phthiſi Mercurial. l. 2 prax. 7. Fracaſtor. lib. 3. d. curat. morb. contag. cap. 8.*

In *Lienis Morbis* teſte Experientiâ ſummum etiam adferunt levamẽ in lævo crure affixæ; Multi enim morbi inde pronati hinc præcaveri poſſunt, ex quorum numero ſunt *cordis palpitatio, melancholia hypochondriaca, mania &c.* Quare, ſi hujus tetri humoris motum à cerebro ad inferiores partes ignobiles revellere volueris, fontanella in altero crure aperias. Si malum non miteſcat, *Ludovicus Mercatus Libr. de morb. intern. c. 17. in fine, & l. 2. de morb. mulier. cap. 4. ad ſetonem aut uſtionem ſupra ſplenis regionem confugit.* Verùm hanc praxin ego non fecerim meam.

In Puſtulis Ulceroſis in facie etiam Zacutus Luſitan. lib. 1. de M. Ph. 20. obſ. 17. fonticulum in crure apertum commendat.

Notandum tamen ex Thomâ Fieno de Cauteriis lib. 1. cap. 16. Fonticulos propriè non eſſe revellens Remedium, qvia non debentur humoribus actu fluentibus, quos non lentè ac paulatim ſed confeſtim retrahi oportet; id qvod illi non faciunt. Interim tamen revellunt ſecundariâ qvâdam ratione, qvatenus humoribus fluxis in contrarium & ad oppoſitam partẽ fluendi conſvetudinem imprimunt. Quæ revulſio & tractio interdum eſt exigua & non impetuoſa. Si enim tantum evacuarent à parte mandante, non facerent humorem defluentem ὁρμὴν & decubitum ſuum in oppoſitum convertere.

CL. Helmontius in tr. Aſthma & Tuſſis Cauteria aut *Fonticulos juvare ſcribit, eo, qvod laticem & totalem cruoris maſſam minuant, latex enim ſeu ſerum libenter alienâ labe inquinatur præſertim ſi plus nimium abundet, hinc per cauteria juvari illi videntur, qvi ſerum ſeu laticem abundantem habent; nam Archéus à reſtagnante latice oppreſſus ab evacuatione per cauteria melius vivificatus vires inſperatò reaſſumit, vel etiam ob abundantiam ſanguinis aliqvando Ar-*

do Archeus non benè gliſcit, unde cauteria, quia maſſam ſanguineam diminuunt, proſunt, præſertim edacibus, obeſis & ſedentariam vitam agentibus, Emaciatis autem, morbo depreſſis non conveniunt. Vid. & Grembs lib. 2. c. 1. §. 9. De Pulmonum defect. in Arbor. 1. & R. hominis.

Qvo in loco Fonticuli ſint applicandi? & qvomodò rectè tractandi Vid. Paralipomen. D. D. Sennerti ad Inſtitut. §. 18. Rodericus à Caſtro de morb. mulier. lib. 2. cap. 2. in ſchol.

Tertiò Motus vitioſi Humorum cauſa etiam eſt cordis & Arteriarum nimia Pulſatio; Moventur quidem nonnunquam *Humores* abſque cordis & Arteriarum motu, dum ab exoticâ quâdam aporrhæâ aut fermento peregrino infeſtantur, quod ſuo motu illos exagitat. Sic non rarò in cadaveribus, ubi cum cæteris partibus omnis motus cordi ademptus eſt, ſanguinem non rarò ſponte ſuâ moveri videmus. Verum hic loquimur de illo motu, quem cordis pulſus cauſat. Ita in iracundiâ & palpitatione cordis nunc capitis dolores, nunc hæmorrhagiam narium aut uteri excitari videmus non aliam ob cauſam, quàm quòd cor conſtrictum vehementius pulſet, & hoc ſuo pulſu ſanguinem reddat calidiorem, imò omnes propemodùm humores accendat, & ad partes corporis demandet, quàm naturaliter fieri deberet, unde plures viſi ſunt, qui ex ira è variis corporis partibus in magnâ copiâ cruorem excreverunt. Et novi quosdam, quoties ad iram commoti, ſeſe ulciſci non poterant, toties ſanguis è naribus ſat copiosè proflueret. Tanta eſt excandeſcentiæ vehementia! Anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo quarto in menſe Novembri accidit Roſtochii, ubi, exortâ inter conjuges lite, cum alter alterum baculo percusſiſſet, in apoplexiam vel potius in lethalem lipothymiam illicò conjux vapulans reſoluta interiit. Qvare convocatis Medicis cum Chirurgo deliberatum fuit de causâ tàm repentinæ mortis. Alii ad principium nervorum obſtructuum à materiâ ab ira commotâ recurrrebant. Alii alia afferebant. Sed ubi in diſſectione ad veſiculam fellis perventū fuerat aliis illæſis partibus illam ruptam invenerunt. *Similem ferè hiſtoriam affert Benivenius in obſ. Medic. c. 110.* Etiam ob terrorem cordis motus fit in nonnullis concitatior, qui ad febres & ſudores diaphoreticos poſtmodum properat.

Hoſce *præternaturales cordis motus* ſiſtunt *Narcotica*. Videmus enim ſemper poſt exhibita Narcotica pulſum minorem fieri, quando illa non operantur, conclamatum eſt de ægroto. Eorum tamen quantitas ſit mediocris & ſemper cum cordialibus ſpecificis miſcenda ſunt.

ſunt. Uſum hîc habent egregiũ *pulvis anodynus D. D. Michaëlis aut ejus Eſſentia anodyna cum ſpecifico Cephalico & cordiali. It. Pulv. cordial. D. Brunneri cum gr. j. vel ij. Laudani opiat. cum vel ſine M. & A.*

Qvartò demum etiam *vitioſo humorum motui* anſam præbent viæ apertæ; Per vias intelligimus venas, arterias, vaſa lymphatica & poros. Si in Arteriis vitium hæret, hujus medela difficillima eſt; *Primò* itaque impediamus V. S. ne ſanguis in arteriam fluat, ſic enim impetus ruentis ſanguinis cohibetur. *Deindè* occludamus arteriam, in quâ totius negotii difficultatis cardo videtur. Locum enim, quo arteria eſt, vel tangere poſſumus, vel non poſſumus: ſi tangere poſſumus arteriam, digito vel premimus & claudimus; ita in hæmorrhagiâ narium preſſâ arteriâ jugulari Carotide fluxui medemur, aut ſi ligaturâ facere poſſumus, ad illam recurrimus. Si verò locum, in quo Arteria eſt, tangere non poſſumus, utimur refrigerantibus in vaſis, adſtringentibus in carne. Sic *P. Borellus c. 1. obſ. 95. Linteum aqvâ frigidâ madefactum teſticulis involvit, & à venâ ſectâ ſolo alumine aut colcothare tangit. c. 4. obſ. 7.*

CL. Hartmannus arteriam funiculo ſerico, ſi tangere poteſt, conſtringit; Poſteà aperturam colcothare replet, ac decenti ligatura Emplaſtro Diaſulphuris in pluſculos dies cooperit. Tandem, ut omnis putredo arceatur, membrum affectum linteolis madidis ex calido lixivio lapidis ſalutis infuſis aliqvando fovet.

In *ſangvinis per os rejectatione* conantur aliqui cucurbitulis aut illũ ad loca, unde effluit, revocare, aut in iisdem retinere, felici interdum ſucceſſu, aliquando cũ ægrorum damno; ideoque diſtinguendum eſt. Nam ſi ab externâ aliquâ causâ in his partibus vas fuerit diſruptum, indeq; per os ſanguis rejectetur, ſi curcurbitulâ fluxum retinebimus, phlegmonem in parte concitabimus. Quod ſi non diſrupto vaſe, ſed recluſo id fiat, tuto cucurbitulæ tunc admoveri parti poterunt. *Ludovic. Septal. lib. 6. animadverſ. 150.* Si fluxus ſanguinis dependeat *à capite*, occipiti & ſcapulis cucurbitulæ ſunt applicandæ. Sin *ab hepate*, dextro hypochondrio; Sin *à liene*, ſiniſtro affigantur. *Ab utero* ſuris aut genubus apponi poſſunt.

Hæmorrhoïdum fluxum immodicum Rodericus à Fonſecâ Tom. 1 conſult. Medic. 82. reſtringit applicando cucurbitulam modo ad hypochondrium ſiniſtrum, modo ad dextrum; Et ad partem affectam ſuccum plantaginis, portulacæ cum pulvere adſtrictivo ex Bolo A. Maſtiche & thure infundit. Felix Platerus & ex eo Lazarus Riverius ſanguinem calentem & recentem ex qvovis animali extractum

tractum injicit. Vaſa Hæmorrhoidum aperta etiam conſtringi poſſunt ſuffumigio ex decocto tapſi barbati, fol. quercus, nucum, cupreſſi, gallarum, conſolidâ facto & ſuſcepto in ſellâ perforatâ.

☞ Hîc obſervandum eſt, pesſimè illos errare, qui *cucurbitulas* in nimio hæmorrhoidum à vaſis apertis fluxu cum vario ac multiplici tractu à coxendice ad collum aut ſcapulas facto ſpinæ dorſi applicant, arbitrantes hâc ratione ſanguinem retractum iri. Cum tamen hoc modo ſtante motu circulari plus ſanguinis ad locum affectum alliciatur, & vaſa aperiantur, augendo ſanguinis fluxum in venis majoribus, qui poſtmodum concitatior ad cor factus auget ejus fluxum in arteriis.

In *Nimio menſium profluvio* ſi oritur ob orificia vaſorum nimis aperta citra ſanguinis copiam, & velis ſiſtere, cucurbitulam quàm maximam revulſionis gratiâ ad mammas appone. *Hippocrat. ſ. aphor. ſo.* Sed hæc cucurbitula ipſis mammis non eſt imponenda, ſed juxta illas, & mammillæ ſublevandæ & unicuique cucurbitula lati orificii cum multo igne affigenda; hoc enim modo agglutinata potenter attrahit ad partes ſupremas, maximè ſi non ſemel, aut bis, ſed ter apponatur. Ut verò *cucurbitulæ* efficaciorem utilitatem præſtent, eæ interdum ſcarificandæ, citiùs enim revellitur humor, quando ſimul attrahitur ad partem oppoſitam, & evacuatur, quam ſi tantum attraheretur, & ſic motus ſanguinis in arteriis uterinis fiet imbecillior ob ſanguinem in venis pectoris ſeu thoracis inhibitum. *Zacutus Luſitan. in prax. hiſtor. lib. 3. cap. 11.*

Alexander Maſſarias inter auxilia, quæ faciunt, ne uteri vaſa nimis aperiantur, recenſet etiam animi deliquium à vehementisſimis doloribus conſtrictis mammis, quæ maximum cum utero conſenſum habent inductum. Verùm, quæ fœmina ferret tam dolorificas ligaturas, ut deliquium animi inducere posſint? An non inflammatio aut cancer ex tam violentis ligaturis excitari poſſent? Aliàs partium extremarum, ut brachiorum, manuum &c. Ligaturæ dolorificæ ſuo etiam hîc non deſtituuntur effectu; Hiſce autem inprimis utimur, quandò ob contraindicantia aliis generoſis remediis non datur locus. *Galenus 1. ad Glauconem. cap. 14.*

Deniq; Humorum Motus non tàm in exceſſu, ſed & in defectu peccare poteſt, imò hoc vitium majoris momenti eſſe videtur illô. Et licet affectus inde venientes non tam multi ſint, pertinaciâ tamen & diuturnitate ſat difficiles exiſtunt.

Motum parvum ex parvo & languido cognoſcimus pulſu. Provenit autem *primò*, quòd *humores* ſint nimis

mis

mis *pauci*; *Deindè* nimis craſſi; *Tertiò cor & partes parum movent, & qvartò via nimis ſint anguſta.*

Motus Parvus fit *primò ob Humorum defectum*, quando non in tanta copia adſunt, inquanta Natura requirit; Hoc vitium bona diæta facilè corrigi poteſt, ſi detur opera, ut ſanguis copioſior generetur, cauſæque, ob quas ſanguis vel non generatur, vel abſumitur, removeantur: modò per ætatem aut alias circumſtantias illud posſibile ſit.

Deindè crasſi humores fluere non poſſunt, & ſunt vel *viſcoſi* vel *lenti*, vel *denſi*. Et quidem crasſities hæc & viſciditas vel eſt in ipſo ſanguine, quando Spiritibus eſt deſtitutus & non ſpirituaſcit, vel quando ſanguini laudabili humores vitioſi, crasſi, viſcidi, lenti & denſi permiſcentur, qui ejus motum retardant. Iſti autem generantur ex viſcerum chylificationi & ſanguificationi deſtinatorum fermentis languidis & torpidis, & ex alimentis crasſis & viſcidis, cognoſcuntur ex urinâ craſsâ ac turbidâ. Totius corporis torpor adeſt, color albus, pulſus tardus, rarus &c. Corrigitur hæc humorum crasſities, glutinoſitas & viſciditas incidentibus & attenuantibus; qualia *abſynthium, Centaur. min. Eupator. fumaria. Marrubium alb. chamædryſ. cochlearia. Naſturt. aq. & ex his parata medicamenta. Item Elixir propriet. ſ. & c. miſtura ſ. Tinctura ♂is aperitiva &c. Si humores tartarei & feculenti unà adſint aduſti*, reſolvendi ac humectandi ſunt, *unde P. Poterius cap. 2. cur. 56. inqvit: Si humor Melancholicus ſimul peccet, qvi ex ſolo pingvi & oleaginoſo tactu in ægrotis cognoſci poteſt, etiam moderatè calefacientia & humectantia humorem iſtum reſpicientia ſunt addenda.*

Tertiò, ſi cor & partes parum movent, ceſſante illius ſyſtoles ab diaſtoles motu, ut nec ad ſanguinis immisſionem aut ad ejusdem propulſionem conſtringi posſit. Præter dictum humorum vitium concurrunt & aliæ *cauſæ adjuvantes & conſentientes.* Sic & *humorum motum* ſiſtunt *venarum valvulæ, qvâcunq; de causâ obſtructæ*, & tunc in ea ſaltem vena, eaque corporis parte ſanguinis motus impeditur, ubi hujusmodi fit obſtructio. Ita ſanguinem inhibere valent Anaſtomoſes, ſi vena quælibet cuilibet venæ vel arteriæ ſociæ debitè orificio ſuo non adaptetur, id quod fieri poteſt ob ſolutæ unitatis vel etiam cavitatis (ſcilicet obſtructionis) morbum. Sic enim ſanguis non in ſociam venam, & arteriam, ut debet, ſed in habitum corporis effunditur, atque ita non ſolum ſanguinis profuſio, ſed ſimul etiam fluxus inhibitio fit, cum nec illa mittat, nec hæc recipiat ſanguinem; ſed ſanguis, qui alterius venæ ſanguinem impellere debeat, à de-

bita aberrat via. *Deniq; etiam* ſi meatus ſanguinis motui dicati ſint nimis anguſti, adeò ut minus pateant, etiam non ita expeditè ſanguis expelli poteſt, & hæc meatuum anguſtia in iis apparet, qui atrophia laborant; videas enim in illis cætero corporis habitu benè conſtituto crura adeò extenuari, ut rugoſa cutis nil niſi oſſa tegat. Provenit vel à vaſis occluſis, vel à carne ipſa denſa. Si ex vena eſt, pulſum minorem deprehendes, id quod docent Fonticuli, qui ſemper pulſum in illo brachio minorem faciunt, in quo confecti ſunt.

Ob hanc vaſorum anguſtiam *menſes in juvenculis virginibus* nonnullis reſtagnantes plurimum faceſſunt negotii, ut varia inde oriantur Symptomata. Nec obſtat, quod dicant nonnulli, ſi adeſſet vaſorum anguſtia, menſium potius ſtillicidium oriri, & licet paulatim evacuentur, tamdiu tamen fluxum illum perſeverare, donec, quod ſuperfluum eſt, omne expulſum fuerit. Nam ſi viæ ſint anguſtæ, quomodo ſanguis menſtruus omnis expelli poteſt ſtato tempore? Neque neceſſe eſt, ut, quod propter viarum anguſtiam Natura præſtare non poteſt, temporis diuturnitate compenſet, cum natura mediante peculiari fermento in utero ſuo certis periodis abſolvat motus, quibus elapſis poſteà quieſcit. Et cum venæ & arteriæ, per quas ſanguis menſtruus effluit, plures ſint, fieri poteſt, ut aliquæ pateant, aliæ planè occluſæ ſint, per quas cum ſanguis effluere nequeat, paucior evacuabitur. Hoc in caſu vehementer moventia ab initio planè exulare debent, ſanguinem tantum irritantia, non autem promoventia verum moderatè agendum eſt, & ſimul viſcerum fermenta corrigentia interponenda ſunt.

In Obſtructionibus fundendis, inqvit Cl. Wallæus, interna Medicamenta parum faciunt, vix enim vigeſima illorum virium pars ad partem affectam pertingit. Præferenda itaqve ſunt externa, & inter illa Sal, qvod vehementiſſimè fundit. Huc qvadrat etiam Spiritus vini cum ſale.

Verùm dantur ejusmodi Deobſtruentia ſeu aperientia moderno tempore, quæ omnem è venis amurcam & obſtruentium contumaciam detergunt, etſi ſua ſoluta anaticè homogenea deſerant digeſta in nobis, illorum tamen aliquot vires mutuata ſunt, quas intrò deferunt plurimorum morborum domitrices, qualia *Sal Tartari volatile, Spiritus Salis Ammoniaci volatilis ſalſus. Spiritus Salis volatilis marini. Spiritus ⊖is volatilis, & alia ſalia volatilia vegetabilium ſpecifica, qvæ inſtar ſaponis cuncta abſtergunt, & fermenta viſcerum propter ſymbolum mirum in modum confortant. De qvibus vid. Cl. Helmontius.*

CAPUT

CAPUT. XXI.

De vitio humorum loco peccantium.

HActenus *humorum ſubſtantiâ, quantitate, qualitate, & motu peccantium conſideravimus medelam; Reſtat jam, ut & illos, qui loco peccant, examinemus.*

Eſt autem hîc *locus* ſpatium, qui à naturâ debetur *locato*, quod ſunt *humores*, à quo cùm deviant, aberrant.

Sunt autem *locus vel vaſa, venæ, arteriæ, vaſa lymphatica, vel cavitates, ſinus vel ventris, vel viſceris.* In his quando *humores* naturaliter deberent eſſe, & tamen extravaſantur; *vel quando* in his ſunt, cum natura extra illa eos habere voluerit, hoc vitium committunt. Quò pertinent vomitus ſanguinis, Abſceſſus in thorace, tumor in faucibus & adjacentibus partibus, hydrops univerſalis, cum totam corporis peripheriam, vel etiam abdominis cavitatem ſero repletam atq; diſtentam deprehendimus; *vel particularis*, cum ſaltim aliquam partem afficit, v. g. modo caput & cerebrum, modo pulmones, modo ventriculum, modo uterum, modo ſcrotum, vel femora, pedes aquis obruuntur & implentur. Sic & tumores inflammatorii in capite, faucibus, naribus, auribus, &c. hûc pertinent.

Aquam Hydropicorum in ventris infimi cavitatem exoneratam ſeverioris Medicinæ Antiſtites nihil purgantibus, diureticis & aliis præſidiis conferentibus demùm per paracentheſin tanquam extremum remedium educere ſatagunt. Quæritur itaq; non immeritò, an rectè in uſum trahatur.

CL. Wallæus hanc ut inutilem prædicat; nam quousq;, inquiens, quodlibet viſcus ſuo tono & robore conſtat, eousq; etiam pharmacis auſcultabit, & hinc, donec vires durent, purgare poteris. At ſi illa labaſcant, & tu ad παρακέντεσιν *illam confugis, certè nihil aliud, quàm aperto Marte vires jam anteà debilitatas prorſus deſtruas & infringas.*

Domin. Pancirol. Pentec. 2. obſ. 17. Agas quoquomodo libet, inquit, aut exire ſinas aquam paulatim, aut confertim, utrumq; inutile imò periculoſum erit, quod ægri citiùs ſic moriantur: Præter hæc, alia etiam incommoda in hâc ſectione oriuntur, nempè difficultas claudendi orificium à Paracenteſi inductum, nam nec turunda ex petiâ vel gentianâ aut cerato, aut quidlibet ſufficit: Abdomen enim continuò motu ad motum thoracis agitatum omnia reſpuit, aquæ verò ceratum adhærere non ſinit.

Huce accedit, quod Peritonæum, cum nervoſum ſit, non ferat citra periculum punctionem, aut ſectionem ullam, maximè; cum non tàm facilè fiat,

fiat, quin ſecetur ullum inteſtinum. Deindè, quod hæc aquæ eductio non tollat affectum ipſum, ſed ſymptoma, viſcerum autem corruptelam relinquat intactam.

Alii generoſum hoc præſidium ſummo extollunt elogio, inter quos Hollerius in comm. 6. lib. aph. 27. & lib. 1. de morb. intern. c. 37. & Aurelianus. lib. 3. tardar. Paſſion. cap. de ſect. hydropic. Sed ſervatis cautelis, quas tradit ipſe Hipp. 6. Epidem. ſ. 7. text. 11. Paulus lib. 6. cap. 50. imperantes, Paracenteſin tunc eſſe adminiſtrandam, & ſi æger adhuc ſit juvenis, robuſtus, morbi adſit initium, viſceribus nondum corruptis, & mali vehementia nullis præſidiis retundi & coërceri poſſit, verendumq; ſit, ut ob velociſſimum incrementum aliis remediis tolli poſſit, intrepidè, ſed non niſi cum prognoſtico inſtantibus & urgentibus ipſo ægro & adſtantibus in hanc conſentiendum eſſe. Sin ſecus fuerit, adeò, ut interanea jamdum ſint corrupta, à ſectione abſtineas, aliàs nihil aliud facies, quàm ut exhauſtis ampliùs ſpiritibus cum effuſo ſero corpus moribundum citiùs interficias. Unde Fabric. Hildanus centur. 1. obſ. 47. inquit: niſi viſcera interna ſana & illæſa fuerint, parum aut nibil ut plurimum inciſionem hanc ægrotis profuiſſe uſus & experientia edocuit. vid. & Valleſ. in comm. Hipp. libr. 6. Epidem. ſ. 7.

Si tamen *Paracenteſin* morbi tempora, ægrotorum vires & viſcerum conſtitutio permittant, videndum jam eſt; *quomodo & ubi illa ſit inſtituenda? Ejus modum præſcribunt Paulus Aëtius, Celſus, Fabric. ab aqua-pendent. Hildanus. Rodericus à Fonſecâ tom. 1. conſult. medic. 29.* Quoad *locum* communiter abdomen eligitur. *Alii ipſum ſecant umbilicum.* Apponunt ſcilicet cucurbitulam ſupra umbilicum, ut attrahat aquam, & vaſa umbilicalia dehiſcant; poſteà perforant cutem umbilici in medio anguſto ſtilo affixo ad cannulam, & ſimul perforant, & cannulam intromittunt, quæ perforata eſt infrà, & ad latera, ſuprà verò inverſa eſt, & reduplicatur ſupra cutẽ, ne introrſum nimis cañula permeet, extrahunt parum aquæ, & cerâ obturant cannulam, deinde ligant, & paulatim poſteà ſingulis diebus aquam educunt; *Alii latus infra umbilicum aperiunt. Hollerius ſub umbilico rectâ lineâ ductâ, aut etiam ilibus, qua parte minus eſt carnis ferè inter umbilicum & à coxa loco declivi. vid. Paulus lib. 6. c. 50. & Paræus lib. 7. de p. 1.*

Alii circumſpectiores apertionem ſcroti, ſed viſceribus etiam adhuc ſalvis & viribus robuſtis præferunt, quod turgidum vel ſcalpello, vel lanceta aperiendum, & poſtmodum ſetone apertum ſervandum eſt. Accidit nonnunquam Gangræna, ſed hæc non magni ſemper eſt momenti, facta

ti, factâ enim ſic viâ aquæ faciliùs effluunt, & tales gangrenæ cutaneæ non adeò curatu ſunt difficiles. *Hildanus c. 1. obſ. 48. & bina ejusmodi exempla obtigere D. D. Theodor. Schenck.*

Novam aquam hydropicorum educendi rationem Hollerius affert, nimirum quendam *unguium* in pedibus & manibus ad vivum usque *præciſione* hydropem & mortem ipſam aufugiſſe; Verùm quanto cum periculo hæc etiam cura ſit conjuncta, patet *ex Heinric. ab Heer obſ. 12. qui quendam Anno ætatis 59. cum ungues pedum ſibi reſecuisſet, atq; ad vivum penetraſſet mox gangræna correptum nec longè pòſt interiisſe teſtatur.* Hujusmodi igitur remedia cum adeò ſint periculosa, non facilè admittenda.

Scarificatio Crurum celebre fuit apud veteres remedium. *Hercules Saxonia ex Alexandr. Bened. lib. 15. curat. morb.* commendat quidē ſcarificationem cutis in abdomine, in talis autem & cruribus ob metum gangrænæ ab iis abſtinendum eſſe præcipit, ſed eandem *Langius* ſuâ experientiâ confirmat, & præſidium ſcarificationis malleoli interni memori animo condendum eſſe monet. Quam Experientiam etiam ante qvinquennium in *M. Tilemanno noſtro Olcario*, cum ex tertianâ duplici cum delirio conjunctâ poſtmodum in hydropem Aſcitem incidiſſet, & nihil conferentibus aliis remediis ad hanc crurum ſcarificationem proprio ſuo ac temerario auſu accederet, veram deprehendi. Aqva enim ſummâ cum εὐφορίᾳ inde evacuata fuit, & etiamnum vivit ſeptuagenarius ferè cæteroquin ſalvus & ab omni morborum inſultu incolumis.

Veſicantia an etiam conveniant? contentionis ſerra trahitur. *Alexander Masſaria* illa rejicit propter inflammationis periculum, & qvia partes illæ cutaneæ ſunt frigidæ, ſi exulceratæ aëri exponantur, facilè alterari posſunt, & ſic metuendum, ne gangræna accerſetur. Huic conſentit *Ludovicus Septalius lib. 7. animadverſ. §. 56. Quamvis duos, inquit, hydrope laborantes ſanatos viderim veſicis in cruribus per ſe excitatis & disruptis, multâq; aquâ per eam partem evacuata, exhibitis poſteà multis hepar roborantibus, nullos tamen unquam ſpatio hoc quadraginta annorum, quo in magnâ Mediolanenſi urbe medicinam facio, curatos vidi, quibus veſicantia cruribus admota fuêre, ſed ſemper gangrænæ ſubſeqvutæ ſunt curatu impoſſibiles.*

Hercules Saxonia lib. de Uſu veſicant. illa admittit, adſtipulante CL. Wallæo, qvi excitanda ſuadet in femore mediante illô *Paræi* in peſte veſicatorio vel alio. *Et certè, inquit, ſi illa veſica, quæ ad digiti unius longi-*

longitudinem & quatuor latitudinem inſurgit, aperta ſervari poſſit, multũ levaminis miſeris foret hydropicis. Ulcera aperta vel quadraginta vel ſexaginta dies ſervari oportet, ſuperpoſito fol. braſſicæ, uncto butyro aut oleo momento ceræ foramini impoſito; ſed manè & veſperi mutando. Locus ſi cœpit exulcerari, illinatur *ung. de Cerſſa, Lythargy. & ol. roſac. & ſi ulcus non poſſit ſanari, applicetur pulv. Salviæ ſiccæ. betonic. cum ſemin. carui. Dauci. fœnicul. cum ſpongia.* Nec obſtat, quod ulcera in hydropicis ob redundantem humorem non facilè ſanentur. *Hipp ſ. 6. aphor. 8.* Loquitur enim ibi Hipp. de ulceribus profundis, non de cutaneis, qvalia à veſicantibus inducuntur. Novi qvendam Medicum, jam quidem in defunctis, qui veſicantibus in ipſo abdomine excitatis & feroſis inde humoribus ſenſim ac ſenſim evacuatis plurimos Aſciticos ab initio feliciter reſtitueret, & poſtmodum adhibitis internis reliquias per ſudorem & urinam evacuantibus ac viſcera corroborantibus ad priſtinum ac ſanitatis plenũ deduceret.

Cauteria etiam non ſine fructu poſſunt adhiberi, ſummâ tamen in his etiam cautione opus eſt. *vid. Franciſc. Oswald. Grembs. in arbor. integr. & ruin. hom. l. 2. c. 1. §. 6. Heurnius lib. 3. meth. ad pr. p. 544. de obſervat. in cauter. uſu.*

In *Cavitate ventriculi* cruor qvandò colligitur, fit vel ex ruptis, vel apertis venis ad ventriculi fundum deſinentibꝰ; cui colligendo ſæpiꝰ anſam dant uteri vaſa obſtructa; Sic *anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo octavo* in *Martio nobilẽ quandã* (cujus nomine parco) *Virginem* plethoricã, cui tamen flos ætatis diem nuptialem ſubinde promitteret, menſtruâ ſuppresſione cum gravitate & laſſitudine torporis corporis per trimeſtre ferè ſpatium laborantem curavi. Præmiſſis autem, ut aſſolet, præmittendis nihil conferentibus poſt aperientium uſum bilioſorum aliorumq; crudorum humorum per alvum excretionem ſanguinis grumoſi vomitus inſigni in copiâ; ſed ægrę cũ εὐφορίᾳ excepit; Levata enim hinc non ſolùm ſymptomata, verùm in priſtinum vigorem etiam reſtituta totius corporis delicatuli œconomia. Sic & à liene, jecore obſtructis & æſtuantibus ſæpè malum hoc provenit; Et fieri etiam poteſt, ut venæ Meſaraicæ aperiantur & in inteſtina ſangvinem profundant In his & ſimilibus affectibus opus eſt remediis ſanguinem à ventriculo revellentibus, cruorem præſentem diſſolventibus & moderatè educentibus, apertionem venarum conſtringentibus & demum viſcera corroborantibus.

Humores in cavitate pectoris contenti, ſi *ſaltem tenues*, aut *craſſi*, tuſſiendo

ſiendo educuntur; Sin autem purulenti, nec per tusſim elevari queant, ipſis ſectione vel uſtione via ſternitur.

Craſſi, glutinoſi ac *viſcidi* debitè ſunt incidendi & attenuandi; *tenues* verò incraſſandi tàm internis, quàm externis remediis, priusquam tusſiendo educi posſint.

In *Materia tenui* ante ſomnũ ſumatur *cochl. j. Conſerv. Nenuphar. vel conſerv. roſar. rubr. cum. fl. ſulphuris, vel Bol. Armen. It. Sirup. violar. d. papav. ſ. cum aq. Tuſſilagin. It. Diapenid. miſceatur cum fl. ſulphur. it. Looch. ſan. & expert. cum aq. Looch. ſan. & expert. &c.*

In *Materia craſſa* conveniunt *oxymell. ſq. aq. aſthmatic. Veronic. c. vino Sirup. veronic. decoct. card. b. cum ſirup. card. b. decoct. calam. aromatic. cum Sirup. violar. Ambræ gr. ß. vel gr. j. in ovo ſorbili &c.*

Externè materiâ exiſtente in pectore tenui inungatur ſternum ſequenti linimento; Rec. adipis anſerin. ol. roſar. Nenuphar. ana ℥ij. mucilagin. ſem. cydon. ℥j. croci gr. v. M. f. in materiâ craſsâ Rec. Ung. dialth. ol. lini. ana ℥ii. mucilag. fœn. græc. ℥j. ol. d. Terebinth. ℥ß. M. vel Rec. ping. cati ſylv. & miſce cum ol. lumbric. terr. &c.

In Empyricis utrum ſectione vel uſtione inter tertiam & quartam coſtam celebratâ pectus aperire liceat? Videatur Zacut. Luſitan. lib. 2. prax. hiſtor. c. 11. Noſter Wallaus cum Guidone Cauliacenſi tract. 3. doctr. 2. c. 5. inter qvartam & quintã dorſi coſtam ſectionem inchoant, ne diaphragma membrum nobile ac nervoſum cultro tangatur & lædatur. Zacuto Hippocr. lib. de intern. affect. arridet ſententia, dum ait: Coſtam tertiam ab ultima usq; ad os ſecato; deinde cum terebrâ cavâ ultra perforato, & ubi perforata fuerit, aqva parum emittito. Ex quo loco patet & 6. aphor. 27. Hippocrat. non cutaneam intelligere uſtionem, qvalem intelligi putat Mercatus, ſed profundam; Et aliud etiã ipſe textus docet, qvi ita habet: Quicunq; Empyrici aut hydropici uruntur aut ſecantur, ſi pus aut aqva univerſim effluxerit, omninò moriuntur. Si enim nudâ uſtione talia ulcuſcula cutanea parari deberent, per qvæ pus ſenſim exſpiraret, nullo modo ſemel confertim evacuari & inde mortis periculum conciliari poſſet.

Summa tamen cautione in ſectione inſtituenda opus eſt. Et videndũ *primò*, an vires hanc operationem permittant? *Deindè* an Pulmones jamdum corrupti ſint, ut nulla convaleſcentiæ ſpes adſit? Si enim vires prohibeant, Pulmones ſint corrupti, nec æger ſectionem admittere velit, move manum de tabula. Contrà verò, ſi viribus adhuc valentibus, & pulmonibus adhuc integris tanta materiæ purulentæ copia adſit, ut non niſi per ſectionem aut uſtionem

evacuari queat, maturè ægro non refragrante ſectio inſtituenda, & foramine aperto paulatim pus extrahendum, juxtàque proſpiciendum, ne per apertum foramen aër ingrediatur, & vitalia membra refrigerentur. *Vid. Cl. Sennert. lib. 2. part. 2. cap. 19. prax. Medicin.*

Huc referenda eſt etiam *Laryngotomia ſeu aſperæ Arteriæ apertio*, quæ in *Angina* & aliis *inflammatoriis tumoribus* celebrari ſolet. *De qua vid. Aretæus lib. 1. de curat. acut. c. 7. Rod. à Fonſeca tom. 1. conſult. 22. Ranchinus ſect. 3. in Guid. Apoſt. quæſt. Chirurg. 11. Nicol. Fontanus in Not. ad Seb. Auſtrium de morb. puer. Joh. Scultetus Armam. Chir. Tab. 34.*

Ubi *Humor Capiti* eſt impactus, & à naturâ ad nares proſcribatur, *Errhina & Sternutatoria* conveniunt, ſin ad palatum *Apophlegmatiſmi* ſunt ordinandi.

Errhina ſunt Medicamenta, quæ cerebro & meningibus circumfuſa evocant, illarumq; facultatem movent, ut ad ſuperfluenda ejicienda inſurgant. *Sternutatoria* autem fortiora ſunt; hæc enim etiam aperiunt quidem, ſed & irritant, tenaces ſuccos fundunt, & membranas vellicant, ut ſternutamento moto natura ſtimulata ſponte ſuâ deinceps ſuperfluos humores impetu propellat. Ex quorum numero ſunt *Majorana, beta rubra, nigella, pulegium, caſtoreum, fl. lilior. convall. Nicotian. &c.* De hiſce tamen notandum, non niſi purgato corpore eſſe concedenda, & alvum à cibis debere eſſe vacuam. *Utrum autem in oculorum affectibus ſint uſui? Vid. Zacut. Luſit. in prax. hiſtor. lib. 1. cap. 13. Aliàs in ſoporoſis & diuturnis capitis affectibus, in Epilepſiâ, convulſionibus, narium obſtructionibus & odoratus difficultate ducuntur in uſum.*

Apophlegmatiſmi etiam penitiores cerebri ſinus evacuant, & utiles ſunt in ſoporoſis affectibus, oculorum hebetudine, auditus difficultate, & lingvæ paralyſi. Ab hiſce caveas in palati, gutturis, gulæ aut laryngis internis exulcerationibus, & deſtillationibus ad fauces & pectus. In his enim potius materia à capite affluens alio derivanda, quàm alliciendа eſt.

Si *Humor frigidus & craſſus in capite* eſt, calefieri & attenuari debet *inunctione, ſacculis, pulveribus, cerotis & Emplaſtris*, non verò *fomentis, Embrochis & lotionibus*, quæ actuali ſuâ humiditate & frigiditate caput offendere poſſunt, & licet calidè applicentur, ſtatim tamen iterum refrigerantur, repetitas verò applicationes hæc pars non patitur.

Ea, quæ *Auribus* applicantur, ſunt vel in formâ liquoris, ut *lac muliebre, fella animalium, ſuccus cepæ cum ovis formicarum in ſurditate, decoctũ hordei cũ melle roſaceo in earundem dolore, oleum coryli in vermibus &c.*

&c. Vel in formâ vaporis, qvi è pane calente aut ex decocto plantarum excipitur. Vel ſunt in forma ſicca vel Linimentorum, qvæ goſſypio excepta auribus imponuntur.

Notandum tamen *primò* Acria non eſſe auribus inſtillanda, ſed goſſypio excepta indenda. *Deindè* omnia tepidè eſſe inſtillanda. *Tertiò* ab opiatis eſſe abſtinendum.

Humores in carne hærentes vel partim adhuc in vaſis ſunt, partim jam extra illa, vel jam prorſus extra vaſa ſunt. Priora Duo Derivatio dicta per V.S. in loco cum parte affectâ vicino inſtituta corrigit. Quamvis hæc aliqualis etiam ſit *Revulſio*, ſi pedum ac manuum excipias venas, in quibus vera haberi poteſt *Derivatio*, in aliis autem, ut venâ frontis & ranariâ, quæ pro *Derivatione* aperiri ſolent, potius *eſt Revulſio*, quàm *Derivatio*. In hâc ſanguis, qui anteà in Venis immotus perſiſtebat, vicinâ incisâ venâ motum recuperat, quatenus per ſectam venam effecimus, ut iterum majori impetu ſanguis per arterias ad partem affectam ruat. Sic enim illud, quod anteà impedimento erat, quo minùs naturaliter ferri poſſet, tollitur, ſanguisque iterum ex arteriis minoribus in minores movetur venas.

Si pro *Derivationis* ſcopo phlebotomiam adminiſtramus, non tàm largâ manu ac in *Revulſione* id faciamus. Quæ de ſanguine, quem tam diu emittendum eſſe pro *Derivatione* prædicant, donec in colore ſuo mutetur, doctæ Doctorum nugæ ſunt.

Qvod ſi autem *Humores* jam ad aliquam partem fluant, vel recens influxerint, nondum autem prorſus ſint impacti, *Repellentia* conveniunt, quæ repellunt, reprimunt ac retrudunt, hoſce autem ita repelli poſſe, variolæ, morbilli, petechiæ, & alia exanthemata ſatis ſunt documento, quæ levi aëris frigidi appulſu retrocedentia cum internecione laborantium ne ullum ſæpè ſui ampliùs relinquunt veſtigium; Id quod & in Bubonibus Peſtilentialibus, qui prius vel pone aures, vel ſub axillis, vel inguinibus effloruerunt, fit manifeſtum. Experimur etiam in aliis affectibus *varias humorum μεταστάσεις*, omnia in corpore noſtro *σύῤῥῦντα, συμπνοῦντα, καὶ συμπάσχοντα* eſſe doctrina eſt *Hippocratis*. Circulationis ſanguinis Patroni hanc rem facilè dant expeditam.

Repellentia craſsâ & terrenâ conſtant ſubſtantiâ, quæ ſeſe acerbo, auſtero, & adſtringenti ſuo ſapore prodit, hæc apta nata eſt partis ſubſtantiam coarctare, conſtringere, & ita influentem humorem revocare poteſt: Ideoque adhibenda ſtatim ſunt in principio fluxionis corpore prius evacuato.

Locus, à qvo repellendum, ſunt *vel manus, vel brachium, vel femur,*

 vel

vel tibia, vel pes, ut in illorum vulneribus, fracturis, luxationibus &c. inflammationes præcaveantur. Licet & ab extra illa applicare in Hepatis, lienis, renum aut aliarum partium inflammationibus. Item, ſi in vertigine animadvertatur, fuligines per vaſa externa adſcendere, tunc locum etiam habent. Si verò per interna adſcendant, tantum abeſt, ut proſint, ut etiam noceant, cum fuligines non reprimant, ſed in caput elevatas potius retineant. Eadem etiam ratio eſt in Cephalalgiâ, Pleuritide & aliis affectibus.

De *illorum* igitur *uſu* notandum eſt *Primò,* ſi à critico humorum motu affectus aliquis in parte excitetur, natura autem rectè agat & humorem vitioſum è corpore exterminare velit, tunc utique Repellentium nullus erit uſus, ſed naturæ rectè agenti totum eſt committendum negotium.

Deindè, nec repellentia adhibere tutum erit, dum humores, præſertim maligni & venenati cum εὐφορίᾳ ægroti & bonâ Naturæ intentione à partibus nobilioribus ad ignobiliora, id eſt, emunctoria cerebri, ipſas ſcilicet parotides, glandulas axillares & inguinales protruduntur. Hiſce enim contrarium moliri motum nefas eſt. *Galen. lib. 3. compoſ. Medic. ſec. loc. cap. 2.*

Tertiò, ſi in parte affectâ dolor admodum urgeat, hic prius anodynis demulcendus eſt, quàm repellentia adhibeantur; hæc enim comprimendo & conſtringendo dolorem exacerbant, *Gal. l. 2. ad Glauc. c. 2.*

Qvartò evacuantia, revellentia, derivantia, & intercipientia ſemper vel præmittenda vel intermedianda, antequam repellentia ad uſum trahantur; Secus enim ſi fieret, humores retrocedere non poſſent, ſed magis impingerentur, aut ad nobiliꝰ aliquod transferrentur membrũ.

Quintò, quando fluxio facta eſt ad partem aliquam principi vicinã v. g. ſi Eryſipelas ortum in facie; Repellentia exulent, ne retrogreſſis humoribus cerebrum patiatur offenſam.

De ipſorum repellentium materiâ vid. Joh. Fernel. l. 6. Meth. Med. c. 2.

Si verò jam Humores usqve adeò partibus infarctos eſſe, conjectura eſt, ut omni fluendi & refluendi habilitate ſint orbati, videndum, utrum fluxus Humorum in augmento, ſtatu, & declinatione; deinde utrum ipſi humores ſint vel tenues, pauci, & ſub cute molliore ſiti; an verò craſſi, copioſi & effrænati?

Si *tenues fuerint & finis augmenti vel ſtatus & declinatio immineat, diſcutientia Medicamenta adhibenda ſunt. Craſſis verò exiſtentibus, non repellentia, qvemadmodum vult CL.* W*allæus, ſed emollientia & ſuppurantia ſatisfacient. Horum uſus freqventiſſimus eſt in tumoribus, & tuberculis inflammatoriis, cum ſcilicet fluxio eſt ſedata, & materia impacta inſenſibiliter digeri & diſcuti nequit. ILLORUM* Materiâ pleni ſunt undiq; Libri Medici Practici.

LIB. II.

LIBER II.

CAPUT PRIMUM DE SPIRITUUM VITIIS corrigendis.

AB *humoribus deſcendimus ad Spiritus.* De quibus quamvis alii Doctores in *Methodo Medendi* altum teneant ſilentium, tamen cùm *Hipp. lib. de flatibus & 6. Epidem. ſect. 8.* hos etiam inter morborum cauſas referat, non video, quare & methodi cynoſuræ non ſint ſubjecti; cùm & proximum ſint animæ inſtrumentum, omnis vitæ, ſenſationis, motus & aliarum actionum naturalium principalis cauſa; Et contrà à ſcopo naturali aberrantes tot modis peccare posſint, *quot humores, ſubſtantiâ ſcilicet, quantitate, qualitate, motu & loco,* tot modis etiam iterum corrigi poſſunt. Sunt autem vel *Vitales*, vel *Animales*, vel *Genitales.*

Spiritus Vitales ſubſtantiâ poſſe peccare, nullum eſt dubium. Præterquam enim, quod Elementaris ſint naturæ ex ſubtilisſimâ maſſæ ſanguineæ parte producti, tàm ſubitaneæ inſuper & multiplici mutationi & corruptioni ſunt obnoxii; ut facilè à malignâ ac venenatâ aurâ, ſive illa extra adveniat, vel à veneno admoto per morſum aut ictũ venenatorum animalium, vel exhalationibus venenatis afficiantur & deſtruantur; *Spirituum animalium* ſubſtantiam invertunt etiam vel intus generati ac elevati vitioſi vapores aut fuligines, quæ totâ ſubſtantiâ cerebro ac nervoſo generi infeſtæ ſunt, ut videmus in vermibus ſanguine menſtruo corrupto, Epilepſiâ, catalepſi, ſtupore, affectibus ſoporoſis &c. vel quæ etiam extrà adveniunt & applicantur, ut beſtiarum venenatarum ictus vapores ex Mercurio. *vid. Langius libro 1. Epiſtol. 43. Ferdinandus Pomzettus lib. 2. de venen. cap. 21. Fernelius de lue vener. cap. 7. item fumus ex carbonibus accenſus in conclavi occluſo. Canis rabidi morſus &c. Spiritus genitalis* ſubſtantia labaſcit, vel ab intus corruptis humoribus furiale virus exæquantibus, & in viſcera reliqua ſævien-

ſævientibus, vel ab extrà applicitis, qualia *unguenta opiata narcotica, Mercurialia item genitalibus illita*, ſicuti ejus rei hiſtoriam ex obſervat. *D. Jacobi Oethei Schenckius lib. 4. obſerv.* habet cujusdam, qui pudenda ad pediculos ejus loci necandos unguento & Mercurio confecto aliquoties illevisſet, ſenſit partes genitales frigidas ac rigidas, & ad Venerem planè ineptas. Quo pertinent & incantamenta Spiritum genitalem exſtinguentia, de quibus *vid. Alex. Benedict. libr. 24. de Medendis cap. 14. Baptiſta Codronchius libr. 3. cap. 6. de morb. venefic.*

Quantitatis vitium conſiſtit *vel in defectu, vel in Exceſſu.* Sin actio in noſtro corpore debet eſſe naturalis & legitima, juſta proportio, & copia conveniens *Spirituum* requiratur neceſſe eſt. Si *Spiritus* deficiant, actio debita fieri nequit. Sic ſi *in exiguâ nimis quantitate Spiritus vitales generentur, aut reſolvantur, aut alio abripiantur aut vulneratis partibus unà cum ſanguine effundantur, actiones vitalis facultatis abolentur aut imminuuntur. Non generantur vel defectu alimenti, vel generatricis facultatis vitio. Deficit alimentum* in nimiis hæmorrhagiis, in calore intenſisſimo, qui alimentum abſumit, uti videmus in ſudoribus diaphoreticis, febribus colliquativis &c. *Facultatis generatricis* culpâ Spiritus vitales non generantur, cũ ipſa cordis ſubſtantia, quæ Spiritus generat, ſeſe minus rectè habet, id quod fit in febribus ſyncopalibus, malignis, peſtilentibus, *hecticis* &c. *Spiritus à corde avertuntur & diſſipantur* in aëris æſtu, balneis, nimiis animi & corporis motibus, vigiliis, fame, & inediâ diuturnâ, Venere nimiâ, doloribus partium vehementibus, & imprimis earum, quæ cum corde habent conſenſum; item Evacuationibus nimiis *vel ſanguinis* per nares, uterum, hæmorrhoides &c. *vel humorum* excrementitiorũ per vomitum, urinam, alvum, ſudores &c.

Ex defectû Spirituum vitalium ut plurimùm Animales etiam deficiunt & deficientibus hisce necesſariò etiam Genitales periclitantur.

Spiritus Vitales præter imminutam quantitatem etiam aucti peccare posſunt. Cum enim inter omne agens & patiens certa & juſta requiratur proportio, etiam inter Spiritus agentes & partem patientem eam dari debere neceſſe eſt, aliàs non ſecus ac mola nimio vento frangitur, ita etiam partes à nimio Spirituum influxu corrumpuntur. Exemplum præbent *Spiritus vitales*, dum in conſternatione nimiâ & repentinâ ſubitò ad cor confluunt. Item *Spiritus animales*, dum in copiâ ad cerebrum rapiuntur, ibiq; Cephalalgiam, vertiginem & alias pariunt moleſtias. *Genitalium Spirituum* in-

um incrementum Gonorrhœa, non virulenta, illa, ſed à ſemine nimis ſpirituoſo proveniens probat. *Novi hîc juvenem, inquit CL. Wallaus, triginta annorum, qui ejusmodi Gonorrhœâ correptg à Spirituum copiâ adeò exagitabatur, ut quietis pedibus inniti non poſſet, ſed ſemper nunc ſublatâ, nunc demiſſa calce trepidaret. Huc applicanda etiam nonnulla, quæ Galenus de loc. affect. lib. 6. cap. 5. de morbis & ſymptomat. quæ à ſemine retento proveniunt, proponit.*

Quoad qualitatem ſi Spiritus vitales nimium incaleſcant & fervorem concipiant, pulſationibus majoribus & celerioribus arteriarum ac aliàs naturali in ſtatu fieri ſolet, fremunt & tumultuantur, id quod fit in febribus acutis, inflammationibus internis; Et hisce fervidiſſimis exiſtentibus imposſibile, quin *& animales* in ca ore exaltentur & fervidiores reddantur, ut videmus in *Phrenitide, maniâ* &c. *Genitales Spiritus calidiores* actionibus etiam obſunt partium genitalium & præternaturales edunt effectus. *Frigidi contrà Spiritus* omnes hebetant actiones.

Si Spiritus vitales juſtô craſſiores fuerint, *Animales* etiam crasſiores fiant, neceſſe eſt, unde & actiones animales quoq; ſeſe minùs rectè habent, ſed torpidiores ſunt. *Si Spirituum animalium puritas* propter vaporum alienorum admiſtionem adulteretur, actiones etiã animales variè læduntur. *Si vapores frigidi* ipſis admiſceantur, quaſi inertes & languidi redduntur: *Si fuerint calidi,* quales in febricitantibus, vini potatoribus. &c. adſcendunt, variæ animi mutationes & quaſi deliria pro cerebri & humorum in corpore variâ diſpoſitione excitantur. *Si vapores fuerint obſcuri,* tenebricoſi & turbidi, naturalem ſuam luciditatem & ſplendorem amittunt *Spiritus animales*, & ipſi caliginoſi, nebuloſi, opaci ac nigri fiunt. Hujus copiâ qui abundant, triſtes & melancholici ſunt. Sicuti enim externæ tenebræ pavorẽ homini inducunt, ſic atræ bilis color (quâ redundante ſpiritus nigri propullulant, qui mentis ſedem tenebris obfuſcant & timorem incutiunt) mœſtitiam concitat *Gal. 3. de loc. cap. 7.* Hi ſpiritus vexant Melancholicos & quibus Lien atri humoris copiâ fermentalis turget; ex hoc tanquam fonte perenni ſcaturit pulſatio illa hypochondriorum, *cujus Hipp. libr. 2. Prognoſtic. mentionem facit.* Hi turbidi etiam & nebuloſi Spiritus opprimunt cor, & palpitationem creant. *Gal. libr. de Rigor. & Palpitat. cap. 5.* Hi vehementer inſoleſcunt in virginibꝰ, quæ Menſium laborant ſuppresſione, unde formido, deſperatio, angor, & alia ſuccreſcunt ſymptomata terroris plena.

plena. *Hipp. libr. de virgin. Morb.*

Quoad *motum*: *motus Spirituum* vel *nimius eſt*, ut videmus in concitatis illis & inquietis, in animi affectibus, irâ, gaudio. *Vel Inordinatus*, cum vel Spiritus vitales ſubitò ad cor confluunt, ut accidit in conſternatione nimiâ, *vel Spiritus animales inordinato cientur motu*, ut in vertigine & aliis ſymptomatibus; *Vel deficiens, ſi Spiritus non moveantur & in organa ſenſuum non influant*, ut contingit in affectibus ſoporoſis, catalepſi &c. *vel cum vapores craſſi ab hypochondriis elevati* arterias replent, ut Spiritus liberè moveri nequeant, *vel cum circa cor & membra vicina fuligines cumulantur & læſâ reſpiratione non expelluntur.*

Quoad locum, ſi *Spiritus* extra locum naturalem ſunt, non exſeqvuntur, quod debent, & ſunt vel *in partibus*, *vel in cavitatibus*. Si *in partibus* exiſtunt, occupant *vel ipſa vaſa*, *vel extra ea* conſiſtunt. *In morbis pectoris ſuffocantibus πνευματίας obſervamus, & in Tympanitide videmus Spiritus in flatus reſolutos. vid. Hipp. de Flatibus.*

Perſpectâ *Affectus* & *Symptomatũ* qualitate, & modo haud difficulter ad *medelæ* cognitionem deduci poſſumus Quantum cognoſcimus, tantum curamus; Et facilis *morborum* notitia expeditam reddit *medicamentorum* inventionem. Et cùm ſuprà oſtendimus, *Spiritus vitales ſubſtantiâ peccantes vel à maligna ac venenata aura, vel à veneno admoto, vel exhalationibus venenatis affici, certè evidentiſſimum eſt, ſpecifica Alexipharmaca tàm interna, quàm externa, quæ præter vim depurativã unà etiam cordis tonum conſervant, & robur vitale augent, hîc in uſum eſſe trahenda. Proindè omnia illa exhibenda, quæ tùm ex vegetabilium, tùm animalium, tùm mineralium fonte huic indicationi apta videntur, qualia inter vegetabilia Zedoaria, angelica, petaſites, ſcordium, dictamnus, baccæ juniperi, ſambuci, fraxinus, contraierva, camphora & exinde parata medicamenta mixtura ſ. tinctura bezoardica D. D. Michaëlis, ſpirit. theriacal. camphor. it. theriaca ipſa cum aceto theriacali. Ex animalibus lapis bezoar. or. verg. ſal viperinum. Unicornu verum* &c. *Ex mineralibus fl. 🜍ris. lac 🜍ris. Aurum fulminans. 🜍 ☉lare. Cinnabar. ♁nii. bezoardic. mineral. ſ. &c. ex ☉. ♃. ♂te &c. Externè varia ſuffumigia & Epithemata parari poſſunt ex bacc. juniper. 🜍re &c.*

Spiritus Animales, ut & Genitales à Medicamentis Mercurialibus affectos corrigunt *decoct. radic. Emt. fœnicul. Eſſ. Salviæ. fl. anthos. Specific. cephalic. D. D. Michaël. 🜍 ☉lare ♁nii bezoardic. ☽. ſin à narcoticis labem aliquam contraxerint, Caſtoreum & exinde parata Medicamenta*

camenta cum lixivioſis ſufficiunt.

In *quantitate deficientes Spiritus generari debent & colligi.* Facimus hoc, *primò*, dum Materiam ſuppeditamus, ex quâ generantur; *Deindè*, dum partes corroboramus, quæ Spiritus recipere debent. *Tertiò*, ſi impedimus, ne iterum diſſipentur. *Materiam Spiritibus vitalibus* præbent alimenta, quæ bonum & multum ſuccum generant, & facilè concoqvuntur, eaq; in quantitate parvâ, & ſæpè exhibenda, qualia jura inſtaurantia, de quibus *vid. CL. Sennert. inſtitut. lib. 5. part. 3. ſect. 3. cap. 2.* Et *vina odorata*, cujus generis ſunt *Rhenarum & Neccarinum, & panis albi mica eô madida*, cui pro morbo exigente *Confect. alkermes, ſucc. granator, citri &c.* addi poſsũt. Partes corroboramus, dum illarum tonum conſervamus & Spiritus reficimus, quod præſtat aromatica, ex quorum cenſu *Cinamomum, ejusq; oleum, Macis, cariophylli parum faciunt.* Hîc tamen ad cauſas ſimul reſpiciendum eſt, ne, dum Spiritus reficere volumus, *monente CL. Sennerto practic. medic. lib. 3. part. 4. cap. 5. & in Paralipomen.* cauſam augeamus; *ideoq; in imbecillitate Spiritus vitalis à febre acutâ vel hecticâ calefacientia & exſiccantia non conveniunt, ſed temperata.*

Ad *Spiritus animales* reficiendos & augendus plurimum etiam poteſt *vinum bonum*, ut & *ambra griſea Orientalis in ſubſtantia maſticata & ſenſium deglutita ad ʒß. Cujus etiam eſſentia legitimè præparata omnem excedit laudem; Præ omnibus etiam ſatisfacit eſſentia roris marini, lavendulæ &c.* Reliqua, quæ hîc ab Authoribus commendantur, parum faciunt. *De externis conſulendi ſunt Practici.*

Spiritus demum non diſſipantur, ſi caveat æger ſibi ab omni dolore & motu, tàm animi, quàm corporis.

Spiritus qvantitate excedentes corrigimus tum Venaſectione mediocri, tum pabulo ſubtrahendo materiæ ſpirituum, id qvod peragitur inediâ, victu & Medicamentis frigidis, qualia ſaccharum Saturni; Camphora; Eſſ. caſtitat. D. D. Michaëlis &c.

Si Spiritus nimis fuerint *calidi & ſulphurei*, ſunt mitigandi & refrigerandi oleoſis, & frigidis. *Emulſiones ex ſemin. 4. fr. major. & ſemin. pav. alb. cum aq. acetoſ. hîc plurimum qvidem faciunt, ſed nec excludenda alia vehicula Spiritui Vitrioli volatili vel ſtriato nupta.*

Nimis *craſſi & frigidi corriguntur balſamicis calidis & ſulphureis*, qualia *Vinum & Aromatica, ſic enim magis ſpirituoſi & ſulphurei reddũtur.*

Naturalem *Spiritus animalis* pelluciditatem reſtituunt *Tinctura lapid. Lazuli. corallor. v. ſmaragd.* item *pulvis Saphir. diſſolut. in ſucco*

 Limon.

Limon, ad ℥j. Roderic. à Fonſec. conſult. tom. 2. conſil. 82. Ambra griſ. confect. alkermes. Lapis bezoar Or. genuinus &c.

Spiritus Motu peccantes tum intercipientibus, qvalia conſtrictio, Venæſectio moderata, & Medicamenta topica adſtringentia ſunt, tum incraſſantibus internis & externis, tum Narcoticis ſiſtimus; Motum nimis parvum vino & aromaticis balſamicis promovemus.

Si Spiritus Loco peccantes hæreant in interioribus, ſudores per diaphoretica ſunt excitandi. Si in exteriori ſunt parte, habitus corporis conſtrictior fieri debet, & utamur repellentibus. Si verò jam in aliqva certa parte hærent, venæſectione diſſipabimus, & impediemus, ne plus eorum eò confluat. Conſtrictio in hoc caſu periculoſa eſt.

CAPUT II.
De Partibus Curandis.

QVomodo morborum cauſæ à ſex rebus non Naturalibus dependentes ſimulq; Humores & Spiritus ſint emendandi, docuimus hactenus; Et certè in illo totius fermè curationis cardo vertitur. Eſt tamen etiam, qvòd Partium morbi ſuam poſtulent curationem.

Illi, qvi partibus tantùm morbos intemperiei & conformationis aſſignant, non poſſunt illos morbos includere, ubi Partes Motu peccant, Ventriculus & inteſtina in cholerâ; Uterus in ſuffocatione hystericâ.

Competunt autem Partibus ex more inter Doctores recepto tum intemperies, tum mala conformatio; qvæ ſententia adeò mala quidem non eſt; arbitramur tamen rem breviorem & dilucidiorem fore, ſi Partibus non ſecus ac Humoribus & Spiritibus qvinq; etiam vitiorum genera adſcribantur, ita ut eas Subſtantiâ, Qvantitate, Qvalitate, Motu & Loco peccantes ſtatuamus.

Subſtantiâ peccant in Gangrana, Sphacelo, Cancro & Fungo.

In *Gangrana* nondum adeſt perfecta Partis in Subſtantiâ corruptio, ſed ſaltem incipiens, ut partem occupet rubedo, ejusq; ſenſus & motus deficiat.

In *Sphacelo* autem pars omni nō ſolùm ſenſu & motu, imò vitâ deſtituta eſt, ſed & perfecta adeſt cum fœtore corruptio & putrefactio.

Gangrana molliores utplurimū partes, ut cutem, muſculos, arterias, venas, & nervos afficit. *Sphacelus* verò ipſa oſſa ſæpe depopulatur & corrumpit.

Gangrana, quæ non magna eſt, per manum expeditam chirurgicā curationem admittit; Et pro cauſarum varietate diverſa eſt. Oritur enim vel *à phlegmone alicujus partis* inſigni, ut Eryſipelate &c. vel *ex partis congelatione*, vel *ex malignitate*; &c.

Si

Si *Gangræna* phlegmone ſive ingens inflammatio alicujus partis dedit ortum, illicò ſanguis aduſtus & concretus ex parte affectâ per profundas ſcarificationes usque ad partes ſanas inflictas impoſitis cucurbitulis; exqviſitisſimè evocandus. Et ut hoc commodiùs fiat, locus affectus prius aqvâ ſalsâ calidâ diu fovendus, donec ſanguis grumoſus videatur reſolutus: Et ſanguine expreſſo vulnus ſeq. mundificativo eluendum:

Rec. Summit. ſcordii m. iij.
Chelidon. cum radic. rec. m. ij.
Lupinor. m. j.
Aceti vini.
Lixivii fortiſſ. ana ℔ij.

Coq. ad tertias, in colatura disſolve

Aloës.
Myrrh. ana ℥ij.
Mell. roſ. colat. ℥vj.
Spirit. vini opt. ℥jß.

facta ablutione Ung. Ægyptiacum & ſupra illud Epithema ſeq. calidè applicetur, prius ſuper prunas benè agitatum.

Rec. Lixiv. calc. viv. ℔ij. aceti vini ℔iß.
Lithargyr. argent. ℥ix.
Alumin. crud. ℥vj.

bulliant ſimul: adde

Pulv. Maſtich.
Oliban.
Myrrh. ana ℥ß.
Camphor. ℥ij.

Intinge lineas faſcias. Hoc defenſivum eſt inſigne ſæpius in Gangræna & aliis inflammationibus à me probatum.

Interim minimè negligenda ſunt *revellentia, derivantia, & juſta victûs ratio*, nec prætereunda *Spirituum vitalium & cordis per convenientia remedia confortatio*, qualia Lapis Bezoar Or. verus & genuinus. Oſſ. de corde cervi ſ. ign. CC. ſ. ign. Ebur. ſ. ign. unicornu verum cum confect. alkerm. in aq. Meliſſ. flor. borragin. cinamom. It. Theriaca cum ſucco granator. Tinctura Bezoardic. D. Michaël. cum Eſſ. Lignor. &c.

Sin ex *Eryſipelate* malè curato oriatur *Gangræna* pars affecta etiam prius ſcarificanda ad vivum; Deinde lavanda decocto ſeq.

Rec. Aq. Endiv.
Lactuc. ana ℔j.
Aceti ℔ß.
Scordii
fl. ſambuc. ana m. ß.
Lupinor. ℥ij.

Coque ad conſumptionem tertiæ partis. Parti lotæ applica Ægyptiacum. Denique Cataplaſma ſeq.

Rec. farin. fabar.
Lupinor.
Hordei ana ℥iß.
Scordii. ℥i.
Cum oxymelite ſ. q. f. Cataplaſma.

Ad eſcharæ caſum procurandum applican-

applicandus ſuccus porrorum cum ſale: Vel:

Rec. farin. ervi.
radic. ariſtol. rot.
Irid. fl.
Vincetoxic.
Angelic. ana ℥ß.
Theriac. ℨij.
c. ſ. q. Mellis roſ. f. Unguent.

Si *Gangræna fuerit orta ex inflammatione cum tumore* ob ſiniſtrè inſtitutam venæſectionem, pars prius ſcarificata humectanda eſt Spiritu Salis vel ſulphuris: Spiritus Salis enim ſuâ efficaciâ hîc ſe exhibet virtuoſisſimum, cum putredini Herculeô ſucceſſu adverſetur & Sal balſami Naturalis acre factum reducat & mitiget, id quod conſtat Experientiâ. Nam ſalia lixivioſa in Spiritu Salis rectific. ſoluta omnem acredinem amittunt: unde & Spiritus hic externis applicatus Gangrænis Narcoticum remedium eſt ſummum. Poſteà pars fovenda calidè Spiritu Vini, in quo pulveres aloës & myrrh. infuſi: inſpergantur unà pulveres dicti toti parti in magnâ quantitate, & ſupra hos applicentur lintea Spiritu Vini madefacta. *Gangrænâ* ſic cohibitâ pars mortificata à viva ſeparanda admoto digeſtivo ex vitell. ovor. terebinth. & melle; ac poſt integram ſeparationem Epuloticis curatio eſt abſolvenda.

Si *Gangræna ex congelatione*, & incipiat duntaxat affectus, ſtatim aquâ frigidisſimâ irrigandus aut nive perfricandus eſt Locus affectus. Sin autem inveteratus eſt morbus, tunc ab aquâ frigidâ abſtineas. Ex ſedato autem à frigidâ dolore pungente conjicies ipſam quoque congelationem eſſe mitigatam, ideoque miſſam facies aquam frigidam aut nivem, & Lenes frictiones adhibebis; Poſteà fomentationes ex baccis lauri, roriſmarini, ſalviæ, Lavend. cum lacte coctis; aut circumponendæ partibus congelatis veſicæ lacte calido plenæ. Per os exhibenda Theriaca in vino generoſo diſſoluta cum confect. alkermes, Lapid. Bezoar. &c. Denique parti affectæ inungendum ol. Philoſophor. ceræ, terebinthin. &c.

Nota: Hic ab initio defenſiva locum non habent; nulla enim adeſt humorum affluxio. Si plethora adfuerit, & propter doloris vehementiam affluxio humorum & inflammatio acceſſerit, tunc poſſunt applicari defenſiva ad repellendos humores, qui affluunt. Interim calidum innatū partis affectæ ex congelatione nimium debilitatum conſervandum & refocillandum eſt fomentis ex fol. lauri. meliſſ. roriſmarin. rut. origan. ſcordii. rad. vincetoxic. angelic. &c. in vino albo paratis.

In *Gangrænâ ex malignitate* eò annitendum, ut ſtatim extrahatur & evacuetur materia maligna: ideoque

que ſcarificanda pars profundius, & tantum ſanguinis effundendum, quantum effluere poteſt, vel cum hirudinibus, vel cucurbitulis: *Deindè* abluenda pars læſa decocto ſequenti;

Rec. radic. angelic.
vincetoxic.
Lupinor. ana ℥ß.
h. ſcordii.
rutæ
dictamni noſtrat. ana m. j.
coq. in lixivio ad conſumptionem tertiæ partis, in ℔ij. colaturæ diſſolve Theriac. ℥ß.
Succi citri ℥j.

hoc decocto calidè diligenter ablotis ſcarificationem veſtigiis & Unguento Ægytiaco inuncto applicetur cataplaſma ſequens calidiuſculum:

Rec. farinæ Lupinor.
fermenti acris
alliorum ſub prunis coctorum ana ℥j.
pulv. fol. ſcordii
radic. angelic. ana ℥ß.
Theriac. A.
Mithridat. ana ℥vj.
cum decocto ſcordii fiat Emplaſtrũ in mortario.

Exindè aufferenda eſchara ſucco porrorum vel novaculâ. Deniq; ulcꝰ diu apertũ tenendũ, quò materia maligna continuò effluere poſſit.

Quod ſi hæc non ſatisfecerint, deveniendum eſt ad cauterium potentiale & actuale. Tutum eſt *butyrum antimonii*, ſi eo circulari tantum illinitione pars ſana à ſyderatâ diſcernatur, putredo non latiùs ſerpet. Non inconveniens eſt etiam ſequẽs

Rec. Sp. Salis rectificat.
Vitriol. fortiſſ. ana ℥jß.
Salis Ammoniac. ℥j.
Miſce.

Nec minus bonum eſt Principis Anhaldini:

Rec. Antimonii calcinati ℥jv.
Mercurii ſublimati ℥ij.
Sal. Ammoniac. ℥jß.
Tartari calcinati ℥j.
deſtilla & rectifica.

Palmarium inter hæc eſt oleum calcis vivæ.

Internè ægro propinetur Theriaca. Lapis bezoar. or. confect. alkermes in aq. cinamomi &c.

Ex materiâ malignâ extra corpus genitâ veluti à morſu venenato, aut ſepticis adhibitis neceſſe eſt cauterii actualis ope urere & abſumere quicquid malignitatis adfuerit, ne malignitas partibus principibus communicetur. Demùm abluendum ulcus decocto ſuprà præſcripto, & tandem Unguentum Ægyptiacum cum cataplaſmate allato. Et ſedatâ Gangrænâ mundificetur ulcus cum ſucco apii aut melle roſaceo mixto cum pauxillo aqvæ vitæ & Theriacæ, & incarnetur pulvere qvodam ſarcotico.

Ubi *Gangræna in Sphacelum* eſt commutata, adeò ut pars planè emortua ſit, tunc unicum & miſerabile reſtat remedium, ſcilicet partis emortuæ amputatio & à toto corpore avulſio, & niſi id fiat, neceſſariò contiguæ & adjacentes partes etiam corrumpuntur & emoriuntur. Quomodo autem, ubi, & qvibus inſtrumentis hoc fieri debeat, alii aliter ſentiunt. *Nonnulli* carnem mortuam propè ſanam ſcarificant profundè, usque ad os, poſteà inſpergunt vulneribus pulverem ex arſenico vel ſublimato, aut ungventum Ægyptiacum induunt arſenico fortificatum, ut pars mortua à ſanâ ſeparetur. Verùm quàm dira & periculoſa ſæpè ſymptomata inferat arſenicum & ſublimatum, eò quod in ſepticis cenſeatur, medicamentis notum eſt, ac proindè alienum ab hujus mali curatione. *Alii cauterio actuali*, quod corruptũ eſt, adurunt, usq; dum dolor percipiatur in parte. Verùm quàm periculoſa etiam ſit hæcce cauteriſatio, oſtendit Fallopius. *Alii ſectione amputant corrupta*, idq; vel novaculâ, vel ſerrâ, aut modiolo, vel ſecuri. Verùm & hæc operatio qvàm violenta & crudelis ſit ac proindè rationali Chirurgo indigna, ægris verò exitioſa propter maxima, qvæ ipſam ſeqvuntur, ſymptomata, *docet Fabric. Hildanus de Gangr. & Sphacel. c. 17.* Hujus autem loco magis arrident ruptoria facta ex cinere ſarmentorum & calce vivâ. Nec minus bonum eſt *butyrum* ♁*nii, oleum calcis vivæ vel ſuprà adductum Principis Anhaldini ex* ♁*nio &* ☿*rio ſublimato*: hæc enim illicò & fermè ſine dolore profundã gignunt eſcharam, & cùm nullâ qvalitate malignâ prædita ſint, nequaquam partes principes, veluti cor, cerebrum & epar lædunt, ut facit Arſenicum! Hæc autem propè partem ſanam carnis applicanda ſunt, nec neceſſaria eſt ſcarificatio carnis; per ſe enim ſatis valida ſunt & altè penetrant. Eſcharâ verò factâ non eſt ejus caſus exſpectandus, naturæ aut medicamentorum ope, ſed removenda, aut ſeparanda eſt novaculâ aut alio inſtrumento idoneo.

Si *Sphacelus eſt in pede aut tibiâ*, operatio facienda eſt quatuor aut quinq; digitis infra genu! Sic enim æger commodiùs utetur ligneâ tibiâ, firmioreq; incedet greſſu. At ſi *Sphacelus* genu ſuperârit, quàm minimum ſinceri reſecandum, quoad ejus fieri eſt posſibile. Idem de manu eſt judicium, in quâ operatio commodè fiet ad carpi articulationem, ut tantum è brachio conſervetur, quantùm commodè alligandæ & aptandæ manui ferreæ ſufficiat. *vide de his operationibus modo laudatum Fabric. Hildanum l. c. cap. 18. & ſeq. Sennertum. libr. 5. part. 2. cap. 19. Balt. Tim. à Güldenkl. l. 6. p. m. 294.*

Cancer

Cancer eſt rotunda, inæqvalis, virulenta, dura, ſemper dolens, liveſcens, calida absq; febre, cum vel ſi ul ulcere intumeſcentia, cancri animalis marini formam repræſentans, inq; partibus carnoſis ab humore atrabilario adʋſto & corrupto exorta. Excitatur quidem etiam nonnunqvam in ſubcutaneis & extraneis partibus, freqventisſimè tamẽ in mammis mulierum, qvandoque etiam in abditis & occultis corporis partibus, ut in palato, ano, & oſculo pudendi muliebris & circa obſcœna loca.

Eſt autem *Cancer vel occultus ſeu latens & non exulceratus, proveniens ab atra bile mitiore ſeu minus calidâ & acri: Vel confirmatus & exulceratus à bile acriore & calidiore ortus: illum non curare multò melius eſt; medicamentis enim facilè exulcerari poteſt. Hipp 6. aph.30.*

Cancrum, qui in ſummâ corporis parte eſt, tantùm aggredi licet, & quidem tutiùs inter initia, cum exiguus adhuc eſt, medicamentis curare poſſumus. Cùm verò magnus evaſerit, ſine manûs operâ curari nequit. Et *Cancer* in cavitate corporis, aut palato, ſede, utero ſi ſecetur aut uratur, ulcus cicatrice induci neqvit. Sed homo hac curatione usqve ad mortem excarnificatur, qui citra curam hanc longiorem vitam traducere potuiſſet.

In univerſum *cancrum confirmatum & exulceratum non curare melius eſt.* Obſervatum eſt ſemel exciſum non raro iterum rediiſſe, vel etiam in aliis partibus, ut cancro in mammis curato, alium in utero ſubortum fuiſſe. *CL. Wallæus has rationes reddit; primò, quia cancer non totus exciſus fuit, ob timorem aut ægri, aut Chirurgi; deinde, qvia arteriæ, quæ ſanguinem hunc vitioſum emittunt, ob minores illas arterias in parte affectâ diſſectas, plus quàm anteà ſangvinis continent, ideoq; apertæ ſanguinem illum in aliã partem eructant, unde novus Cancer; tertiò, qvia tanta in corpore latet malignitas, ut ſemper de novo Cancer ſuccreſcat.*

Curatio Cancri vel eſt vera vel palliativa; Vera eſt ſectio, ſi ſcilicet Cancer artificiosè exſcindatur cultro & ferro, idque vel ſubitò, vel pedetentim. *Sic vidi ego, inqvit CL. Wallæus, Cancrum ex mamma celeriter ſectum, ut illo ſpatio operationis vix tria verba proferre potuiſſem.* Verùm, quando *Cancer* ad magnam molem pervenit, tunc non utilis eſt hæc ſubitanea ſectio; multum enim bonæ carnis adimitur, magnumque fit foramen, ex quo Spiritus eò liberius progredi poſſunt, viresque magis debilitantur. In minore & parvo cancro, excepto eo, qui in labiis eſt, ſectionem ſimul & ſemel facere audemus.

Cancer ex carne facilè ſcinditur, diffi-

difficulter in membranâ & tendine, modò hæ duæ partes ita comparatæ ſint, ut integræ auferri poſſint. Hinc *Cancer*, qui muſculos intercoſtales occupat, ob pleuram omnibus coſtis appoſitam ſecari nequit.

Modum Mammillarum Cancrum ſecandi CL. noſter Rolfinckius in operat. Chirurgic. part. 2. c. 5. talem proponit: Liganda tota mammilla, firmiter conſtringenda filo ſubtili, & comprimenda: animadvertenda vaſa, per quæ cancer nutrimentum ſuum accipiat; totaq; mammilla exſcindenda eſt, ferroq; candente hæmorrhagia prohibenda.

Galenus 14. Meth. Medendi cap. 9. in ſectione hæc notatu digna monet; Ubi totum, inqvit, qvod vitiatum eſt, prorſus exciderìs ſic, ut nulla ſuperſit radix, ſines effluere ſanguinem, nec properè eum inhibebis: Imò premendo potius, quæ circum ſunt venas, exprimes ex his craſſiorem ſanguinem, mox aliis ulceribus ſimiles curabis. Poſt abſciſionem ubi vel pelliculæ, vel folliculi, aut tumoris aliquid in ulcere remanſit, corroſione vel uſtione opus eſt. vid. & Arcæus lib. 2. de curand. vulnerib. c. 3. Fabric. Hildanus centur. 3. obſ. 87. Horſtio lib. 9. in Chirurgic. p. m. 433. Thomas Bartholin. c. 5. hiſtor. 100.

Cura palliativa conſiſtit in topicorum quorundam uſu, quibus augmentum cancri inhibetur, & dolor mitigatur, ut vita cum minori moleſtia ad tempus traduci poſſit.

Unguentum ex ramis viridibus maximè commendatur ab Aquapendente, Chalmetæo & aliis, quod continuo cancroſo tumori exulcerato admovendum, cujus compoſitio talis eſt:

Rec. *Ranas virides in arboribus vel aquis puris degentes in vas fictile vitreatum & multis exiguis, in fundo foraminibus pertuſum conjicito. Earumq; ora butyro impleto, Vas ne quid exhalet, luto diligenter oblinito, & cooperito, cui alterum effoſſa terrâ concluſum ſupponito, ignẽ in ambitu ad diſtillandum accendito, oleum ſeu liquorem illum ſtillatitium colligito, & cum pulvere* ranarum miſceto, ut fiat linimentum. *Laz. River. c. 1. obſ. 97.*

Nec inconveniens eſt Emplaſtrum Saturni Mynſichti in armamentar. Medico-Chymic. ſect. 36. deſcriptum. Ad ablutionem ulceris cancroſi mira præſtat Aqua deſtillata Fabricii Hildani, poſt cujus uſum dictum emplaſtrum eſt applicandum.

Fit etiam è foliis chelidõn. maj. & nicotianæ ana contuſis in ol. olivar. infuſ. & ad umbram ſervatis, donec corrumpi videantur & cuticulã producant, remedium ad cancrum, ſi colentur, & inunctione admoveantur vel cum cerâ inſtar cerati applicentur. P. Borellus c. 2. obſ. 67. Onopordii contuſi ſuccus ſæpius admotus cancrum narium & Mammarum curat. Plantago etiam non inutilis.

Sequens cataplaſma excellentiſſimum

mum eſt in tumoribus ſcirrhoſis mammillarum, qvi in Cancrum vergunt.
Rec. pulpæ pomorum Borsdorff.
rapar. maiorum ana ℥j.
coq. cum lacte caprino vel aqua malv. ad pultis conſiſtentiam. Adde
Medull. panis albiſſ. ℥ß.
farin. fabarum.
pulv. ſem. fœn. græc. ā. ʒij.
fol. alth. brasſic. rubr.
fl. malvæ arboreſc.
roſ. alb. ana ʒj.
ficuum nō. 7.
croci ℈ß,
c. ol. roſat. f. Cataplaſma.

Per tres dies hôc applicatô rumpitur apoſtema. Si vis magis emollire, adde diachyli ſ. ℥j. rupto apoſtemate pro majori maturatione materiæ, adde diachylii C. ℥j

Fungus eſt corpus qvoddam carnoſum, laxum, molle, ferè indolens ex humoribus ſuperabundantibus & flatulentis ſubito & brevi temporis ſpatio progenitum.

Ex membranis cerebri quidē frequentisſimè propullulant, attamen etiam in aliis diverſis corporis partibus, ſcilicet in oculis, uti ipſe obſervavi in puero duorum annorum, in palato, ut in nobili quâdam virgine etiam vidi, pedibus *Cl. Sennert libr. 5. Practic. Medic. part. l. 1. cap. 39.* gurgulione, *Fabric. Hildan. Centur. 2. obſ. 19.* Aure *centur. 3. obſ. 1.* Umbilico *centur. 5. obſ. 62. In vulvâ Zacut. Luſitan. libr. 3. Pract. admir. obſervat. 75. Tulpius libr. 3. cap. 33. Imò in toto corpore poſt variolas P. Borellus centur. 1. obſerv. 34. Thom. Bartholin. c. 6. h. 10. hoc tumoris genus naſcitur. Qvemadmodum enim Fungi, inquit CL. Fabricius loc. citat. ut plurimum unâ nocte ex terra prorumpere ſolent; ita etiam excreſcentia hæc ſubito, imò etiam plerumq; unâ nocte ex ipſo vulnere propullulat & excreſcit. Præterea qvemadmodum fungi ſunt laxi, molles, & poroſi, veluti ſpongia, ita etiam excreſcentia hæc mollis eſt & laxa, veluti ſpongia. Fungi propter maximam humiditatem terræ creſcunt, ita etiam excreſcentia hæc carnea propter ingentem humorum affluxum ex toto corpore ad partem læſam ſubito propullulat, & qvidem in tantùm molem, ut plerumqve non tantum totum vulnus adimplere verùm etiam ipſius labia & margines obtegere ſoleat. In hoc tamen differunt, qvod Fungi ex putridis & corruptis terræ excrementis, hæc verò excreſcentia ex benignis ut plurimum humoribus naſcatur. Porrò naſcuntur Fungi in partibus diverſis propter maximum qvidem humorum confluxum ex toto corpore, ſed ſummâ Naturæ providentiâ & beneficio DEI. Cùm*

enim nihil magis inimicum ſit nervis, qvàm injuria aëris, præſertim frigidi, Natura, quæ ſtudet ſemper, ut conſervare poſſit ſuum individuū, excreſcentiâ hacce partes nervoſas & membranoſas ſauciatas & detectas veluti culcitrula plumea tegit & cooperit, ne videlicet Nervi, tum ab aëre, tum etiam inter curandum & abſtergendum vulnus lædantur, qvemadmodum etiam in vulneribus capitis, ubi membrana cerebri detecta ſunt, ſæpiſſimè accidit. Centur. 1. obſervat. 14. & 15.

Illorum Curatio exſiccatione incipienda, & Eroſione vel Exciſione abſolvenda.

Medicamenta, qvæ exſiccant, ab initio ſunt tutiora, quàm erodentia vel ſeptica; Ea enim in vulneribus capitis mortem accelerant, in vulneribus verò Articulorum dolores, inflammationes & alia graviſſima ſymptomata excitant. Et cum ſummo Naturæ beneficio Excreſcentia hæc in commodum ægri ſit procreata, non eſt abſumenda ab initio, donec nervi & partes membranoſæ carne ſatis fuerint tectæ, ut ampliùs ab externis injuriis lædi non poſſint. Sedato dolore & remiſsâ inflammatione & reliquis ſymptomatibus, ſi fungoſa excreſcentia non remiſerit, exſiccantibus deprimenda, ex quorum cenſu ſunt *radic. ariſtol. rot. irid. Fl. angelic. fol. ſabin. roriſmarin. fl. roſ. v. myrtill. balauſtior. maſtich. thuris. lapid. calaminor. &c.* Hiſce per dies aliqvot applicatis ſi *Fungus* non imminuatur & in carne exiſtat, exedentibus curari debet, *alumine nempe uſto, vitriolo uſto, aut Mercurio præcipit. pulveretenus inſpergendo*, poſtmodum applicandum eſt Cataplaſma. Vel *factâ Ligaturâ, qvæ cum filo corroſivo, vel ferro fit, exſciſio inſtituatur. Qvo facto pulveres ex prædictis exſiccantibus inſpergi poſſunt.*

Deinde Partes in Qvantitate peccant, dum *Primò* deficiant, ut Naſus, Labia, Aures, Oculi, dentes excuſſi, palatum exeſum, lingua exſecta, præciſum præputium, amputata virilitas, manusqve & pedes amputati ſint; Cum Naſus elegans & integer totam faciem ornet, illiqve ſingularem gratiam conciliet, in abſciſsi locum factitium aliquem ſubſtituere, turpitudinis diſſimulandæ causâ neceſſarium eſt. Qvo modo autem hoc peragi poſſit, *Celſus libr. 7. cap. 9. exprimit qvidem*, attamen obſcuriùs, quàm ut negotium hoc perfectè cognoſci poſſit. Sed hoc ipſum artificium *Caſparus Taliacotius in Bononienſi Gymnaſio Medicinæ Profeſſor* primus invenit, & ſcriptis poſteritati reliquit.

De quo jamdudum *Paræus l. 22. cap. 2. ita ſcripſit: Extitit ſuperioribus annis in Italia Chirurgus, qvi reſectam*

reſectam naſi portionem reparat. Deindè ſubdit: Minor natu familiæ à S. Thoano, naſi argentei & probroſi, qvem multos cum annos circumtuliſſet, pertaſus ad illum Chirurgum profectus, naſum recuperavit, magnâ omnium, qvi ipſum anteà noverant, admiratione. Anno 1590. cum Dux Sabaudiæ Genevenſibus bellum inferret, incidit in manus militum puella qvædam caſta ac pia, Suſanna N. nomine, qvam cum ſtuprare fruſtra tentaſſent, atq; hac de re maximâ irâ perciti eſſent, naſum ipſi abſciderunt. Poſt annos duos venit Lauſannam, ubi tunc degebat Dn. Joh. Griffonius, Chirurgus ut ingenioſisſimus, ſic & in praxi felicisſimus, qvi cum ipſam curandam & naſum reſtituendum ſuſcepiſſet, ita ſatisfecit promiſſis & naſum reſtituit, ut maximâ cum admiratione omnium ipſum artificialem & factitium eſſe vix appareret. Hyemis tamen tempore, cum frigus eſt maximum, apex naſi aliqvo modo liveſcit, ut reliqvæ tamen partes corporis nutritur & ſuo ſenſu eſt præditus. Qvemadmodum Fabric. Hildanus Centur. 3. obſervat. 31. Ipſemet non rarò vidit & obſervavit. Hujus Nobilisſimi Artificii *Primus inventor, modò laudatus Taliacotius* hanc Chirurgiam ab artificioſâ illâ arborum inſitione petiit, cujus inventionem *Plinius libro 17. Naturalis hiſtor. cap. 19. Columellæ tribuit.* Conſiſtit autem inſitio in propaginis vel ſurculi electione in arboris, cui inſeri debet, præparatione; mox in rectâ ſurculi cum radice conjunctione, & in ſedulâ ad coalitum usque conſervatione; Tandemque, quod extremum eſt, ruſticani hujus operis in propaginis à matre priore reſcisſione. Prima itaque ſimili modo cura erit in naribus & labiis decurtatis traducem ex humero, in aurium verò mutilatione è regione poſt aures quærere, factâque in illis partibus idoneâ ſectione & mutilatis partibus prius excoriatis, cutaneum propaginem cum curtis artubus ſuturâ diligenti committere, implantatione quâdam factâ; ut verò ad coalitus usque tempus juncta præſtentur, faſciis continenda. Et Naſus quidem, & labia eâ parte, quâ mutila ſunt in vulnus humero inflictum demergenda, capite ad brachium, tanquam ad palum ſic revincto & colligato, ut immotum & ſtabile in nullam partem flecti posſit. Ubi itaque, quod circa quadrageſimum diem evenit, indiſſolubili nexu cohæſerint, à priori ſuâ ſede ſurculus reſecandus. Sed nec dum res ad umbilicum deducta. Deficienti enim Naturæ Ars obſtetricabitur. Nam rudis illa & indigeſta cutis moles, poſtquam ab humero avulſa fuerit, in formam partis reſectæ deducenda eſt, & ge-

nuinum illud naſus, labiorum & aurium exemplar efformandum, ut decor ſuus & gravitas partibus truncatis reſtituatur. Tandemque ſupervenientes injurias arcebimus, & opus ſic perfectum ad conſtantiam deducemus.

Abſentium Oculorum deformitatem disſimulamus, ſi curato ulcere, in exſciſi locum factitium alium ex auro aut argento ito encauſtico aliquo tectorio pictum & expolitum, ut nativi faciem præ ſe ferat, ſubſtituerimus. Qvod ſi autem hoc modo efformatum oculum vel nolit æger, vel orbita non admittat, alius hâc viâ efformari poterit. Virgula ferrea flexilis illi ſimilis, quæ virginum nobiliorum crines coërcet, præſto ſit, itaque incurvetur, quo ab imò occipite ſupra auriculam ad majorem usque oculi canthum depoſita conſtringi posſit. Hæc albo ſerico obducenda, &, ne acumine forte lædat, utrâque extremitate latior effingenda; lata autem magis eo loco, ubi oculi orbitæ obducenda, ut inibi à pectore amiſſus oculus coloribus repræſentari posſit.

Dentium amiſſorum damnum reparant alii ex Ebore affabrè formati, qui vicinis integris filo argenteo vel lineo deviciendi. *Vid. Paræus Libr. 22. cap. 3. & Johann. Jeſſenius in Inſtitut. Chirurgic.*

Ubi *Palati* portio aliqua exeſa fuerit, obſcura, & turbata loquela editur, potusque ut plurimum per nares redditur. *Huic malo Paræus l. c. cap. 4. ita medetur: argenteam laminam illâ palati lacunâ paulò latiorem, tenuem tamen & teſtudineam parat; hujus parti, qvæ cerebrum ſpectat, convexa & anſula quâdam prædita implicat ſpongiam, qvæ defixa, mox ab humore deſtillante ebria tumentior facta, ita lacunam replet, ut excidere lamina ipſa neqveat.*

Caſu cùm olim multa fuére reperta, tùm moderno die adhuc in lucem veniunt. Cuidam, cui inſignis præſecta lingvæ portio contigit, ut aliquando cum meſſoribus in agro ex ſcutellâ ligneâ biberet, cumque ab adſtantium aliquo titillaretur, ſubitò in articulatas voces erupit; qui rem novam miratus eandem ſcutellam, eodem, quo antè, ſitu in os indidit, atque ſic, ut ab omnibus intelligeretur, locutus eſt. Hanc poſteà aliquandiu circumtulit, & mentis interprete uſus eſt; donec egregio ingenii invento aliud inſtrumẽtum ligneum optimè formatum impetraret, quo ſemper collo appenſo animi ſenſa edebat. *Hujus inſtrumenti delineationẽ vid. in Paræo l. 22. c. 5.*

Quando *Præputium* brevius eſt, ut glandem cooperire non posſit, invertendum illud, ejusq; membrana in-

pa interior in orbem incidenda, & diligenti curâ præcavendum, ne vena, vel arteria, quæ inter utramque preputii membranam exſiſtunt, incidantur. Hinc deorſum extendenda, quousq; glandem contegat, inſerto prius inter ipſum & glandé Emplaſtro deſiccante, ne conglutinentur; tum immiſſo in urinarium meatum tubulo, quo urina effluat, præputiū deligandum tamdiu, usq; dum cicatrix inciſioni obducta ſit.

Qvibus *penitus virilitas amputata*, fiſtulam habeant ex argento aut aliâ re, quam urinam reddituri pectini applicare poſſunt.

Manuum & pedum amiſſorum defectum ſupplent manus & pedes ex ferro factitii vid. de his omnibus Paræus libr. 22. cap. 12. & modo citatus Job. Jeſſenius tr. allegat. De magna carnis portione in ſiniſtro hypochondrio ablatâ & carne vervecinâ repletâ vid. Thom. Bartholinus c. 6. hiſtor. 59.

Secundò *Partes etiam in Qvantitate diſcretâ peccant, dum abundant, ut dentes extra ordinem prolati*, qui impedimentum orationi & maſticationi afferunt & ori deformitatem inducunt, hi evellendi ſunt; *Naſus duplex Thom. Bartholinus centur. in hiſtor. 25. Penis duplex.* Idem *Centur. 4. hiſtor. 22. Hæ partes ſi moleſtæ fuerint, & absq; periculo fieri poſſit, abſcindendæ ſunt; Aſt in tribus teſticulis nihil moliendum.*

Peccant *Partes Qvantitate continua* porrò, dum *magnitudinē primò habent nimis parvam vel imminutam vel auctam. Sic Penis, ſic brachium, ſic pes minora ſæpè ſunt, quàm eſſe debeant. Cauſa hujus* mali eſt vel *facultas*, vel *alimentum. Facultatis vitio* tripliciter contingit, vel qvod attractrix ignava ob intemperiem frigidam, qvod pars ob craſſitiem diſtendi nequeat; vel qvod impediatur propter obſtructionem in viâ; *Deindè*, quia concoctrix imbecillior, quæ attracta non alteret & im̄utet, *Tertiò*, qvod Retentrix coctum alimentum apponere & agglutinare nequeat. Alimentum peccat, dum vel paucum eſt, vel non influit.

Curatio conſiſtit tum in Facultatis Nutrientis roboratione, ubi multum juvat decoctum pedum & inteſtinorum vituli, aut bovis, & oleum Lumbricorum. Item in vaſorum obſtructorum reſeratione, ut impeditus ſanguinis influxus reſtituatur, conveniunt ol. de lateribus, Spiritus Lumbricorum &c. Non deſunt, qvi & deligationes partibus emaciatis reficiendis applicant. Dextro crure ex atrophiâ tabido ſiniſtrum crus ad inguen usque ducto à pede obvolutionis initio deligant. Si dextrum brachium tabeſcat, ſiniſtrum faſciâ conſtringunt, qvæ à manu ſumpto principio in axillam deſinat. Sic enim putant à

parte mediocriter deligatâ magnā ſanguinis portionem in vaſa ſanguiduca regeri, à quibus demum in emaciata reliqua & propè inania exundet. Huc etiam facit Picatio, quam tamen ſemper præcedere debet frictio & fomentatio.

Partes deinde magnitudinem nimis auctam habent vel *ex nimio ſanguinis affluxu vel viarum amplitudine & partium fungoſarum laxitate & flatulentiâ.* Sic nimio ſæpè incremento augentur mammæ. Qui Indiam Orientalem deſcribunt, referunt, in Inſulâ Arnabonis mulieres tàm longas & amplas habere mammas, ut ad terga reflecti poſſint. *Et Jul. Cæſar Scaliger, exerc. 159 ſect. 2. narrat, ſe vidiſſe juvenculæ virginis mammas tàm amplas, ut brachiorum latera, & ventris ſuperiorē partem occuparent. Mulier Helſingorienſis primaria tàm vaſtas & ponderoſas, teſte Bartholino centur. 3. hiſt. 46. circumtulit mammas, ut ad genua propenderent. Oneroſam molem ſedendi genubus ſuffulciebat.* Nimium harum incrementum faciliùs prohibetur, quàm nimia magnitudo jam præſens emendatur. *Antiquis moribus receptum fuit, faſciis mammillas conſtringere, ne nimium excreſcerent. Teſte Iſidoro lib. 20. cap. 32. Nonio Marcello lib. de veſt. Polluce lib. 7. c. 14. Erantq; ferè inter primæ notæ fœminas purpureæ faſciæ papillares. De his vid. Th. Barthol. l. c.* Huc referenda etiam eſt *magnitudo penis, quâ craſſitiem, quâ longitudinem.* Hoc vitium quomodo corrigendum & emendandum ſit, *vid. Fabric. Hildanus centur. 6. obſ. 61.* Interdum circa mentulæ coronam & ſub ipſo præputio excreſcentiæ quædam carneæ extuberare ſolent, molles & fungoſæ, antiquis *myrmeciorum & thymiorum nomine* venientes, eò quod floris thymi ſpeciem præ ſe ferant. Differunt ab aliarum partium verrucis, quod continuò madeant, & malè oleant, augeantur indies, adeòq; ſæpe excreſcant, ut glandem tegere præputium nequeat. *Cujusmodi exemplum habet Philippus Hôchſtetterus obſerv. medic. Decad. 6. caſu 8. Sarcomata hæc ſic auferenda; Tenui funiculo ſerico ſingularum excreſcentiarum baſin complectitor, vinculoq; perſtringito, indiesq; magis contorqueto, donec ſic excreſcentia baſis adſtricta nullum ſuperadditæ carni alimentum præbeat. Evenit hoc modo, ut deficiente ſpiritu & humore, denigrentur, flacceſcant, & tandem deſinant. Remotâ carunculâ loco alumen rupeum probè contritum inſpergito, & linteum aquâ roſaceâ, cui aliquid Indiæ præparatæ admixtum, malidum inter glandem & præputium ſuperponito, idq; multoties repetito. Sin verò diuturnitate temporis*

occal-

occalluerint, forfice præſcindenda hæc thymia. vid. curam hyperſarcoſeos in ſtranguriâ virulentâ. Gr. Horſt. lib. 4. de morb. infim. ventris obſ. 43. p. m. 216. Excreſcentiæ carneæ aliarum partium quomodo ſint corrigendæ, etiam habet idem lib. 9. de chirurgic. caſ. 6. obſ. 13. p. m. 446. In *Hydrocephalo* affectu pueris familiari caput in tantum intumeſcit, ut ſæpe quovis virili capiti grandius fiat. Refert *Veſalius* viſam à ſe puellam bimulam, cui dicto modo caput grande fuerit cum effusâ aquâ novem librarum. *Albucaſis* ſimilem caſum recitat, *ut & Fabricius Hildanus centur. 1. obſ. 10. cent. 3. obſ. 17. 18. 19. Thom. Bartholin. c. 1. hiſt. 28. Smetius lib. 10. miſcell. p. 578. Huic tumori ſequens emplaſtrum utile eſt; Rec. betonic. ſalviæ dictamn. cretic. cymini. pulveris. ana ℥ß. Terebinth. ℥j. mellis ℥ij. c. vino albo generoſo f. cataplaſma. Huic adde ol. ſpic. chamæmel. q. ſ. tumore ſubſidente ad abſumendas reliquias ceratum barbarum applicandum & caput roborandum. Sin his malum non cedat, & humor ſub cute deliteſcat temporum aggredienda inciſio, diligenter vitato muſculo & declinatis ſuturis: mox omnis inde exprimendus humor, & tandem vulneris curationi incumbendum. vid. Joh. Jeſſenius in inſtit. chirurgic.*

De aliarum partium tumoribus ingentibus vid. Th. Barthol. c. 6. h. 62.

Tertiò, partes in qualitate peccantes jam ſeqvuntur. *Authores* dum in *Methodo Medendi* affectus pertractant, toti fermè occupati ſunt in *qualitatum* vitiis recenſendis & curandis; Verùm hoc partium vitium vix ullam meretur conſiderationem; intemperies enim *partibus* non competit, quatenus *Partes* ſunt, ſed qvatenus *Spiritu & humoribus* donatæ, quibus duobus intemperies propriè competunt. Nam ſi caput, dorſum, manus, pedes propter bilioſi ſanguinis effervescentiam doleant, aut inflammari velint, nihil aliud agendum eſt, quàm humorum emendatio, nunc venæ ſectione, nunc illis, quæ ebullientes humores præcipitant, qualia *Magiſter. perlar. corallor. bezoardic. lunare, martiale, joviale &c.*

Frigus in toto corpore vino & calidis emendamus. In *Partibus* nihil aliud, quam intemperies immutamus. Videmus inde, quàm rara avis in terra ſit intemperies ſine materiâ, quam, licet prorſus negare nolim, attamen rariſſimam ſtatuo. Pars enim ideò intemperata eſt, quia *primò* debitâ temperato qualitatum mixtionem non habet. *Deindè*, quia calidum innatum non ſatis eſt robuſtum ob paucitatem ſpirituum

rituum. *vid. CL. Langium in miſcellan. curios. medic. theſ. 2.*

In *qualitatibus* tamen *ſecundis*, quæ ex modo ſubſtantiæ illarum dependent, *partes* reverà delinqvunt; ſunt enim *partes primò aliæ duræ vel ſiccæ*, vel ob defectum nutrimenti, vel quia humores à frigore concreſcunt. Si *ſiccitas & durities* in parte carnoſa eſt, *juvat butyrum Majale ol. lumbric. terr. ſev. cervin. pingued. human. rec. medull. vitul. rec. illita; Si in tendine aut membrana, oleum de palma.*

Deindè aliæ ſunt *Molles. Sic Joh. Fernelius lib. 2. de abdit. rerum cauſis cap. 9.* affert exemplum cujusdam militis, cui oſſa crurum, brachiorum & femorum ex morbo tàm mollia & flexibilia evaſerant, ut ceræ modo facilè ſequerentur, quocunque torqveres: quæ tandē balneorum naturalium aluminoſorum uſu in priſtinum vigorem roburq; reſtituta ſunt. Sic & mentionem facit puellæ, quæ articulorum vinculis adeò laxis fuit, ut quocunqve velis artus inverteret, quod illi ab ortu vitium fuit. Similem novit obſervationem *Foreſtus lib. 17. obſ. 15. Et Hollerius obſ. 7. Imaginariam mollitiem deſcribit Tulpius lib. 1. obſ. c. 18.*

Si *Partes carnoſæ molles* fuerint, utimur refrigerantibus & conſtringentibus. Si *tendinoſæ aut membranoſæ*, ſiccantibus & roborantib9. Ita in *Luxationibus* non calefacientia, ſed exſiccantia aut corroborantia adhibemus, ſalviam ſcilicet & ſal.

Partes etiam peccant *Figurâ*; hæc enim ſi vitiata fuerit, vel malè conformatæ, vel malè connexæ ſunt. Hoc morbo tenentur vacii, quibus foras, & vari, quibus intro crura contorquentur; & quibus caput vel rotundum vel oblongum nimis eſt. *Galenus in art. medic. cap. 87.* duobus modis huic vitio medetur, διαπλάσει ſcilicet, manibus contrectando & in oppoſitum ducendo, & ἐπιδέσει, quæ fit per faſcias & ferulas. *vid. CL. Sennert. libr. 5. part. 2. ſ. 2. cap. 3.*

Huc pertinent & *Errores cavitatum & meatuum*, ſub quorum nomine veniunt cavitates ventriculi, cerebri, cordis, uteri, venarum, & arteriarum, ureterum &c.

Peccant autem *vel in exceſſu, vel in defectu*; in *exceſſu*, cum cavitates ſunt majores, quàm per naturam eſſe debebant. Et dividuntur in *Anaſtomaſin, Diapedeſin & Diæreſin.*

Anaſtomaſis eſt, quando oſcula in vaſis nimium aperiuntur & dilatantur; ut videmus in quibusdam hæmorrhagiis. Ex apertione venæ nullum eſt periculum; per venas enim ſanguis tantum venoſus ad cor refluit, per arterias verò affluit. A medio-

mediocris arteriæ apertione nullum etiam periculum vidi, ſed in magnarum & inſignium, quales in humero, femore, ſub brachio, maximū inde pendet periculum. Conſtringunt autem venas, & arterias *Muſcus cranii humani, radic. tormentill. biſtort. fol. quercus. pulv. ex nucleis dactylorum. Succus acaciæ, ſanguis Draconis. lapis hæmatit. tinctur. ♀ris ⊕oli Martis adſtrictiv. tàm internè, quàm externè. Diapedeſis eſt*, qvando vaſa rareſiunt & laxantur, ut humores transſudent, & quaſi diffluant.

Diæreſis eſt, cum à causâ incidente, erodente, vel rumpente meatus, qvi adeſſe non debebant, aperiuntur. Hujus affectus curatio unitionem per adſtringentia etiam depoſcit.

Partium & viſcerum cavitates difficulter iterum conſtringuntur, id quod in utero & veſicâ apparet, ac in lientericis, ubi optima pars chyli ſtatim per inteſtina tranſit, terreſtrior inde ad hepar defertur, unde Spiritus deficiunt & vires maximè debilitantur. Interius fortior conceſſa eſt conſtrictio, qvàm exterius. Convenit *ſpodium præparatum. Crocus Martis adſtrictivus, pulv. radic. tormentill. biſtort. Tendinum & membranarum* cavitates exſiccantibus occludimus. Huc facit *Cerot. Santalin. de ariſtoloch. flor. Centaur. minor. &c.*

In *Defectu prædictæ partes anguſtiores, quàm par erat, fieri poſſunt, propter obſtructionem, conſtipationem, coaleſcentiam, compreſſionem, ſubſidentiam.*

Obſtructio poteſt oriri vel ab humoribus craſſis & viſcidis, vel à grumo ſanguinis, vel tartaro, fecibus, pure &c. quibus omnibus ſua appropriata & ſpecifica opponenda ſunt. Hæc ut plurimum incidentia, aperientia, & attenuantia reqvirunt.

In *Conſtipatione meatus* & cavitates à carne, vel à tumore in ipſis enatis occluduntur; Hanc erodentibus curamus.

In *Coaleſcentiâ* cavitatum parietes poſt ulcus vel vulnus coëunt. Ita *CL. Wallæus* vidit ſinum muliebrem, qui coaluit; Quemadmodum & *Thom. Bartholinus centur. 5. hiſtor. 92. Benivenius obſ. medic. c. 28. in nubili puellâ, & Fabric. Hildanus in ſemeſtri obſervavit centur. 3. obſ. 61.* Et ſectio feliciter ab ipſis adminiſtrata fuit. Sic & poſt Anginam malè curatam gula ſæpe concreſcit, & habuit *CL. Wallæus* puellam, qvæ lue venereâ correpta in tantas deſtillationes & corroſiones ab uſu Mercurii incidit, ut labia prorſus invicem concreta fuerint. Hæc occluſio præter ſpongiam & medullā ſambuci, ſectione & divulſione curatur. Divulſio melior eſt, qvàm

ſectio, licet ob tendinum & membranarum diductionem majores faciat labores.

In *Compreſſione* meatus à cauſis extrà incidentibus, & parietes eorum impellentibus occluduntur. Hujus curatio in cauſarum harum remotione conſiſtit.

In *Subſidentiâ* meatus & cavitates ob parietum laxitatem & conniventiam coarctantur. Removetur hoc vitium ſiccantibus.

Quartò partes in motu peccant, dum *Primò* planè non moventur, ut videmus in apoplexiâ, paralyſi &c. Cauſa eſt defectus Spirituum, & ſi in tendinibus hæreat, calefacientia & roborantia conducunt, præſertim verò & illa, quæ moderatè adſtringunt. Vel *Deindè*, depravatè moventur, ut in Epilepſia, convulſionibus, catalepſi &c. Vel *Tertiò* nimiū & inordinatè moventur. Cujusmodi motum habet ventriculus vomitoriis vehementioribus prolectus. Qvomodo his vitiis mederi debeamus, ſuprà de alterantibus jamdum innuimus.

Quintò partes loco peccant, dum ſcilicet laxatæ, ruptæ, vulneratæ, & luxatæ ſunt. Laxantur ſæpe in noſtro corpore partes, ut ſuis nativis ſedibus quandoq; excidant. Sic cartilaginem mucronatam quandoque etiam decidere fidisſimo experimento tradit *Veiga Luſitanus in comm. ad cap. 4. lib. 1. de loc. affect. num. 21. Carrerius diſput. 52. de loc. affect. ad lib. Galeni. Et ex his Zacut. Luſitanus de Mph. lib. 2. h. 59. q. 36.* Curatio ſimilis eſt in omnibus illi, quam Medici pro ventriculi debilitate inſtituere conſveverunt ab intemperie frigidâ ortâ: hoc unico excepto, quod manus opem hic unà requiratur. Os ventriculi modicè concutitur ferulâ illitâ pice, ita ut leniter & ſuaviter caro attollatur, parsq; incaleſcens rubefiat. Imponitur deindè cucurbitula cum magnâ flammâ, quâ ablatâ ſtomachica emplaſtra ex calidis roborantibus parata ori ventriculi adaptare oportet, additâ ſemper Terebinthinâ.

Sic & *inteſtina & epiploon* in inguen aut ſcrotum prolabuntur, *anus* quoq; interdum atqve uterus excidit, prominetq; ſæpenumerò *umbilicus*.

In *delapſu inteſtinorum in inguina vel ſcrotum* artificioſa & perita chirurgi manus *primùm* requiritur, quæ inteſtina in priſtinum reducat locum, id quod fit, dum æger diductis ipſius cruribus ſupinus collocatur, & capiti declivior, coxæ verò ſuperior datur locus. *Deindè* feces induratæ emolliendæ, & ſi ſummo cum dolore magna qvoq; vel inguinis vel ſcroti, vel utriusqve durities conjuncta fuerit, ſcrotum & inguen decocto radic. alth. ſemin. lini. fl.

melilot.

melilot. lut. antè erit fovendum, ut ita faciliùs inteſtina regantur. Hæc omnia compendiosè ſupplet emplaſtrum meum magneticum, licet & ipſa iliaca paſſio unà adſit, propriâ experientiâ à me inventum, inqve pluribus diverſæ ætatis, conſtitutionis & ſexus ſubjectis, eodem etiam malo, plures per vices ad deſperationem usq; aliorum recurrente, multoties non ſine fructu probatū, quod ſatis dilaudare nequeo. Lumbis applicatum, tormina juxtà ſopiendo ventris atrociſſima, intorta, dislocata & incarcerata in ſcroto inteſtina, quàm primùm incaluerit, ad priſtinam abdominis transfert ſedem, ipſis etiam ægrotis non quidē ſine moleſtiâ vim ejus attractivam animadvertentibus; Quâ autem ratione hoc fiat, utrū, ſicuti magnes ferrum, ſuccinum paleas attrahit, unguentum Comitiſſæ fœtum imbecillem retinet, pinguedo leporis ſpicula cuti infixa extrahit &c. an alio modo contingat, nihil certi determinare volo, res ipſa certa eſt, licet modū rei ignoremus; Tenenda eſt, res ipsâ non autem propter rationes eſt evertenda. Referre non pudet, quid *Anno 1664. d. 28. Decembr.* hic loci acciderit *cum Ducali quodam cubiculario* Dn. CHRISTOPHORO HEIDENIO; Hic in herniam inteſtinalem incarceratam in ſcrote cum ſtercoris vomitibus, obſtructionibus alvinis, torminibus ventris, ſingultibus &c. incidit. Elapſo ſextiduo in conſilium vocor examinatis antè à Dn. D. KEILINGIO p. m. & noſtro chirurgo adhibitis clyſteribus emollientibus & humectantibus, inſeſſibus, inunctionibus & aliis pro re natâ, ut aſſolet, remediis, teſtor, nihil omiſſum fuiſſe, quod ipſis ad reſtitutionem in integrum & ſanitatis plenum forteàn videretur, ſed quàm operoſæ, imò impoſſibiles herniarum iſtarum in abdominis cavitatem per hæc media, ut & manualem operationem, ſint repoſitiones, tot lugubria hactenus facta teſtantur Exempla, & in demortuis αὐτοψία. *Illuſtris & Strenuus HEINRICUS ab HESLER* herniam inteſtinalem *teſte Excell. ROLFINCKIO*, quam aliquot annorum curriculo clam habens ſine ſubligaculo geſtaverat, in ſcrotum profundius cum impegiſſet, tuſſi aridâ moleſtiſſimâ correptus, repoſitionis ſpes omnis poſtquam decollata eſſet, vomitibus nigris apparentibus brevi animam conditori reddidit. Cùm corpus ad pollincturam aperiretur, incuneatio tàm valida advertebatur, ut calente ferè adhuc cadavere, manu prolapſa cum portione omenti inteſtina jam inflammata, retrahi vix ex ſcroto potuerint. Uſus clyſterium, inſeſſuum, inunctionum

ctionum non cauſam morbi ſed ſymptomata ſaltem reſpiciens Herculeo huic malo extirpando admodum impar eſt. *Felix Platerus lib. 3. obſ. p. 708.* Quæ cauſa etiam eſt, quod dicta præſidia ſuos ſæpè deſerant auctores, ut ægrotos poſtmodum prognoſtico cogantur relinquere. Proximam curationis attingit metam, qui dislocationem & prolapſum inteſtinorum in ſcrotum corrigere novit. Hoc me cum Deo meo & rei veritate gloriari posſum, *hoc*, cujus ego ſuprà mentionem feci, *emplaſtrum* eſſe illud, quod anteà nominati *Ducalis cubicularii* inteſtina convoluta & in ſcroto incarcerata in priſtinum repoſuit locum. Nam, quàm primum *d. 2. Januarii anno milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo quinto* hocce *emplaſtrum* ipſius lumbis circa horam noctis nonam fuit applicatum, vix dimidio horulæ elapſo ſpatio tantum exercuit tractum, ut præ cordis angoribus & levibus lipothymiis, niſi adſtantes alii aulici miniſtri, qui tum excubias agerent, generoſam emplaſtri virtutem ipſis quaſi manibus palpâſſent, vi abrumpere tantum non commoveretur, donec ipſe ſalutarem ex tractione εὐφορίαν tandem percepiſſet, (ſagende: wie fulcket es) eò quod inteſtina ſenſim ac ſenſim in abdominis cavitatem ſerpendo retrocedere ſentiret. Dum hæc ita peragerentur, loco vini meri, id quod divinus ſenex inculcat, aliorum confortantium internus & externus cordialium uſus non fuit poſthabitus, hiſce per aliquot horas continuatis optima recuperandæ valetudinis affulſit ſpes, dum boni volvuli hujus inſequuti fuére exitus, quos *Hipp. Epidem. lib. 2. ſ. 6. in comm. Valleſ. recenſet p. 223.* ſcilicet ſomnus, lasſitudo & diarrhœa, quæ ex fecibus conſtabat nigris gangrænam minitantibus. Ad Oeſophagi tandem & faucium aſperitatem & læſionem ex ſtercoris & aliorum acrium humorum tranſitu cauſatam profuére lenientia mucilaginoſa & putredini reſiſtentia. Sterno dolenti *emplaſtrum oxycroceum* levamen attulit. Et ſic divinâ favente gratiâ præter omnium exſpectationem tùm temporis ex Acheruſiâ quaſi palude liberatus eſt hic æger. Sed, quid fit? Ne de hujus *Emplaſtri* virtute ab aliis frivolè ac temerè ſatis impugnatâ & in dubium vocatâ ullus dubitationis relinquatur locus, ecce! *idem Herníoſus cum Anno 1665. d. 19. Junii* herniam ſuam ſine ſubligaculo geſtâſſet, pronuper è *Thermis Carolinis* redux, (cui malo aquæ iſtæ minerales forſan non parum adminicu-

li ſuggeſſerant,) in idem malum ſed aliis comitatum ſymptomatibus incidit. Ille illicò, cum per biduum ego peregrè profectus, idem etiam Emplaſtrum, quod domi habeo ſemper in promptu, adferri juſſit, Lumbis ut denuò imponeret, hoc quidem ſuam iterum exercuit vim, ut anteà attractivam, ſed irrito conatu. Ego elapſo jamdum biduo domum revertens illicò ad ægrotum accerſitus ultrò citròq; habito mentis diſcurſu deveni tandem ad impediti effectus cauſam, quæ *primò* fuit vis Emplaſtri veteris exantlata, *deindè* doſis ejus tanta malo denuò expugnando inæqualis, & *tertiò* nova ſyndrome morborum & Symptomatum, qualia præter obſtructiones alvinas & urinarias, vomitus ſtercorum & tormina ventris, fuerunt ſumma virium diminutio, Dyſpnœa, Nephritis, ἐμφύσημα ventriculi, cum incipiente tympanitide &c. quibus hydris lernæis expugnandis Hercules etiam fortisſimus labefactari poſſet. Qvid hîc erat agendum? Ego ſepoſitâ omnium horum affectuum medelâ *primùm* iterum aggreſſus ſum dislocationem & prolapſum inteſtinorum in Scrotum; ſine his enim reliqua non inſequuta fuiſſent ſymptomata. Emplaſtro meo renovato & doſi ejusdem auctâ priſtinam inſtitui curam ſemeſtrem, quæ ſanè, licet ob dicta mala lentè quodammodo ſuccederet, in tantum tamen iterum cum DEO profecit, ut levibus aliis juxtà adhibitis inteſtinorum intortio & dislocatio probè fuerit correcta, ſubligaculis tamen ſemper coërcenda, licet reliquorum ſymptomatum curatio aliquod adhuc temporis & laboris diſpendiū hactenus requiſiverint. Quæ tamen etiam in tantum fuêre ſublata, ut per ſemeſtre ſpatium actiones tum animales, tum vitales, tum naturales probè obire potuerit, donec Anno 1666. d. 4. Maji horâ primâ pomeridianâ modò dictus Ducalis Cameræ Miniſter lethalem metam attigerit ſuperveniente ex lapſu prono in terram vaſis cujusdã rupturâ in Scroto eodem affectu defunctus. Cum corpus ad inſpectionem aperiretur, obſervavi prolapſum inteſtini Ilei intorti in ſcrotũ cum dilatatione externæ tunicæ Peritonæi, & internæ ruptæ & dilaceratæ; Inteſtina inflata cum peritonæo, omento & Meſenterio erant inflammata & tantum non gangrænoſa ob circulationem ſanguinis impeditam & Spiritus Vitalis oppresſionem. Veſicula fellis erat inſtar ovi anſerini in magnitudine. Ad ſcroti ſectionem menſura una & circiter ſeri cruenti effluxit. Con-

ſtitutio Epatis & lienis mediocris. Ren dexter minor fuit ſiniſtro. Hæc erat interna infimæ cavitatis facies. Ulteriorem cultri progreſſum adſtantes impediverunt Cognati & Amici. Nihil jam reliqui eſſet, quàm ut hujus Emplaſtri compoſitionem ex Chriſtianâ Charitate Lectori communicarem, & certè lubens hoc facerem, niſi me hactenus quorundam contradicendi & objurgandi audacia retraxiſſet, fiet tamen, ſi dignum, benevolum, & gratum aliquem offendero. *Locus affectus* denique adſtringentibus probè muniendus *ſeq. Cataplaſmate: Rec. decoct. balauſtior. roſar.* v. *gallarum recentium q. ſ. farinæ hordei, fabarum, ana ℥j. pulv. aloës. Maſtich. Myrtillorum. Sarcocoll. ana ʒß. Boli Armeni ʒij. incorporentur, & fiat Cataplaſma. Eodem conſilio Emplaſtrum de Pelle Arietinâ adhiberi poteſt.* Verùm ſumma curationis ratio in ſubligaculis affabrè factis, & faſciis artificiosè concinnatis, ut inteſtinum loco ſuo reſtitutum contineatur, conſiſtit. *Vide de his Fabric. Hildanum obſervat. Chirurgic. centur. 6. & ſeq. Et Paræum l. 7. cap. 15.* qui ſingulare cujusdam Chirurgi experimentum recitat, cujus ratio hæc eſt: Magnes pulveriſatus ægro in polentâ exhibetur, poſteà ignen illud, per quod præcipitabatur inteſtinum, melle inungitur, & ſubtili ferri limaturâ aſpergitur. Hoc remedio per dies aliquot adhibito utendum, inſuper ſubligaculo pars affecta decenter adſtringenda, non illo obſtante, quid Athanaſ. Kircherus de Arte Magneticâ hic regerat. Similis eſt *& Epiploi* elapſi repoſitio. *Sæpè ob difficilem partum & uterus prolabitur.* Cujus curatio in repoſitione maturâ & in proprium locum reſtitutione & in eodem retentionē conſiſtit, durioribus alvi fecibus prius proritatis & lotio excreto. *Deindè* mulier ſupina altioribus coxis & reflexis paululum poplitibus & diductis cruribus collocanda eſt. Prolapſus Uterus prius decocto *radic. alth. ſemin. lini. bacc. lauri fovendus; Deindè vino rubeo auſtero, in qvo decoct. fl. roſ.* v. *balauſt. gallæ. Myrtill. abluendus, ac tandem abſterſus uterus in proprium locum reponendus, vulvaq; Peſſulus aut Pila in formâ pyri pro ejus capacitate inſerendus ex adſtringentibus præparatus; Rec. pulv. nuc. cupreſſ. balauſt. acat. ſang. dracon. Croci Martis adſtring. c. cer. virgin. ſ. q. f. Peſſulus uterinus in formâ pyri, cui filum ſit appenſum, & ſinui uterino inſeratur.* Ne autem hic peſſulus elabatur, præſtat ſubligaculo arte parato uteri foramen & perinæum contigere ac colligere. Utero ſic in ſuâ ſedem repoſito, ſtatim umbilico & ilibus cucurbitulæ magnæ

cum

cum multâ flammâ imponendæ ſine ſcarificatione, & ſæpè repetenda impoſitio. Earum enim attractione Uterus ſurſum trahitur & retinetur. Coxis item, Iliis, & pectini Cataplaſmata adſtringentia & uterum roborantia applicanda. A ſpecificâ proprietate valet pinguedo ab urſâ deſumpta & coxis illita.

Mulieribus etiam, quæ vehementius in partu enixæ, *inteſtinũ rectum ſæpe relaxatur & excidit.* Quod malum & pueris non infrequens, His ante omnia lavandum & fovendum eſt inteſtinum decocto Salviæ cum roremarin. lavendul. mox etiam adſtringentium, ut roſar. v. myrtillor. corticum granator. Nucum cupreſſi & gallarum cum pauco croco martis adſtrictiv. decoctum futurum commodiſſimum: Inde pulviſculo aſpergendum ex rebus citra morſum adſtringentibus; deniq; molliter retruſum inteſtinum priſtino loco reſtituendum. Ultimò ſpongiâ vel lanâ vino auſtero calente vel aquâ ferrariorum calidâ inebrieta ano applicanda, & faſciâ vel cingulo aliquo alliganda.

Interdum etiam nimium prominet *Umbilicus*, inprimis in puerperis ob nimium pariendi conatum, & infantibus propter vehementem clamorem, laxatum vel ruptum peritonæum, quod vitium ἐξομφάλωσις vocatur. Et hujus curatio hæc eſt: Æger ſupinus collocandus, & manu ea, quæ prominent, reponenda, poſtmodùm cerotum de pelle arietinâ umbilico imponendum firmo vinculo, cui in medio nodus ſit, ad umbilicum converſus adſtrictũ, quod ante ſeptimum diem nunquã ſolvendum, ſed poſt renovatum in menſem ad minimum usq; tertium aliquoties adhibendum.

Partes corporis molles vulneratæ vel ruptæ præter naturam nimium disſitæ & cruentæ non meliùs quàm per *ſuturam* uniri poſſunt, quæ acus filum ducentis trajectu peragitur. Hæc habet locum, ubi vulnera transverſim inflicta, & diſſectæ partes verſus ſanas ita contrahuntur, ut longius à ſe invicem abſcedant, nec ullâ ligaturâ adigi poſſint. *de hâc vid. CL. Sennert. inſtitut. lib. 5. part. 1. ſect. 2. cap. 5. & Johan. Jesſenii inſtitut. Chirurgic. cap. 5.*

Luxatarum partiũ unica & communis indicatio eſt, luxatæ partis, & ſuo loco motæ in propriam & naturulem ſedem reductio. Ut igitur hanc adſequamur, luxata pars extendenda, quotiescunq; articulus ſede ſuâ proſiliit. Non prius tamen luxatio hæc adhibenda, quàm tolерetur. Non tolerabitur, ubi inflammatio, febris, dolor aut nervorum diſtenſio ſupervenerit; ideoq; expectandum, donec hæc ſymptomata remiſerint. Præſtat tamen antequã horum

horum aliquid accedat; membrum diſtendere à primo, ſecundo, usque in tertium diem, quibus ſi non extendatur, præſtolandus erit ſeptimus. Faciliùs autem tolerabitur, ſi membrum extendendum relaxetur & remolliatur, molliunt autem & relaxant, quæ calida ſunt & humida. Collocandus patiens in hypocauſto, parsq; affecta butyro, adipe anſerino, aut gallinaceo, ol. chamæmel. inungenda, aut calente aquâ, cui ſemin. lini. radic. alth. fol. malv. incocta ſint, diligenter fovenda. *Quantitas diſtenſionis quantitati requirentis reſpondere debet.* Ubi ſatis extentum membrum fuerit antequã vis remittatur, ita dirigendus articulus erit, ut ſuo caro è regione reſpondeat, & paulatim intenſione remiſsâ recondi valeat. Artificium reponendi in hoc conſiſtit, ut articulus eâdem viâ, quâ exceſsit ad ſuam juncturam revertatur, ſed modo contrario; Nam quod in diſceſſu primùm fuerat, ultimum fit in reditu. Eadem etiam eſt ratio articulos prolapſos in ſuam reſtituendi ſedem. Cogendi enim ii eâ viâ, quâ exceſſêre, in priorem locum remeare. Repoſitum articulum ſæpe patefacit ſonus, qui exauditur, cum reconditur, id quod & ex membri colligitur munere. Utimur ad impellendum articulum ſolis manibus, quando non magnâ vi opus eſt. Ubi verò vehementius compellere oportet, non tantum manus, ſed & inſtrumenta ſimul adhibemus. Repoſiti articuli junctura omnibus modis ſtatim firmanda ac roboranda eſt. Firmabitur optimè, ſi oleo roſaceo perlinatur ac poſtmodũ pannus aliquis lineus, gracilis & attritus rhodino delibutus loco applicetur. *Deindè*, ſi ſtuppæ lenes, ac panni multiplices ovorum candido perfuſi ſuperindantur; & demùm, ſi faſciis paſcâ madentibus pro ratione particulæ longis latisq; pervinciatur. Quin etiam ferulæ ex corio confectæ, ſi opus ſit, ſuperponendæ. Cavenda autem ſemper vehementior perſtrictio eſt, ne inflammationem moveat. His ita peractis, membrum ad quietem componendum, nec ante nonum diem! niſi ſymptoma ſuperveniat, religandum. At, ſi *cum fracturâ luxatio* incidat, hæc *primùm*, ſi fieri poſſit, illa verò *ſecundò* curanda erit. At ſi ante fracturæ curationem, quod luxatum, commodè reduci nequeat, fracturæ *primò* medebimur, *deinde* cum fractura callo jam obfirmata fuerit, luxationis curationem aggrediamur. *vid. Johann. Jeſſenius l. c. & CL. Sennertus l. c.*

Femoris luxatio omnium difficillima eſt, cognoſcitur ea, ſi pes alter altero vel longior eſt, vel brevior, aut ſi genu introrſum motũ eſt.

Luxa-

Luxationes in pueris curari poſſunt, non in ſenibus, neque in multum adultis.

Antequam Medicus vel chirurgus repoſitionem luxatæ alicujus partis intentet, probè prius perſpiciat neceſſe eſt, num ligamentũ ruptum ſit? nam ſi hoc ex eo, quod pars moveri nequeat, intelligat, conſultius,ut manum de operatione retrahat,quàm temerè curationem in artis ignominiam inſtituat.

CAPUT III.

De Symptomatibus.

QVamvis ſuprà *Alterantium* Doctrinæ omnium ferè *Symptomatum* curationem & illorum ſpecifica medicamenta ſubjecerimus, illa tamen hîc in ſpecie repetenda & exactius examinanda reſtant, quæ omnibus tantùm non morbis accidunt,& ob quæ ægroti ſæpè Medicorum efflagitant opem, ut niſi in tempore mitigentur, vitæ periculum immineat. Et cum Medicus ad finem ſuum aſſequendum ante omnia ſtudere debeat, ut omnes *Functiones* in corporis noſtri officinâ rectè queant obiri, hinc etiam neceſſariò *Symptomata*, quæ functiones læſas, non ſecus ac umbra corpus ſequuntur, tollere ex officio tenetur, quod tenet.

Receptum & certum eſt, quod profligato morbo, causâ verò ejus ſuperſtite manente, *ſymptomata* ſint mitiganda. Illa autem ſemper *prius* tollenda,quæ periculum vitæ conjunctum habent. E. g. Lipothymia & Convulſio. *Deindè* quæ majorẽ minitantur morbum, & *tertiò* cùm morbus & cauſa morbi latent.

Sed inferat hîc aliquis & dicat; Medico ſolidè docto & experto rarò aliqvam cauſam poſſe eſſe incognitam; Et qvomodo inveniet remedia, qvem morbus & ipſa cauſa morbi latent? Verùm in propatulo eſt, certos quosdam & peculiares dari morbos, qui ob analogiſmum ſeu ſimilitudinem alterius adeò invicem in ſignis & cauſis complicati ſunt, ut vera earum cauſa continens non ſtatim appareat. In qvo caſu præſtat ſymptomatum curationem aggredi, qvàm juxta Heurnium nihil agere, & medicamentum pro forma præſcribere, quod nec juvet,nec obſit; ſæpe enim ob procraſtinationem auxilii morbus increſcit, vires decreſcunt,æger fabulam vitâ ſuâ concludit. Sæpè evenit,ut Medicus certus non ſit, utrum dolores colici, an verò Nephritici adſint?In qvorum cognitione ipſe *Galenus* fuit deceptus *lib. 2. de loc. 5.* cum illi affectus inter ſe magnam habeant ſimilitudinem & affinitatem, & ſimilitudines non ſolùm Medicis vulgaribus, ſed &

doctiſſimis errandi anſam ſuggerant. *Gal. l. c.* Et tunc in dolorum urgentium neceſſitate clyſteribus & fomentis anodynis uti coguntur.

CAPUT IV.

De Functionibus Læſis.

SYmptomata ſeqvuntur *læſæ functiones, primò naturales; deindè vitales;* & *tertiò animales.*

Huic ordini nos inſiſtentes examinabimus *primò fluxum nimium, qui vel ab urinâ, vel à ſaliva, vel ab alvo eſt. Urinæ fluxus* nimius rarus eſt, adeò ut *Galenus* bis tantùm *viderit 6. de loc. affect. cap. 3. Et Rabbi Moſes part. 8. aphor.* refert, qvòd non viderit in occidente, neq; audiverit à ſuis Doctoribus, quòd eam viderint. Et alii etiam Medici non viderunt. *Salivoſus* æqvè rarus eſt, niſi in illis, qui aphthis laborant & externâ inunctione Mercuriali inconſideratè uſi fuerunt, ſingulari fermentatione humoribus commotis & Expultrice irritatâ. *Cujusmodi exempla Foreſt. l. 14. obſ. 23* proponit. Modum & rationem hujus ſymptomatis reddere arduum & difficile putat *Excell. Rollfinck. l. 6. c. 58. differt. anatom.*

Alvi Fluxus conſiderationem ſuam meretur, hic ſi ſpumoſus fuerit & flavus in capitis contuſionibus, vulneribus & febrium ardentium initiis, malus eſt *Valleſ. lib. 1. ſ. 3. in comm. epidem. p. m. 66.* ob nimium fermentatos & commotos humores, & non ſtatim ſiſtendus, cùm naturæ motus, modo non ex errore fiant, nunqvàm ſint impediendi. Nunqvam verò magis moleſtus eſt hic fluxus, qvàm ſi à debilitate viſcerum oriatur; ita enim morbus magnus magno ſupervenit.

Hìc *primò* abſtergentibus, præcipitantibus & corroborantibus, *deinceps* adſtringentibus uti debemus, (quemadmodum etiam ſuprà jamdum monuimus) ſed ſobriè ac tempeſtivè cacochymiâ ablatâ, ne ſuppreſſa fluxio periculoſas ac cum vitæ diſcrimine conjunctas μεταστάσεις pariat. Temperandus potiùs eſt viſcerum calor & confortanda natura, ut contraria expellat; ipſa enim juſta cum ſit, optimè novit purgandi & ſiſtendi modum. *Petræus in Noſolog. p. m. 75.*

Deindè ad has *Functiones Naturales* læſas referri etiam poteſt *appetitus proſtratus & excedens; ille in re eſculentâ, hic in potulentâ, qvem ſitim nominamus.* Licet etiam in βουλίμῳ *ſeu caninâ* appetentiâ augeatur appetitus, tamen cum nimis rarus iſte ſit Affectus, illum omittimus & de reliquis agemus.

Appetitus proſtratus; Vulgus ægris adſtans nihil æquè poſtulat, atque hujus mali ſublationem. Verùm illud

illud ſignum ſanitatis pro causâ habet, & hinc ſæpè cogitur Medicus appetitum provocare.

Proſternitur *Appetitus vel deficiente humore fermentali ventriculi, vel oppreſſo illo ob vitioſorum humorum copiam in ventriculo & inteſtinis ſtabulantium*; Deficit ex vitio crudorum ciborum, dyſcraſiæ ventriculi calidæ vel frigidæ; Ubi in hâc non rectè excitatur, in illâ verò Spiritus fermentales disſipantur. Inteſtina tenuia p. n. affecta non omni carent culpâ, inprimis ſi bilis per porum cholidochon non rectè tranſmittatur chyloque ceu fermentalis materia comunicetur. Intemperies hepatis, obſtructio, & alii ejus affectus, ſi bilis non generetur laudabilis, Appetitus diminuti manifeſtisſima etiam cauſa eſt. In Febribus ob fermenti corruptionem appetentiæ vis omnis deſtruitur, & maximè in febribus peſtilentibus. *Hippocr. & Galen. 3. Epidem. ſect. 1. comm. 11. & ſ. 3. 56.*

Appetitum proſtratum emendamꝰ *Spiritu Vitrioli ſtriato. Vel Sp. Salis à Sale volatili corroſivo purgatus & ritè rectificatus.* Videndum tamen, ne quid nimis; ubi enim calor ventriculi languet, circumſpecti ſimus, neceſſe eſt. Conveniunt etiam *poma citri, ſuccus granator. Ribium, berberum,* &c. In intemperie frigidâ *Elixir. propr. P. Spiritus Maſtich. abſynth. Menth. &c.* magni ſunt æſtimandi.

Appetitus proſtratus, qui à debilitate virium oritur, raro curatur, niſi vires à cauſâ frigidâ conſumptæ ſint, tunc enim calida & aromatica proſunt.

In ſenibus ob virium diminutionem non appetentibus internâ calefacientia non æquè proſunt, ac externa. Illa enim in hiſce corporibus exſiccatis majorem faciunt ſiccitatem. Exterius convenit ol. Macis, Empl. de cruſt. panis. Aq. Vitæ Saxonic. alb. &c.

Appetitus rei potulentæ auctus & excedens Sitis eſt. De hoc ſymptomate maximè etiam ægri conqueruntur, & ſæpè difficilè eſt illud profligare. Cujus cauſa eſt fermentum ventriculi nidoroſum, ſalſum nimis & acre redditum, ut videmus fieri in febribus, catarrhis ſalſis, hydrope. Aſcite &c. Ventriculus cum communem habeat cum gula & palato tunicam, qualitatem ſuam illis facilè communicat & ſitim quoque excitat. Defectus humidi ad ſitim inferendam non ſufficit, unde & ſitis non ceſſat per potum, niſi hîc Medium attulerit capeſſendo fermento conſymbolum. Unde acida fallacem ſitim deliniunt, non ſecus atque aqua ignem extinguit. *Spiritus Vitrioli benè rectific. Spirit. Sulphuris, & ſimiles, in febribus ſitim ſolantur.*

Vitalium Functionum Læſarum Symptoma eſt Lipothymia, quæ indicat Spiritus reficientia. In ipſo Paroxyſmo & quidem ſine febre ſolantur *Externè aq. meliſſ. c. vin. cinamom. c. vin. carfuncul. fl. aurant. fl. citri. Spirit. roſar. confect. alkermes. Item ol. d. citri meliſſ. carfuncul. apoplectic. ligni. Rhod. Internè juvant Aq. cinamom. borraginat. cordial. Saxon. Magiſter. perlar. Oſſ. de corde cervi, inprimis in Febribus. Tinctura corall. cum Sp. cordis cervini. It. Liqvor. perlar. corallor.*

Animalium Functionum læſarum Symptoma eſt ἀγρυπνίη ſeu *Vigiliæ nimis longæ*, quæ tantam interdum moleſtiam creant, & vires diminuunt, ut, niſi in tempore tollantur, ægroti de vitâ periclitentur. *Qvatuor* autem *modis* fieri poteſt, ut *ſomnus concilietur*. *Primò* removenda ſunt ea, quæ ſenſus & mentem agitant valdè, qvalia nimi9 calor, dolor & alia objecta vehementisſima. *Deindè* ægrotus ab omni motu quieſcat. *Tertio* exhibenda ſunt, quæ ſvaviores in cerebrum mittunt vapores, & quæ ſpecifica virtute Spiritus fervidos animales ſopiunt ac torpidos reddunt. De quibus vid. ſuprà caput 19 *de Alterantibus.*

Dolorem qvod concernit, hic ſedandus eſt; & Medicamenta, qvæ hoc præſtant, ſunt vel *Anodyna*, vel *Narcotica*; *Illa* blando ac tepido calore jucundam & ſvavem ſenſationem in tactu efficiunt. *Hæc* Spiritus figendo & ſopiendo & ſomnum inducendo, ut objectum dolorificum non percipiatur, operationes ſuas perficiunt. *Anodyna* ſemper prius ſunt uſurpanda, antequam tranſcendamus ad Narcotica. Et maximè. Nam cum *Narcotica* ſpiritus torpidos reddant, ſtuporem ſæpe, ſoporem, Spiritus difficultatem & interdum ipſam etiam mortem inducant, ſummâ cautione in illorum exhibitione opus eſt. Ideoq; *primò* affect9 & conſtitutionis corporis ratio habenda. *Deindè* ſciendũ Narcotica ante uſum univerſalium non eſſe applicanda. *Tertiò*, tutius eſſe, extrà priùs ea applicare, & videre, an eorum uſus ſufficiat, anteqvàm intra corpus exhibeantur. *Quartò* attendendum, *an* vires tàm diu morbum ſuſtinere poſſint, donec cauſa vigiliarum, vel doloris ordinariis medicamentis tolli poſſit, nec priùs ad Narcotica accedendum, antequam periculum aliquod ægro ex vigiliis vel dolore immineat. *Perpendendum & hoc, inquit CL. Sennert. lib. 1. part. 2. cap. 1. medic. practic.* an vires à morbo non valde dejectæ ſint, ſed ſaltem ob dolorem vel vigilias periclitari incipiant. Tunc tutò reliqvis nihil juvantibus opiata offerre licet. Si verò non ſolùm

ſolùm ob vigilias & dolorem æger periclitetur, ſed ab ipſo qvoq; morbo vires jam dejectæ ſint, ut ferè de ægri vitâ dubitetur, tunc non facilè exhibenda, quia mortem accelerant & ſoporem perpetuum inducunt. *vid. Rodericus à Caſtro de morb. mulier. lib. 2. c. 8. in ſchol.*

In *Arthritide* illorum uſus non usque adeò benè ſuccedit, neque in *cancro*. Hoc faciunt morbi hi propter tenuitatem humorum; narcotica enim exhibita non omnes humoris partes incraſſant, ſed tantummodo craſſiores.

In *frigidis affectibus aut ſubjectis* minus de *opiatis* exhibeamus, quàm in calidis. Hydropici unius grani opii exhibitione moriuntur.

In *catarrhis* uti non debemus *Narcoticis* antè humorum expurgationem & revulſionem, ne incraſſata materia & refrigerata, ſi diutius in cerebro contineatur, cerebri affectus pariat. Ad ea tamen veniendum, ſi gravia urgeant ſymptomata, ut, ſi ita effundatur humor in pulmones, ut graviſſimam tuſſim, metum ſuffocationis, exulcerationis vel rupturæ venæ acerrimâ vi afferat, tunc miſſo ſanguine ſi opus ſit, vel etiam illicò, & ante purgationem ſiſtere licet hunc effrænem motum. *Ludovic. Septal. lib. 6. animadverſ. 112. 115.*

Quotidianus & frequentior *Narcoticorum* uſus fugiendus eſt, ne, dum dolori ſuccurrere tentamus, alium introducamus affectum, aut coctionem ventriculi imminuamus *idem Septalius l. c. anim. 39.* Nam ipſe obſervavi verum hoc eſſe, quòd ventriculi coctionem narcotica interturbent; Spiritum enim fermentalem ventriculi obtundunt, ut vim fermentantem exſerere nequeant, hinc cardialgiæ, ventriculi gravitas & compreſſiones cum angoribus inſeqvuntur.

In *Colica pasſione* ex acribus humoribus ortâ, ſi *Anodyna* nihil proficiant, & vitæ periculum immineat, tutò ad *Narcotica* confugere poſſumus, quia humoris acrimoniam mitigandi, eum incraſſandi & morſum ac motum inhibendi vim habent. In frigidis autem & lentis humoribus *Narcotica* commoda non ſunt, cùm cauſam morbi deteriorem & curatu difficiliorem reddant. *Sennert. in practic. medic. lib. 3. p. 2. ſ. 2. cap. 2.*

In *Nephritide* maximè etiam proſunt *Narcotica*, & ubicunq; non adeò magna eſt humorum copia. In *Nephritide* proſunt, quia renes ſeu ureteres irritati à calculo continuò irritantur, & ſi à *Narcoticis* morbus ille inhibetur, ſimulqve fibræ laxantur, calculus eò faciliùs deſcendere poteſt.

Narcoticorum uſus poſt *venæſectionem*

ctionem valdè noxius eſt, quia membra tunc valde languentia ſunt, & ferè inſenſibilia, facilè hæmorrhagia lethalis oriri poteſt, quale exemplum habet *P. Borellus c. 4. obſ 57.*

Quamvis *Narcoticorum* varia ſint genera *teſte Gal. 5. ſimplic. 18. dum quædam agunt manifeſtâ qualitate, ut cicuta, mandragora, quædam occultâ, ſeu totâ ſubſtantiâ, ut ſolanum ſomniferum, quæ in uſum adhiberi nunquam ſolent à Medicis, tamen opium ut minus noxium, ſi correctum fuerit, præcipuum Narcoticum eſt, illudq́; plurima Medicamenta in officinis ſervata recipiunt, ut Theriaca, mithridatium, diaſcordium, philonium, veteresq́; Medici omnibus ferè antidotis illud admiſcere ſolebant.* Nos ſecuriùs illo utimur benè præparato & correcto; cum enim juxta quorundam Medicorum ſententiam *Opium crudum* vim habeat exulcerandi, prius exſiccandum & ab humiditate ſuâ excrementitiâ (ſub quâ exulcerandi vis deliteſcit) liberandum, ubi tamen notandum eſt, cautè ignem eſſe adminiſtrandum, ne empyrevma contrahat, aut planè calcinetur atq; ſic ſulphur anodynum, quod in viſceribus ſuis habet reconditum, perperam deperdatur. Poſtmodum cum aceto deſtillato extrahendum, quod ſal & ſulphur opii extrahit; Spiritus n. vini ſaltem 🜍 extrahit & ſal intactum relinquit, cum in ſale ſit robur ejus vitale, & beneficio aceti malignitatis tyrannis opportunè inſimul edomatur. *CL. Langius in mss. ſuprà P. I. Fabr.* Hoc ita præparatum *Laudanum opiatum* nominatur & eſt *vel ſimplex* ſine additione & ultra tria vel quatuor grana non præſcribitur; *vel compoſitum* cum magiſter. perlar. extract. croci ov. ol. deſtill. cinamom. roſar. &c. De cujus admirando uſu *vid. Gregor. Horſt. Oper. medicor. Tom. 2. lib. 10. de pharmaceuticis.*

Sciendum tamen hæc & ſimilia *Narcotica* ſeu *Opiata* juſto etiam tempore eſſe adhibenda, ideoqve præſtat ea poſt cibum è ventriculo lapſum & ante exhibitionem alterius per tres horas, ne coctio turbetur, offerre. Si tamen maximè neceſſitas urgeat, etiam à cœnâ per horam concedi poſſunt, vaporibus cibi faciliùs deducentibus vim ſomniferam & anodynam ad cerebrum.

In *Principio Paroxyſmi aut etiam* criſi imminente Narcotica exulent; ex iis enim Naturæ conatus & motus invertitur, dum ſuffocatur calor naturalis & impeditur, ne calor febrilis expandatur, & materia morbifica expellatur.

CL. Riverius ſolet purgantia jungere *Narcoticis* in *paſſione* præſertim *colicâ*, nec ſine ſingulari efficaciâ,

ciâ, modò doſis purgantium excedat doſin narcoticorum. Sic enim dolores non ſolum ſopiuntur & demulcentur, verùm etiam cauſa unà morbifica ſenſim ſubtrahitur & evacuatur. *Centur. 2. obſervat. 1.* Tutior tamen eſt cautela *Medici doctiſſimi Samuelis* Stockhauſen *de Lithargyrii fumo noxio morbifico p. m. 110. de Narcoticorum uſu* alvô prius apertâ.

Qvando nimia *Opiatorum* quantitas exhibita eſt, jubet *CL. Platerus* leniens aſſumere; Verùm ejus effectus erit fruſtraneus: *CL. Wallæus qvidem optimum eſſe, inquit, validum exhibere purgans, ſed metus etiam eſt, ne ſubſiſtat propter motum humorum à Narcoticis inhibitum.*

Nobis *Cl. Helmontii* arridet conſilium, qvi *Opiatorum* noxas & incommoda optimè debellat per lixivia. *In Duumvirat. p. m. 245. § 31.*

CAPUT V.

De ipsâ Sanitate.

Sanitas *ipſa* conſiſtit in *temperie, conformatione & unione.*

Temperies non qvidem πρὸς σταθμὸν ad pondus, ſed πρὸς δικαιοσύνην ad juſtitiam, in qvâ talis eſt qvalitatum proportio, ſecundùm quam quodlibet optimè ſe habet in propriâ Natura, metienda eſt. Neque enim omnium Partium conſtitutio eadem eſſe poteſt, ſed ut diverſarum partium diverſæ ſunt actiones, ita & temperies; Calidior nempè cordis, quàm Epatis, Epatis quàm cerebri &c. *Sennert. in Inſtitut. libr. 3. part. 1. ſect. 2. cap. 1. D. Mœbius in Epitom. Inſtit. Medic. libr. 3. p. 1. ſ. 2. cap. 1.*

Cl. Helmontius non ex gremio Elementorum ſanitatis conſtitutionem haurit, ſed fermentorum durationem & juſtam illorum in partibus conſtitutionem adducit, qvæ vocat dotes vitales, quarum finis ſit cibum in chylum & hunc in ſanguinem, & hunc in cujusq; partis propriam ſubſtantiam transmutare, his diminutis vel immutatis ac exoticis fermentis oriuntur morbi, qui in cauſa ſunt, ne finem deſtinatum homo aſſequatur. Ideoque juxta *Helmontii* ſententiam *Sanitas* conſiſtit *in optimâ poteſtatum vitalium diſpoſitione. In tr. Humidum Radicale.* Hæ ſi in ventriculo deficiant, ejus etiam fermentum ſeſe minus rectè habet, unde accuſamus communiter intemperiem ventriculi vel calidam vel frigidam; ubi in hâc non rectè excitatur, in illâ verò Spiritus fermentales diſſipantur.

In *temperie ventriculi calidâ* refrigerantia nunquam ſint nimia; neque calefacientia ſint nimia in intemperie frigidâ, ſed ſint moderata ventriculi tonum conſervantia.

tia. Qui ventriculo debili calefacientibus ſuccurrit, quàm primùm is viderit urinam rubeſcentem, ſtatim à calidis abſtineat, alioquin Hydrops fit.

Quoad *Conformationem in Diſſimilaribus & Organicis Partibus certa reqviritur partium conſtituentiũ magnitudo, figura, numerus, conveniens ſitus & cum aliis connexio.* Hic *primò magnitudo peccat vel deficiens vel excedens.* In pede contorto pes minor eſt, curamus ligaturâ aut inſtrumento, ſed neceſſum eſt, ut inſtrumentum ſub nocte removeamus, ut pes extendi poſſit. *Secundò Figura* læditur; Si in collo tumor aliquis eſt, propter quem ægri cervicem in latus inclinant, ut poſteà ſemper ita incedant, difficilis eſt curatu; nam extendi non poſſunt ſine ſuffocatione. *In numero* excedente ſextus eſt digitus, in deficiente unum brachium, una manus &c. Hinc ſubtractio excedentium, & additio deficientium per Artem fieri debet. Id quod ad *Chirurgiam Curtorum* pertinet, de quibus *vid. Paraum, Taliacotium &c. In ſitu & connexione* ſi manus comburitur & digiti ligantur, hâc ligaturâ digiti poſſunt concreſcere, qvod præcavetur, ſi interſtitiis aliqvid interponatur.

Qvoad Unionem, ut illa conſervetur, ſemper ſtudeamus, ut tam parum abſcindamus, qvantum poſſimus. Sæpè tamen hîc etiam peccatur in paucitate, dum admodum timidi ſunt ægri & ſemper ambigunt de quantitate abſcindendâ. Sic mulieres inciſionem in apoſtemate mammarum, quantum poſſunt, differunt, ſed maximo damno. *Primò* enim membrana nimis extenditur. *Deindè* fibrilla corroditur. *Tertiò* os exeditur, unde perpetuus fluxus, interdum tamen poteſt curari. Si in pede & Ano apoſtema non ſtatim aperiatur, fiſtula perpetuò adeſt.

CAPUT VI.

De Sanitatis Affectionibus.

A*Uthores* hîc plerunque tantùm *de Diatâ* agunt, ſed illud non ſufficit; Sunt verò *Sanitatis Affectiones ſeu Effecta 1. Vita longa. 2. Voluptas. 3. Agilitas. 4. Pulchritudo. 5. Functiones bonæ.*

De *Vitâ Longâ* quando hîc loquimur, non intelligimus illam, quæ usque in noviſſimum diem juxta *Paracelſi* temeritatem extenditur; Nec loquimur *de vitâ ſanâ*, quæ ſit à morbis planè immunis. Sed *de illâ*, quæ ſub virium aliquali conſervatione finem vitæ dilatat aliquandiu. *CL. Helmontius in tr. Vita longa, Ars brevis §. 5.* Hujus terminum ponit centum & viginti annorum

norum, ultimum verò trecentorum. Nos cum *S. Scriptura* primùm vitæ terminum extendimus *ad octuageſimum annum, & ultimum* teſte Experientiâ *ad centum & ultrà annorum* pro diverſitate climatum & Naturarum. *Vid. Th. Bartholin. centur. 5. hiſtor. 28.* Ideoque *vitæ prolongandæ ratio* conſiſtit unicè atque unicè in *poteſtatum vitalium conſervatione*, ut earum diminutio & extinctio non tam citò contingat. Hæc autem fruſtrà quæruntur, ſi morbi adhuc in corpore ſuam exerceant tyrannidem, his ſublatis Medicamenta & alia, quæ absque ullâ roboris vitalis læſione aut extinctione agunt, ad præſentem ſanitatem conſervandam non ſolùm in uſum trahenda, ſed & ea fugienda, à quibus vitæ abbreviatio contingere poteſt.

CL. Helmontius cedrum tanquam lignum incorruptibile ſuccedaneũ arboris vitæ remedium maximoperè deprædicat cùm ſuo Liquore Alkaheſt in Ens primum mutatum *in tr. Arbor vitæ*. Verùm cùm hæc omnia nobis ignota ſint, alia *vitæ longæ* præſidia *ex ſex rebus non naturalibus* petita huc adducemus; Et demum, quæ operationes Medicæ vitam abbrevient, in medium proferemus.

Qui itaque *vitam longam* deſiderat, *Primò* climata fugiat, in quibus *aër* eſt impurus, paludoſus, nebuloſus pluvioſus variisque meteororũ impresſionibus alteratus, & fœdis animalium ſordibus conſpurcatus ac effluviis arſenicalibus contaminatus, quæ ab incolis hauſta vitam abbreviant, nemo ſedem inibi figat. Econtrà eligat, in quibus *Aër* purus, & ab omnibus vaporibus putridum ſpirantibus liber eſt. In omnibus cœli ſalubritatem *juxta Columellæ monitum lib. 1. de re ruſticâ cap. 3.* loci fertilitati, & vitam ſanam lautæ fructuum ubertati præferat.

Quomodo autem fiat, quod vitioſæ *Aëris* qualitates tantam corpus humanum immutandi vim habeant, *CL. Helmontius in tr. Blas humanum §. 51. explicat.* Cùm enim *Aër* intrò tractus faciat ad cruoris volatiſationem, ut ſine capite mortuo per inſenſibilem tranſpirationem conſumatur, quod, ſi impurus, accidit, ut hæç volatiſatio non ſolùm non impediatur, ſed & varia producta indigeſtionũ inde ſubnaſcantur, ad quorum elutionem catarrhorum farrago ſuboritur, & exinde tabes, vel ſi illud productorum genus à naturâ intactũ relinquatur, occultæ vomicæ vel latentes venarum obſtructiones accidunt, ex quibus cachexiæ, hydropes & alia mala accumulãtur.

Deinde in cibo & potu qualitas,

quantitas & utendi modus eſt obſervandus. Pravi ſucci cibi in univerſum omnibus vitandi ſunt, quibus vita longa curæ eſt; Et inprimis cibi craſſi, viſcidi, tenaces, duri, præpingues & acres ſedulò ſunt vitandi; inde enim ſtomachi fermentum obruitur, tota maſſa ſanguinea depravatur, & excrementitii humores in corpore cumulantur, variorum morborum genuina excitabula; interim tamen ſuaſor ſum, ut nemo certo *diætæ* generi ita ſe mancipet, ut ne latum quidem unguem inde recedere audeat; hâc enim ratione naturæ conſuetudo inducitur adeò, ut, ſi receſſus quandoque ab ordinario illo modo faciendus ſit, tantò magis hoc fiat cum valetudinis incommodo, quantò faciliùs offendere illud ſolet, quod nobis inſuetum eſt. *Hippocrat. lib. 1. aph. 5.* Arridet igitur *Celſi ſententia libr. 1. c. 1. Sanus homo, qui & benè valet & ſuæ ſpontis eſt, nullis ſe legibus obligare debet, ac neq; Medico, neq; jatroliptâ egere. Hunc oportet varium habere vitæ genus, modo ruri eſſe modo in urbe, ſæpiusq; in agro, navigare, venari, quieſcere interdum, ſed frequentiùs ſe exercere, ſiquidem ignavia corpus hebetat, labor firmat: Illa maturam ſenectutem, hic longã adoleſcentiam reddit. Prodeſt etiã interdum balneô, interdum aquis frigidis uti, modo ungi, modo id ipſum negligere, nullum cibi genus fugere, quo populus utatur, interdum in convivio eſſe, interdum ab eo ſe retrahere, modo plus juſto, modo non amplius aſſumere, bis die potiùs quàm ſemel cibum capere, & ſemper quàm plurimùm, dummodo hunc concoquat.* Hanc *diætæ* varietatem & *ipſe Hipp.* confirmare videtur *ſ. 2. aph. 50.* dum ἐς τὰ ἀσυνήθεα μεταβάλλειν inculcat. In hoc tamen *quantitati diſcretæ* ſemper ſtudendum eſt, ut corpori nulla vis inferatur, ſed potiùs vires reficiantur, non autem opprimantur. Nam ut *Hipp. ſ. 2. aph. 17. inquit: ubi præter naturam cibus copioſius ingeſtus eſt, morbum id creat, quod oſtendit etiam curatio.* Quod de *Cibo dictum*, idem etiam de *Potu* eſt accipiendum; nam & hic pro appetitus ratione adhibeatur, ita tamen ut moderatus etiam ſit & fiat proportio inter cibum & potum; quemadmodum enim panis non benè fermentari poteſt, ſi plus juſtô aquam affundamus; ſic etiam

cibus in ſtomacho non benè fermentatur, ſi plus potûs, quàm cibi ingeratur; Unde & varia morborum progenies & vitæ longæ impedimentum producitur.

Tertiò, ſomnus ſit moderatus, ex quo plurima redundant in hominem commoda, ut vitam conſervet longam, vires delaſſatæ reſtaurantur, Spiritus diurnis laboribus defatigati refocillantur, calor viſcerum fermentalis concentratur, ut alimentorum coctio exactiùs perficiatur, & omnibus membris præſertim viſceribus utile alimentum elaboretur, & totum corpus ſuavi humectatione perfundatur. Quemadmodum autem ſomnus, ita etiam vigiliæ modum ſervent, à quibus moderatis ſenſus ac Spiritus excitantur ac vegetiores redduntur; Calor & Spiritus in omnes corporis partes diſtribuitur, alimentorum diſtributio adjuvatur, & excrementorum propulſio promovetur.

Quartò exercitium corporis moderatum etiam vitæ longæ inſervit, dum ab hoc calor nativus augetur, quo aucto felicior etiam fit nutritio, fuliginum in corporis ambitu diſcuſſio & reliquorum excrementorum expurgatio. Sciendum autem illud juxta anni tempora & corporis conſtitutionem eſſe variandum; nam æſtivo tempore ambulandum leniter, hyemali verò velociter; graciles tardiùs, craſſi velociùs ſeſe exercere debent; Exercitatio à cibo nociva eſt, excepto hyeme & in hypochondriacis, quorum vis diſtributiva & digeſtiva tardior corporis motu excitatur, aliis verò temporibus quieſcere magis proficuum eſt & ad vitam longam commodiùs. Ante cibum ambulatio ſalutaris, inprimis quæ unà animum oblectat, qualis venatio, luſus & aliæ commotiones corporis, quæ ſi minus importuna ætati, tempori, habitui rectè uſurpata aptè nata ſunt corpora torpida excitare, mollia ac tenera roborare, excrementorum proventum deturbare, articulos ab humiditate ſupervacaneâ liberare, illisque robur conciliare poſſunt.

Quintò Venus moderata, legitima & divinis legibus conceſſa, à plurimis non ſolùm præſervat morbis *Hipp. 6. Epidem. ſect. 5.* ſed & hypochondria deonerando ſalutarem præſtat uſum ad vitam longam. *Immoderata* verò ſuum primatum inter impedimenta *vitæ longæ* obtinet, dum enervat corpus, Spiritus affatim exhaurit & Apoplexiam ſæpe ſubitò cauſatur, *Henric. ab Heer in obſerv.*

Sextò longævi etiam fieri poſſunt, qui procul à curis, uſuris, negotiis atq; ſeculi ſui tempeſtatibus in pace & hilaritate vitam transfigunt. Sic videmus illos ut plurimum longævæ vitæ fieri, qvi ſedati animi procul à curis ſunt, mundana rident, & hilariter vivunt, cogitantes, qvantum curæ & anxietates laſſent & enervent, dum viſcerum fermenta inde reſolvuntur & diſſipantur, per quietem verò conſervantur. Hinc *Stoici* à curis alieni longioris vitæ fuerunt; à nullo enim affligebantur, putantes, quicquid fieret, illud eſſe, quod jam factum eſſe deſierat, nec non iterum aliquando futurum, ut contingat, quâ de cauſâ dixerunt optimam medicinam calamitatis eſſe æquanimitatem. *Grembs. libr. 3. cap. 2.*

Quoad operationes medicas quotiescunqve has *Medicus* ægro adminiſtrare voluerit, ſemper prius percunctabitur, annon ab his vita abbreviari poſſit;

Fit autem abbreviatio vitæ ab operationibus medicis *Primò* à nimiâ, aut illegitimè adminiſtratâ *Venæſectione*. *Deindè* nimiâ & ſiniſtrè inſtitutâ *purgatione*. *Tertiò*, dum nimium *dolores* ſedamus. Et *quartò à frequenti Thermarum uſu*.

Venæ-ſectio peccat, qvando *primò* non præſentibus indicationibus inſtituitur. *Deindè* ſi benè habentibus & temperato victu utentibus ac gracilibus & extra neceſſitatem periculi adminiſtratur. Hinc cachecticis, hydropicis, pallidis, lividis, ictericis &c. qui phlebotomiam poſtulant, Medicus non facilè aſſentiatur, & pro Canone hoc habeat, ut nunqvàm venam aperiat, niſi periculum vel præſens ſit vel immineat.

Purgatio peccat, ſi præter neceſſitatem fiat in bono corporis ſtatu *ſect. 2. aph. 37.* convulſionem enim inducit *ſ. 4. aph. 16.* præſertim enim in pueris, qvorum ſtomachus delicatulus etiam in vitam usq; ab hujusmodi pharmacis lædi poteſt, ut ſemper debilis conſtitutionis & poſtmodum brevioris vitæ ſint. In jam *ſeneſcentibus* etiam, ne levia quidem *purgantia* affecto & languente ſtomacho carent periculo. *Crato in Conſil. p. 288. 335.* Volunt nonnulli ægroti nunc in cancro, nunc in cachexiâ ob levem illam, quam ſentiunt, alleviationem indies fermè purgari, ſed hoc peſſimum illis eſt

lis eſt, & citò moriuntur, cum inde maximè lædi viſcera certisſimum ſit.

Sedatione Dolorum Medicos potisſimum vexare ſolent ægroti, dum ſemper volunt *Narcotica*, eò quod videant, ſe levamen inde ſentire, ſed maximo eorum detrimento; cum ſenſatione enim ſublata motus Spirituum tollitur, in quo vita eſt.

Demum inter impedimenta vitæ refert etiam *CL. Helmontius* frequentē *Thermarum* uſum. Certum quidem eſt, illarum uſu interdum cauſam antecedentem, ut fluxiones, ſive latices ſalibus ſylveſtribus turgentes eliminari, unde & Arthriticis nonnullis, quibus à morbo prægreſſo membra affecta tumerent, profuiſſe & ad tempus levamen perſenſiſſe ſcio; ſed qvid fit interim de minerâ Morbi? hæc intacta relicta inprimis in morbis ſuis fermentis conſtantibus qvam non in corpus ferocior facta exercet tyrannidem? Taceo, quod quædam hypochondriacis propinatæ vehementius in fermenta viſcerum operando illa nobis non animadvertentibus peſſundent, totam maſſam ſanguineam, totum nervoſum, venoſum ac arterioſum genus violentâ ſuâ actione immutent & *καῦμα* viſcerum exaltent, quæ cauſa eſt, quod poſteà novis ebullitionibus anſa ſuppeditetur, novarum fluxionum origo ſcaturiat, membra lubrica & relaxata fiant, corpore per iſtas Thermas emollito, & fluxionibus latitantibus, præſertim in minus præparatis corporibus, reſolutis, ex parvo igne maxima flamma malo in pejus converſo exoriatur. Unde *D. D. Franciſcus Omichius in Epiſt. 7. Libr. 5. D. Balthaſar. Timæi à Güldenklee ſummè illarum deteſtatur uſum*, *inqviens*: *Thermarum uſum in Arthritico Affectu adeò malè ipſi cesſiſſe, ut contractò exinde calore hectico ferè non contabuerit, ſed & paroxyſmi longè freqventius & acerbius ipſum prehenderint, ac unqvam antehac factum. Neminem novi, pergit, qvi ex uſu Thermarum ab inſultibus arthriticis liberatus ſit*, ſed quod quis iſtos potius fortiores ac crebriores in ipſo ſtatim illarum ingreſſu ſenſerit. Hinc nō deſunt, qui Thermis nonnullis arſenicale quoddam virus, quod poteſtatibus vitalibus ini-

micum ſit, attribuunt. *Franciſcus Oſvvaldus Grembs Libr. 3. cap. 1. de brevitate vit. human.* §. 77. *p. m. 472. forſan ob arſenicale venenum Sulphuris, (teſte Camerario in Epiſtolis) cujus halitus nares in qvibusdam feriunt.* Quamvis præter hanc deleteriam qualitatem etiam aliis, arcanis è mineralium claſſe petitis non abſimilibus non ſint deſtitutæ, cùm Experientiâ conſtet, iſtas progresſu temporis in diſpoſitis præter eroſiones viſcerum, cachexias, atrophias, in aliis lipothymias, & alia admiranda ſymptomata produxiſſe. Proindè in eam deveniunt ſententiam, ut ſtatuant idem ferè cum Thermis nonnullis, præſertim intus propinatis accidere, quod *Th. Eraſtus diſp. contra Paracelſ. part. 3. p. 211. Theodor. Zvvingerus in præfat. quam libris Santis Ardoyni* de venenis præfixit, & *Oporinus in Epiſtolâ de Paracelſi Medicamentis*, & illorum virtute deleteriâ ſcriptum reliquerunt, ſcilicet, multos, quibus pharmacis hiſce ad tempus opem tulerat, non multò pòſt interiiſſe. Exempla ſunt odioſa. Sed hæc aliis ulterius examinanda relinquo. *Vid. Moſerum de abuſu Thermarum & Acidularum, & hiſtor. vit. & Mort. Bacon. de Verulamio p. 405. 348.*

Deindè quoad *Voluptatem*. *Voluptatis* quidem minor habenda eſt ratio, quàm cæterorum; Aſt in partibus Genitalibus ea maximè conſideranda venit. Ponatur Caſus; Factam ſcilicet eſſe in glande Penis inflammationem, ex hâc ſuppurationem, & demum cuticulam quandam, hinc cum ſcindere neceſſum ſit, quæritur, in quo loco præputium ſit ſcindendum? reſpondetur, ſectionem inferiùs factam optimam eſſe, ſuperiorem obeſſe, illam, qvæ in latere fit, inter duas illas ambigere. Si in Pene gangrænato portio aliqua abſcindenda eſt, ſtatim Urethræ indere debemus canalem quendam ſeu candelam ceream pro mictione, aliàs omne illud, quod de Penis ſubſtantiâ reſtat, in corpus retrocedit, ita ut Urinæ emisſio inde fieri nequeat. Ab inciſione Penis erectio perit: Spiritus enim in corporibus illis nervoſis inciſis retineri nequeunt. Si utrumq; corpus nervoſum læſum eſt, tunc membrum planè erigi nequit: Si verò alterum ſaltem, in latus inclinabit.

Qvoad *Agilitatem*, illius curam Medi-

Medicus etiam habere debet, præſertim verò illorum membrorum quorū officio potiſſimum utimur. Sic in fracturis manuum & pedum Membrum affectum non in perpetuâ quiete ſinamus, aliàs curvum fiet, ſed blando ſemper illud exerceamus motu.

Quoad *Pulchritudinem*, ejus curam etiam ſuſcipere debet Medicus, & quidem fœmellarum cauſâ; Hæ enim adeò illam appetunt, ut ſæpè malint pulchræ eſſe, qvàm ſanæ.

Depravatur verò *Pulchritudo* earum *duobus* potiſſimum *modis*; *Primò Variolis*, *deinde* ab humore aliquo, qui genas occupat. In hoc caveat Medicus, ne tumor fiat, aut rumpatur; ſic enim à cicatrice ſedes illa formoſitatis deformaretur. Verumenimverò cum non rarò diſſipantia maturent, & maturantia diſſipent, ob qualitates ſimiles, fieri poteſt, ut præter intentionem Medici ſuppuratio contingat. Si ergò jam facta eſt, trahat humorem peccantem Medicamentis debitis vel introrſum ad os, vel ad illam partem, quæ ſub mento eſt ad commiſſuram maxillarum; nam faciliùs mulieres ferunt labiorum inciſionem, quàm cicatricem in genis.

Variolæ Pulchritudinem veſtigiis ſuis multum lædunt. Cura hujus rei non in illo conſiſtit, ut benè maturentur puſtulæ illæ, ſed prohiberi illæ debent. Hoc fit *primò*, ſi motum humorum ſive fermentationem humorum ſiſtimus, ne ab internis à corde & cæteris viſceribus ad habitum corporis venire queant. Novi ego quendam Artiſtam ſanioris Medicinæ cultorem, qui pulvere quodam arcano omnem variolarum eruptionem ſedato fermentali humorum motu, licet maculæ etiam jamdum appareant, ſine ullo ſanitatis incommodo prohibere poteſt; *Deindè*, dum Repellentia faciei imponimus. Sed cavendum, ne nimis ſint fortia, & videndum, ut in cætero corpore eruptionem variolarum promoveamus. Variolarum veſtigia Thermarum uſu tàm interno quàm externo tollere abſurdiſſimum eſt.

Qvoad Functiones, has omnibus modis conſervare ſtudeat Medicus, *tàm Naturales*, *qvàm vitales*, *& animales*.

Deglutitio læſa contingit *in Anginâ*, *Aphthis*, *tonſillarum inflammatione*, *eſt difficilis curatu*, quia os, per quod Medicamenta aſſumi debent, aperiri non poteſt. *Aqvapendens*

pendens tubulum ad angulum labiorum immittere jubet, per quem liquor in extremitate dentium, ubi cavitas illa eſt, in palatum immitti poſſit. Syrinx incurvata per os gutturi applicatur, ut illa regia pro nutritione via præcludi non poſſit.

Excretio læſa fit potiſſimum in fœmellis ex utero laborantibus, quia ille tumidus inteſtinum Rectum comprimit & occludit. Difficilis eſt curatu, præſertim inveterata. In principio facilè quidem ad tempus corrigi poteſt.

Pulſum præ omnibus conſervare debemus, id quod fit dupliciter. *Primò*, ſi membra laxamus pro faciliori Spirituum influxu. *Deindè* ſi Spiritus inſtauramus Spirituoſis & aromaticis. Horum beneficio ægri vita ad tres vel quatuor horas non rarò ſuſtentatur. Aqua frigida adſperſa ægrotos maximè excitat, admiſcent nonnulli acetum.

Quoad deniq; viſum, illi peſſimè faciunt, qui oculis ſemper aliquid imponunt, ita ut perpetuò tegantur; tenebris enim ita aſſveſcunt, ut lucem poſteà ſine incommodô ferre nequeant.

F I N I S.

INDEX CAPITUM

LIBR. I.

Cap. I. De Præcognitis Methodi-Medendi pag. 1.
II. Qvibus Methodus Medendi abſolvatur 2.
III. Qvid agendum Medico 5.
IV. Quomodo Medicus curet 19.
V. De Ratione, Experientia & Analogiſmo 24.
VI. Natura & Medicus in morborum curatione ſtant pro uno 35.
VII. Cauſæ morborum quomodo tollendæ, de Humoribus Subſtantiâ peccantibus, & primò de Purgatione 41.
VIII. De ipſis Purgantibus 74.
IX. De Vomitoriis 99.
X. De Clyſteribus 121.
XI. De Sudoriferis 138.
XII. De Diureticis 169.
XIII. Humores qvantitate peccantes qvomodo corrigendi & primò de Venæſectione 199.
XIV. De Arteriotomia 237
XV. De Hirudinibus 239.
XVI. De Hæmorrhoidibus 241.
XVII. De Menſtruorum Provocatione 247.
XVIII. De Cucurbitulis & Scarificatione 252.
XIX. De Alteratione 255.
XX. De Humoribus Motu peccantibus corrigendis 382.
XXI. De Vitio Humorum Loco peccantium 397.

LIBR. II.

Cap. I. De Spirituum vitiis corrigendis pag. 405.
II. De Partibus curandis 410.
III. De Symptomatibus 433.
IV. De Functionibus læſis 434.
V. De ipſâ Sanitate 439.
VI. De Sanitatis Affectionibus. 440.

⁂(o)⁂

INDEX QVÆSTIONUM
LIBRI I.

QV. I. Qvibus Methodus Medendi abſolvatur pag. 2.
II. An Medicus interdum curare non debeat 2.
III. Qvid agendum Medico ibidem.
IV. Quomodo Medicus curare debeat 19.
V. Quâ ratione Medicus Patientis ſtatum poſſit cognoſcere 6.
VI. Quid Medico in Prognoſi ſit obſervandum 3.
VII. Quæ Medico, antequam ægrotis ſanitatem promittat, obſervanda & agenda incumbant 5.
VIII. Si cauſa Morbifica ſtatim à Medico cognoſci non poſſit, quid ipſi agendum 9.
IX. Si Morbi ſpecies ignota fuerit, quid Medico agendum? 9.
X. Quot tempora Morborum ſint 12.
XI. An neceſſarium ſit Medico Aſtrologiæ ſtudium 15.
XII. Quomodo Medicus citò, tutò, & jucundè curet 19.
XIII. Quomodo Ratio & Experientia ſint fulcra Medicinæ 24.
XIV. An contraria contrariis curentur 25.
XV. An ſimilia ſimilibus curentur 26.
XVI. An Medici juniores, eò quod nondum experientiam habeant, à Medicâ praxi ſint retrahendi 33.
XVII. An ſenes Medici junioribus ſint præferendi ibid.
XVIII. Quomodo Natura & Medicus in Morborum curatione ſtent pro uno 35.
XIX. Quomodo Medicus ſit Naturæ Miniſter, & etiam Rex 36.
XX. An detur Medicina Univerſalis 37.
XXI. Quomodo Purgatio operetur 43.
XXII. An Purgantia agant ob ſubſtantiæ ſimilitudinem 44.
XXIII. Quomodo Purgantia communiter diſtinguantur 46.
XXIV. Quomodo Vomitoria operentur 47.
XXV. Quomodo Purgatio debitè ſit adminiſtranda 48.
XXVI. Quid Cruditas & Coctio ſit 55.
XXVII. Unde Medicus dignoſcere poſſit, utrum humores ſint crudi, an verò cocti 57.
XXVIII. An Medicus humorum coctionem promovere, & Criſin antevertere poſſit ibid.

XXIX.

Qv. XXIX. An purgantia cum cibis ſint miſcenda pag. 63.
XXX. Num adeò in numerato Medicus ægroti excretiones habere poſſit 66.
XXXI. An Digeſtio neceſſaria ſit ante Purgationis adminiſtrationē 67
XXXII. Quid agendum Medico, ſi ignorat, an ægrotus vel facilè vel difficulter Purganti ſit obediturus 69.
XXXIII. An Purgantibus alia admiſcenda 70.
XXXIV. Quomodo res Naturales debeant eſſe diſpoſitæ, ut Purgatio ſalutarem edat effectum 71.
XXXV. An in Purgatione Purgantibus utendum 74.
XXXVI. Qualia Purgantia eſſe debeant, & quibus Purgantibus utendum 75.
XXXVII. An Vomitoriorum uſus ſit ſuſpectus 99.
XXXIIX. Quâ vi Vomitoria operentur 101.
XXXIX. An Clyſteres ex Medicâ familiâ ſint exterminandi 131.
XL. Sudorifera quomodo ſuam perficiant operationem 138.
XLI. Sudorifera in febribus qualia eſſe debeant 139.
XLII. An Cinnabaris nativæ & Antimonii uſus ſit ſuſpectus 142.
XLIII. Mercurius Diaphoreticus CL. Helmontii quid ſit & quomodo præparetur 143.
XLIV. Quomodo Spiritus ⊖li ſtriatus præparetur ibid.
XLV. Quid de Tinctura Bezoardicâ Dn. D. Michaelis ſit ſtatuendum 144.
XLVI. Qualia Medicamenta ſint Salia illa duo antifebrilia D. Mœbii ibid.
XLVII. Quomodo ſalia volatilia herbarum conficiantur. 146.
XLVIII. An Lapis Bezoar Or. adulterari poſſit 152.
XLIX. An Lapidi Bezoar. Or. an verò Cornu Unicornu majores ſint attribuendæ vires 154.
L. Quid de CC. calcinato ſit judicandum 154.
LI. Quid de CC. Magiſterio ſit ſtatuendum ibid.
LII. Utrum Os in Corde Cervorum reperiatur, an ſecus 155.
LIII. Quid Lapis Bezoar Cervinus ſit 156.
LIV. An in Paralyſi ſudorifera conveniant 167.
LV. An Spiritus Minerales acidi ventriculo ſint infeſti 171.
LVI. Quâ ratione & quô Conſiliô Diætetica rectè adminiſtranda ſint 173.

QV. LVII. In quibus Affectibus Diuretica conveniant pag. 173.
LVIII. An Diuretica in Hydrope magno cum fructu exhiberi poſſint 174.
LIX. Quid de Tincturâ aperitivâ D. D. Mœbii ſtatuendum 176.
LX. Quid de Spiritu Vitrioli venali ſtatuendum 185.
LXI. Acidulæ quibus conveniant,& quibus non 187.
LXII. An Ludus Helmontii ſit, qui in tractu Mansfeldenſi reperitur 188.
LXIII. An Lapides pretioſi ex foro Medico ſint exterminandi 189.
LXIV. Quid de Lapidibus cancrorum ſit judicandum 191.
LXV. An membranæ interiores ventriculi gallinarum ad ventriculum confortandum aliquem præſtent uſum 193.
LXVI. An Cantharides inter venena ſint recenſendæ 194.
LXVII. An ſalia lixivioſa ſint diuretica 197.
LXVIII. An detur Plethora ad vires 200.
LXIX. An in Cacochymiâ Venæ-ſectio locum habeat 201.
LXX. An præter Venæſectionem & aliis Mediis ſanguinis abundantia tolli poſſit 202.
LXXI. An Venæ-ſectio juxta Eraſiſtratæos & Helmontianos ex familiâ Medicâ exulare debeat 203.
LXXII. An in ſummâ virium diminutione V.S. ſit adminiſtranda 218
LXXIII. An V.S. Pueris competat 219.
LXXIV. An V.S. Senibus competat 221.
LXXV. An V.S. Gravidis ad abortus præſervationem competat 222.
LXXVI. An in Gravidis è talo aliquando ſit mittendus ſanguis 225.
LXXVII. An jam apparentibus Variolis, Morbillis, Petechiis, & aliis exanthematibus V.S. locum habeat 226.
LXXVIII. An V.S. in Peſte locum habeat 229.
LXXIX. Quid de Venarum electione judicandum 235.
LXXX. An Arteriotomia Civitate Medicâ ſit donanda 237.
LXXXI. An Hirudines ſint ex foro Medico proſcribendæ 239.
LXXXII. An Hirudines alicujus malignitatis ſint participes ibid.
LXXXIII. An Hæmorrhoides ſint aperiendæ 242.
LXXXIV. An Hæmorrhoidalis fluxus etiam per venas fiat 243.
LXXXV. An ſcarificatio ſit ſuſpecta 253.
LXXXVI. Quænam Alterationis cauſa Efficiens 257.

Qv. LXXXVII. Quomodo Alterantia ſecundum ſuas vires internas, tum ad fermenta viſcerum, tum ad cauſas Morbificas & Archéum, ſeſe habeant 258.
LXXXVIII. Quid de Spiritu Mundi ſtatuendum ſit 265.
LXXXIX. Quid de confortantibus communiter ſic dictis ſtatuendum ſit 270.
XC. Quomodo ſanguis motu peccans per venarum inciſiones corrigendus 384.
XCI. Quo loco Venæ-ſectio, Revulſionis cauſa inſtituta, peragenda ſit 385.
XCII. In Pleuritide & Peripnevmoniâ quo in loco V.S. ſit inſtituenda 386
XCIII. Utrum V.S. in talo celebrata menſtruo actu fluente illud provocet, vel retineat 386.
XCIV. An Paracenteſis in uſum trahenda 397.
XCV. An in Hydrope Aſcite ſcarificatio crurum locum habeat 399.
XCVI. An in Hydrope Veſicantia cruribus applicanda ibid.

LIBR. II.

XCVII. An Spiritus Vitales Subſtantiâ poſſint peccare 405.
XCVIII. Quomodo Gangræna & Sphacelus differant 410.
XCIX. Quomodo Cancer mammillarum ſecandus ſit. 416.
C. Quomodo naſus factitius in locum abſciſi ſubſtitui poſſit 418.

Elenchus Authorum & Medicorum, quorum in hoc opere fit mentio.

A.

ABenſina.
Avicenna.
Ariſtoteles.
Averrhoës.
Alphonſus Barochius.
Albo Hazen Haly.
Aretæus.
Antonius Günterus Billichius.
Arnoldus Villanoyanus.
Aſclepiades.
Aëtius.
Adrianus Spigelius.
Andreas Nitnerus.
Alexander Benedictus.
Angelus Sala.
Andreas Libavius.
Anshelmus Boëtius.
Alexander Maſſarias.
Amatus Luſitanus.
Ælianus.
Avenzoar.
Antonius Zimara.
Alphonſus à Cruce.
Albucaſis.
Arcæus.
Aurelianus.

B.

Bocheris Ægyptiorũ Legislator.
Balthaſar Brunnerus.
Glasſius.
Timæus à Güldenklee.
Benedictus Oheimius.
Beguinus.
Budæus.
Botallus.
Borellus.
Bontius.
Benivenius.
Bernhardus Schvvalbius.
Bodinus.
Baptiſta Theodoſius.
Codronchius.
Braſavolus.
Baconus de Verulamio.

C.

Cornelius Celſus.
Conringius.
Crato.
Camillus à Camillis.
Caſpar Hoffmannus.
Bauhinus.
Cœlius Taliacotius.
Columna.
Chriſtophorus à Coſtâ.
à Vegâ.
Carolus Cluſius.
Cardanus.

Claudius

Claudius Richardus
Deodatus
Camerarius.
Columella.
Carrerius.

D.

Diodorus Siculus.
Daniel Sennertus.
Dioſcorides.
Dominicus Leo.
Panarolus.
Dodonæus.
Diomedes Cornarius.
Dravvitz
Donatus Antonius ab Altomari.
Dionyſius Daca Hiſpanus.

E.

Euſtadius.
Eraſiſtratus.
Euſtachius Rudius.
Eraſtus.

F.

Franciſcus Valleſius.
Valleriola.
Oſvvald Grembs.
Joël.
Friſimelica.
Foreſtus.
Felix Platerus.
Fabricius Hildanus.
Fracaſtorius.

G.

Galenus.
Guernerus Rolfinckius.
Gotofredus Mœbius.
Gregorius Horſtius.
Gerhardus Dornæus.
Gordonius.
Grülingius.
Garſias ab Horto.
Guainerius.
Geſnerus.

H.

Hippocrates.
Harveius.
Hornius.
Heinricus ab Heer.
Petræus.
Heurnius.
Hieronymus Fabricius Aqvapendens.
Capivaccius.
Hadrianus à Mynſicht.
Horatius Guarguantus.
Augenius.
Heiniſius Patricius Veronenſis.
Hercules Saxonia.
Highmorus.
Hollerius.

I.

Johannes Wallæus.
Michaëlis.
Dan. Horſtius.
Langius.
Baptiſta à Helmont.
Zvvelferus.

Freyta-

Johannes Freytagius.
Fernelius.
Jeſſenius.
Griffonius.
Fiſcherus.
Garmers.
Caſtellanus.
Hartmannus.
Fragoſus.
Scultetus.
Carolus Roſenberg.
Schrœderus.
Zechius.
Hennemannꝰ Reyſing.
Coittarus Thareus.
Argenterius.
Franciſcus Ulmus.
Julius Cæſar Claudinus.
Scaliger.
Baricellus.
Iſidorus.
Joſephus Quercetanus.
Juſtus Balbianus.
Iſaacus Hollandus.
Jordanus.
Jacobus Primoroſius.
Sachs à Levvenheimbt.
Fontanus.

K.

Kyperus.
Knöffelius.

L.

Lindanus.
Lazarus Riverius.
Ludovicus Mercatus.
Laurentius Hoffmannus.
Scholtzius.
Ludovicus Septalius.
Leonardus Rauvvollfius.

M.

Martinus Rulandus.
Kergerus.
Matthæus Sylvaticus.
Michaël Scotus.
Sendivogius.
Matthiolus.
Managetta.
Montanus.
Meſue.
Matthias Unzerus.
Marcellus Donatus.
Moxius.
Montaltus.
Mercurialis.
Moſerus.
Minadous.

N.

Nicolaus Monardes.
Fontanus.
Nonius Marcellus.

O.

Oſvvaldus Crollius.
Oribaſius.

P.

Plato.
Pecquetus.

Petrus Poterius.
Franciſcus Phryg. Borellus.
Plinius Joh. Faber.
à Caſtro.
Monavius.
Paulus Ægineta.
Proſper Alpinus.
Paræus.
Philoſtrates.
Philippus Hœchſtetterus.

R.

Regius.
Riolanus.
Rudbeckius.
Rodericus à Fonſecâ
à Caſtro.
Robertus Vallenſis.
Richardus Anglicus.
Ranchinus.
Rogerius Baccho.
Renodæus.
Raymundus Mindererus.
Roſenberg.
Rhaſes.
Rondeletius.
Ruſſeus.

S.

Socrates.
Sylvius.
Schenkius.
Samuel Sturmius.
Sanctorius Sanctorius.
Salmuth.
Solenander.
Salomon Albertus.
Samuel Stockhauſen.
Strobelbergerus.

T.

Thomas Fienus.
Bartholinus.
Willis.
Tulpius.
Theodorus Schenckius.
Theophraſtus Paracelſus.
Tilemannus.
Trincavellius.

V.

Valleſius.
Valleriola.
Valentinus Andreas Mœllenbroccius.
Valerianus Imperator.
Valeſcus de Tarantâ.
Vidus Vidius.
Veſalius.
Veiga Luſitanus.

W.

Weckerus.
Wierus.
Wilhelmus Piſo.
Weltſchius.

Z.

Zacutus Luſitanus.
Zobelius.

INDEX

Rerum & Verborum ordine Alphabeticô congeſtus:

A.

Contra Abortum ſpecifica 365
Acidularum uſus quibus conveniat 187
Artificiales ibid.
Acutorum morborum incertæ ſunt prædictiones 4
Adianthi ſpecies quot 196
Aër quomodo ad vitam longam faciat 441
quomodo corpus immutet ibid.
Ætas ægroti maximam Medici prudentiam in auxiliorum regimine requirit 14
Ætas tenella fortioribus purgantibus non eſt tentanda, nec ſenilis ibid.
In affectus hypochondriaci principiô vomitoria conveniunt 109
Agaricus quid 89
eſt ſalutare pharmacum 90
in quibus affectibus conveniat ib.
in epilepſia confert, ſi lotium inde fiat capitis 286
Agarici duæ ſunt differentiæ 89
ejus correctio 90
qualia medicamenta inde conficiantur ibid.
Agilitatis etiam habenda eſt ratio in curatione morborum 447
Alcis cornu, ejusq; ungula 283
Agens et Patiens in gnere sunt similia sed in spe. dissimilia. 29.
Alexipharmaca seu antidota. 272.
Alkekengi vinum 198
Alkermes extractum in melancholiâ 290
externè 291
Aloë quomodo colligatur 78
ſocoterina optima eſt ibid.
eſt ἐκκοπρωτικὸν medicamentum 79
quib9 in morbis conveniat ibid.
Senibus utilis eſt ibid.
roſata 81
quô tempore adhibenda 80
ex Aloës nimiô uſu hæmorrhoides aperiuntur 79
Aloës uſus debet eſſe moderatus 80
præparatio & correctio ibid.
exaltatio 81
uſus in incubo 288
in epilepſiâ 282
Alterantia quomodo communiter deſcribant 260
quomodo operentur 258
non ſolùm per primas qualitates ſunt deſcribenda 257
etiam qualitatibus occultis ſuas perficiunt operationes 272
hæc poſtulat tota maſſa ſanguinea 273

Alterantia in quâ quantitate offerenda 274
quô tempore ſint adminiſtranda 275
quamdiu in morbis chronicis ſint uſurpanda 276
quô ordine exhibenda ibid.
per gradus incedendum 278.
Alterationis ratio formalis in quô conſiſtat 257
quanám cauſa efficiens ib.
Alteratio vitium humorum in qualitate emendat 255
quid ſit 256
quotuplex 255
In alumine ineſt vis diaphoretica antifebrilis 144
quomodo ibid.
Alvus in morborum curatione ſemper debet eſſe aperta 13
Alvi fluxus quomodo corrigendus 434
contra Alvi fluxum ſanguineum 332
conſtipationem 329
Abyſſi uſus in rabie 292
Ambræ griſeæ uſus in melancholiâ 290
ad memoriam 289
Amethyſtus lapis in dolore capitis 280
Ammoniaci ſalis Spiritus ſalſus 182
Amuleta anti-epileptica 285
Amygdala amaræ & dulces 234
Anagallidis fl. purpureo decoctum in maniâ 291
eſſentia in phrenitide 290
Analogiſmus curare docet ratione ſimilium 35
ad Anaſarcam ſpecifica 341
Angelica diaphoretica eſt 146
contra Anginam remedia 305
vomitoria ſunt ſuſpecta 108
Angina unde oriatur 306
in Anginâ ſomnus fugiendus ibid.
contra Ani procidentiam 327
fiſſuras 333
fiſtulas ibid.
Animalium calentium applicatus uſus in phrenitide 289
contra Anorexiam 319
Ant-apoplectica ſpecifica 286
Antidota quid 272
Antephialtica ſpecifica 288
Antifebrilia quomodo agere debeant 371
Salia duo D. Mœbii 165
ex matre perlarum 139
Anti-hecticum P. Poterii 141
ex Antimoniô utiliſſima præparantur medicamenta 113
ex Antimoniô quæ medicamenta vomitoria conficiantur 113
Antimonii vitrum quomodo rectè præparandum ibid.
tinctura ſicca 141
liquida 142
Antimonium diaphoreticum 141
Anti-paralytica ſpecifica 287
Aperientia medicamenta quanám ſint 68
qualia eſſe debeant 396

 contra

contra Aphthas remedium 302
Apii radices 201
Apophlegmatiſmorum uſus 402
in Apoplexiâ vomitoria conveniunt 103
ſudorifera 166
Apoplexiæ ſpecifica 286
in Apoplexiæ paroxyſmo clyſter 129
præſervatione diuretica conveniunt 179
Appetitus proſtratus quomodo corrigendus 435
nimius quomodo tollendus 320
depravatus ibid.
Apri veſicæ in furno ſiccatæ uſus in epilepſiâ 280
Aqua fluvialis ad inſeſſum valdè utilis eſt 293
benedicta Rulandi ex quô conficiatur 117
omnium florum 251
Aquilegiæ ſemen 148
in vertigine 280
Arcanum Tartari ſoluti 186
duplicatũ Mynſichti 144. 186
Arietis cerebrum in mania 291
Ariſtolochiæ rotundæ radices 195
Aronis fæcula in catarrhis 294
Ars prognoſtica difficillima & obſcuriſſima eſt 3
Arteriotomia in quibusdã affectibus eſt inſtituenda 237
quomodo 238
Arthritica ſpecifica 366
in vaga ſcorbutica 368
in Arthritide vomitoria conveniunt 110
ſudorifera quanám 164
vagâ ibid.
diuretica 178
Aſari crudi radices coctæ 195
Aſelli 192
Aſinini ſanguinis uſus in mania 291
Aſparagi radices 351
Aſthmatica remedia 311
vomitoria 108
clyſter 130
Aſtrologia Medico ſummè eſt neceſſaria 15
contra Atrophiam remedia 342
Atrophia puerorum unde 344
Auriculæ urſi radix in vertigine 280
in Aurium morbis vomitoria ſunt ſuſpecta 101
ad Aurium exulcerationem remedium 298
fluxionem ibid.
vermes ibid.
dolorem 299
tinnitum ibid.

B.

Baccæ Juniperi 353
Balnea ſunt vel naturalia vel artificilia 159
Laconica 160
Balſami Peruviani uſus in paralyſi 287
Spaſmatici Mynſichtiani uſus 287. 288
Naturalis vires in calculo 195

Barda-

Bardanæ radicis uſus in paralyſi 287
Baſilicum 209
Betonica ibid.
Betulæ liquor 351
Bezoardicum Minerale, Martiale, Joviale, Lunare, Solare 140
in quibus morbis conducant ib. 141
Bezoardici Lunaris uſus in epilepſia 280
Bolus Armena 145
Bovinus lapis 190
ad Bradypepſiam remedia 321
contra Bronchocelen remedium 306
Bufonum ſal 193
pulvis ibid.
in hydrope 340
Buxi folia in mania commendantur 291

C.

Cachexia unde 199
Cachexia remedia 339
initio vomitoria conveniunt 141
in Cachexiæ cura quæ cautelæ ſint obſervandæ 339
Cacochymia quid ſit 199
quomodo generetur 42
quotuplex 199
in Cacochymia quando vena ſecanda & quando non ibid. 201
Camphora ſummè diaphoretica eſt 149
in quibus morbis 150
Camphoræ oleum in phrenitide 290
Cancer morbus quid 415
quotuplex ibid.
hunc non curare melius eſt ib.
in mammis 416
Cancrorum fluviatilium lapides 191
ſuccus in dolore capitis 280
Uſus in rabie 292
Canis rabidi jecur coctū in maniâ 292
Canini cerebri cocti uſus in maniâ 291
Cantharellorum pulvis 193
Cantharides 194
Capitis vulneraria ſpecifica 395
In capitis vulneribus Clyſter 135
Cardialgiæ ſpecifica 318
Carduus benedictus eſt ſummum diaphoreticum 146
Cardui ben. uſus in Epilepſiâ 282
Carlina 147
Carminativa qvomodò rectè uſurpentur 327
Carui ſemen in vertigine 280
Caſtorei uſus in epilepſiâ 283
in paralyſi 287
in convulſionibus 288
in Lethargo 293
Catarrhorum cauſa 295
Specifica 294
Vomitoria 107.108.
Catarrhi ſuffocativi remedia 295
Clyſter 135
Catelli nigri lactantis fel in Epilepſiâ 283.
Cati ſylveſtris pingvedo in epilepſiâ 286.
in paralyſi 287
Catuli recens-nati coagulum in rabie 292.
Cauſa morbifica in curatione probè eſt obſervanda 7

In Cephalalgiâ quæ obſervanda ad ejus curationẽ facientia 279
ejus ſpecifica ibid.
in ſympathicâ ſudorifera conveniunt 136
vomitoria 102
diuretica 178
quæ vena ſecanda 384
Cephalica in Lunæ mutationibus præſcribi debent 285
Cephalicum ſpecificum D.D. Michaelis in epilepſiâ 284
Ceraſorum nigrorum Spiritus in paralyſi 285
Cerebri humani uſus in epilepſiâ 282
Cerefolium 196
Cervi lachrymæ 156
Chamœdris 146
Cherefolium 128. 280.
Chinæ radix 147
Chirurgia curtorum 419
contra Choleram remedia 324
Clyſter 130
Sudorifera 168
in Cholerâ ſiccâ remedia 324
Chryſolithus lapis in incubo 288
Ciconiarum uſus in vertigine 280
pingvedo in paralyſi 274
Sal volatile alexipharmacum eſt 142
Cinnabaris nativa & Antimonii in vertigine 280
in epilepſia 284
an in epilepſia ſuſpectus ſit 142
in tremore ex ☿riô valet 289
De Clyſmaticâ infuſiva & transfuſiva qvid ſtatuendum 126
Clyſteres unde deriventur 121
qvid ſint ibid.
Clyſterium inventio unde 122
materia ratione uſus eſt varia ibid.
tot ſunt genera, qvot inteſtinorum vitia ibid.
qvid penes ſingulos ſit obſervandum in Methodo ibid.
Clyſteres an dentur nutrientes 125
qvomodo parentur & applicentur 129
qvibus noceant 131
Cl. Helmontius rejicit ibid.
ſed refutatur ibid.
à Clyſteribus in Variolis & Morbillis abſtinendum eſt 131
Clyſterium formulæ in diverſis affectibus 134
Cochlearia 148
Coctio humorum qvid ſit 55.
unde cognoſcatur 57
utrum hanc Medicus antevertere poſſit an ſecus 55
Cocti humores qvi 56.
contra Coctionem debilem 317
contra Cœliacam remedia 330
Anti-Colica remedia 127
in Colicâ vomitoria conveniunt 109
Clyſter 134
Sudorifera 168
qvando Narcotica conveniant 320
In Colicâ nothâ diuretica 184
Concharum oblongarum teſtæ 159
ad Condylomata 335
de Confortantibus communiter ſic dictis

Contraria in ſummo et remiſſo
Oſtendi 26
Contrarioz multiplex acceptio 29

ctiis qvid ſtatuendum 270
Confortantia qvid propriè ſint ibid.
in Confortantibus qvalitates manifeſtæ minus ſunt attendendæ, ſed virtus arcani ſpecifici 32
Conſvetudo in morborum curatione maximam vim habet 14
Contraria contrariorum ſunt remedia 25.
Contraria contrariis curantur alio reſpectu & alio ſimilia ſimilibus 27
Contrayervæ radix 148
Convulſionum ſpecifica 287
vomitoria conveniunt 107
in Convulſivis motibus Clyſter 134
Corallorum tinctura in Melancholia 290
Cordis motũ p.n. ſiſtunt narcotica 392
Cordis humani uſus in epilepſia 282
in Corneæ vulneribus 296
Cornu Alcis vaporati uſus in epilepſia 157. 278.
Cornu Cervi vaporatum in majori eſt uſu calcinatô 154
Hujus raſuram qvidam extollunt 155
gelatina commendantur ibid.
magiſterium rejicitur ib.
vera & genuina præparatio ibid.
Spiritus & Sal volatile in juſtâ doſi ſunt offerendi ibid.
uſus in epileſia 283
in arthritide 163
Cornu Cervi plurimis morbis inſervit vi ſua diaphoretica 155
in Coryza remedium 301
vomitoria conveniunt 107
Cranii humani uſus in epilepſia 282
galreda in maniâ 291
hoc an in phthiſi conveniat 307
de Criſi qvi rectè judicare vult, neceſſe eſt, ut Aſtrologiæ ſit peritus 16
Criſeos certitudinem ſæpè corrumpunt externa cauſæ 5.
utrum Criſin Medicus antevertere poſſit, an ſecus 57. 55.
Crocus Martis aperitivus cum ſalibus 186
Crocus metallorum qvid & qvotuplex ſit 116. 117
Croci uſus in Melancholia 290
Cruditas qvid 55
unde cognoſcatur 57
Crudi humores qvi 56
Cruditates unde oriantur 199. 331
Cryſtallus 161
Cubebæ ſacchara obductæ in vertigine 280
Cucurbitæ ramenta in phrenitide 290
Cucurbitularum uſus 252. 253
Cucurbitulæ ſunt vicariæ phlebotomiæ 253
qvantum evacuent ib.
Cucurbitulæ, niſi totô priùs evacuatô, non ſunt adhibendæ 255
qvibus partibus applicandæ ibid.
Cucurbitulæ ſunt vel cum vel ſine ſcarificatione 252

Criſes particulæ in variis regionib. mere pelig ſolutiones st. 15
Criſis qd? 57.
Chimici, Quercetanus et Paracelsiani Helmontii differunt.
Cruditas acida qui corrigenda? 262 et ut nidoroſa? ib.

utraq;

Custodia in purgatione observanda. 71. b

Dolor an dolorem curet? 28
Dogmaticum Ofrāsin et similes Hermeticum an gerinanda? 28

utraq; variat qvoad materiam compoſitionis, qvoad qvantitatem & figuram ibid.
Cuniculi pingvedinis uſus in epilepſia 283.
Curatio tuta tribus conſtat reqviſitis 21
Curationis morborum ratio in qvô conſiſtat 199
Curtorum chirurgia 419
Cynoſbati glomorum decoctum in phrenitide 289

D.

Damarum pingvedo in vertigine 280.
Dentariæ radicis uſus in epilepſiâ 282
Dentium dolor unde oriatur 303
ad Dentium corroſionem remedium 302
mobilitatem ibid.
dolorem 303
ſtuporem ibid.
ſtridorem, fœtorem & gangrænam 304 ibid.
nigredinem 304
Derivatio ubi locum habeat 390
contra Diabeten remedia 355
Diæta exacta ſanis non eſt obſervanda 442
in Diarrhœâ remedia 330
ſudorifera conveniunt 169
Diaſarum placitum eſt vomitoriũ 111
Dictamni folia diaphoretica ſunt 147
Dieterici pulvis Solaris 141
Digeſtio excrementorum non eſt neceſſaria 67.
Diuretica qvid 169
non ſunt unius generis ibid.
qvomodo operentur 170
deſumuntur ex regno minerali, vegetabili & animali 185
an præcedere debeant ſudoriferorum uſum 173
in qvibus affectibus conveniant ibid.
qvas partes evacuent 171
qvâ ratione & qvô conſilio rectè ſint adminiſtranda 173
qvô morbi tempore ſint exhibenda 176
omnibꝰ affectibꝰ utilia ſunt 178
per hæc qvantum ſit educendum 176
an in fluore muliebri conveniant 184
qvibus conveniant 176
Diuretica lithontriptica qvando & qvomodo ſint adhibenda 178
qualia eſſe debeant 179
Dogmatici in ſuis curis qvomodo progrediuntur 48
Dolores qvomodo compeſcendi 436
Doronici radix in vertigine 280
Dulcia Scorbuticis ſunt hoſtilia 348
in Dyſenteria remedia 331
Clyſteres varii 129
ſudorifera 169
diuretica 184
in Dyſpnœa remedia 310
in Dyſuria remedia 356
diuretica conveniunt 184

E.

Electuarium pleresarconticum in incubo 288

Elixir

Elixir emeticum 115
proprietatis laxativum 89
Vitriol. Mynſichti uſus in epilepſia 280
Elleborus albus & niger 94
Medicamenta inde præparata 95
Ellebori albi præparatio ibid.
nigri præparatio ibid.
Emollientia qvando & ubi locum habeant 404
Empirici qvomodo in ſuis curis progrediantur 32.33.
Emplaſtra ſplenetica 187
Empyematis remedia 310
diuretica conveniunt 173
in Empyicis qvo in loco ſectio ſit inſtituenda 402
Enula 103
radicis decoctum valet in tremore ex Mercurio 289
contra Epatis affectus remedia 336
obſtructionem 337
inflammationem 338
ſcirrhum ibid.
vulnera & ulcera ibid.
in Epatis obſtructione qvæ obſervanda 338
in Epilepſia præſervatione vomitoria conveniunt 105
paroxyſmo clyſter 134
in Epilepſia diuretica conveniunt 173.
ſudorifera 166
oleum externum 286
Epileptica ſpecifica 132. 280
in Lunæ mutationibus præſcribi debent 397
Epicraſis Ferneliana qvid 66
Errhina qvid 402
in Eryſipelate ſudorifera conveniunt, & qvanám 164
Evacuatio ſpontanea in ſanis 74
Euphraſia valet in omni viſûs imbecillitate 296
in omni Evacuatione tria ſunt à Medicô obſervanda 50
Excreſcentia carnea qvomodo curanda 423
Exercitium corporis qvomodo ad vitam longam faciat 443
Experientia qvid ſit 31
tribus opus habet requiſitis, ut ſit certa ibid.
ſine ratione eſſe neqvit 8
admodum neceſſaria eſt Medico 32
ſit certa & indubitata ibid.

F.

Facultas ægri reſoluta diſtingvenda eſt ab oppreſſa 4
Febrifugum P. Poterii 186. 187
de Febrium natura 368
curâ ibid.
Febres qvomodo rectè ſint curandæ? 140. 369
in ardentium & malignarum curatione quæ obſervanda 375. 380
in his ſaccharata noxia ſunt 378
an opiata conveniant 369
in his cujusq; generis ſudorifera conveniunt 165

in Febribus diuretica proſunt 178
in intermittentium curatione quæ obſervanda 371
in his vomitoria conveniũt 116
Febris alba Virginum 362
in Febre Ungaricâ ſudorifera etiam utiliter adhibenda 166
Fermentalis viſcerum calor 258
Flores Salis Ammoniaci 186
Fluxus albus mulierum 362
Fluxus alvi curatur fluxu alvi 27
ad Fœtum mortuũ expellendum 367
Fomentationes partium qvomodo fiant 163
Fonticulorum uſus 390
Formicarum Spiritus in Paralyſi 284
Fraxini ligni uſus in hæmorrhagiis 301
Fructuum lapides 196
Fuliginis oleum in Epilepſia 280
Fumariæ uſus in melancholia 290
Functiones conſervare debet Medicus 447
qvomodo læſæ ſint in integrum reſtituendæ 434
Fungus morbus quid 417
quibus in partibus ſoleat provenire ibid.
ejus curatio 418
in Furore uterino remedia 364

G.

Galbaneti uſus in paralyſi 287
Galega 182
Galli in venæſectionibus ſunt admodum licentioſi 215
Gallinarum ventriculi in calculo 193
in Gallico morbo ſudorifera conveniunt & qvænam 164
Gangrana qvid 410
qvomodo à ſphacelo differat idid.
qvomodo ſit curanda ibid.
ex eryſipelate orta qvomodo curanda 411
ex inflammatione cũ tumore qvomodo curanda 412
ex congelatione 412
ex malignitate ibid.
Gemmæ pro Medicina adſumptæ quâ ratione juvent 183
Gentiana ejusdꝫ radicis uſus in rabie 147. 292
in ſuffuſione oculorum 296
ad Gingivas cruentas & tumidas remedium 305
Gloſſopetræ Melitenſes ad qvid conferant 285. 145
contra Gonorrhœam remedia 359
in hac vomitoria conveniunt 108
Graminis radices 195
ad Gravidarum ſymptomata remedia 364
Gravidæ non ſunt vehementibus ſudoriferis defatigandæ 116
qvænám diuretica illis utilia 176
an illis vena in talo ſit nonnunquam aperienda 225

Gummi

Gummi Gotte Peruvianum quid 93
ejus opemtia ibid.
Gummi juniperinum 286
ad Gurgulionis laxationem & inflammationem remedium 305

H.

H*Æmoptoë qvomodo ſiſtenda* 386
ad Hæmoptyſin ſpecifica interna & externa 311
ad Hæmorrhagiam narium remedia 300
Hæmorrhagia in genere qvomodo ſiſtenda 303
ſi ab arteria apertione ibid.
Hæmorrhoides an ſint aperiendæ 241
qvomodo aperiẽdæ 246. 334
quô morbi tempore ſint aperiendæ 246
cœcæ cum ficubus & mariſcis non ſunt confundendæ 335. 196
Hæmorrhoidũ uſus confirmatur 242
nimius fluxus 334. 393
dolor 335
fluxꝰ etiã per venas fit 243
conſenſus cum utero & liene 243
Hedera terreſtris 280
Helmontiana doctrina qvomodo cum dogmatica concilianda 28
Hermodactyli unde nomen ſint ſortiti 98
cum ephemeris colchicis affinitatem habent ibid.
Hermodactyli in qvibus morbũ utiles ſint 98
quæ medicamenta inde fiant ibid.
Herniæ curatio 426
it. inteſtinalis 326
umbilicalis 327
uterinæ ibid.
Hernia in ſenibus curari poteſt 327
Herniæ cum iliaca poſſione curatio 330
Hirci cruor 157
diaphoreticus eſt ibid.
in pleuritide ſpecificum eſt 158
contra calculum 191
Hirudines in Medicina etiam locum habent 239
earum utilitas aſſeritur 240
illis uſa fuit antiquitas ibid.
qvomodo rectè applicandæ ſint 242
in hæmorrhoidibus ibid.
Hirundinum uſus in epilepſia 283
Hiſpani in V. S. admodum ſunt licentioſi 215
in Hordeolô remedium 297
Humores peccant ſubſtantiâ, quantitate, qualitate, motu & locô 41
vitioſi qvomodo generentur 42
quomodo morbi inde producantur ibid.
motu peccantes quomodo corrigendi 382
Locô peccantes quomodo corrigendi 397

Humores quantitate peccantes quomodo corrigendi 199
Hydrops Aſcites *unde* 339. 340
contra hydropem Aſciten ibid.
anaſarcam 341
tympanitidem ibid.
in hac Clyſter 352
an diuretica conveniant & quanám 182
an ſcarificatio crurum locum habeat 399
Veſicatoria ibid.
cauteria 400
Hypericum ſummitates ſunt diaphoretica 230
in melancholia 290
in phrenitide ibid.
in mania 291
in ὑπερκαθάρσει *quid agendum* 72
ad hypochondriacū malum remedia 345
diuretica conveniunt 181
ad hypoſphagma remedium 297
Hysſopus 147
Hiſtericis quibusdam amica eſt moſchus & ambra 364

I.

Jalappa hiſtoria 92
quæ medicamenta inde præparentur 93
ad Icterum remedia 342
nigrum 345
vomitoria conveniunt 107
diuretica 181
ἰδιοσυγκρασίαι *Medico ſunt obſervandæ* 14
ad Iliacam paſſionem remedia 329
ex herniâ juvat emplaſtrum Authoris 330
ad Impotentiam Veneream 357
ex veneficiô 358
ad Incubum ſpecifica 288
Inedia quæ ſymptomata inferat 203
an in locum V. S. ſubſtitui poſſet 202
Infantibus non ſunt vehementia ſudorifera exhibenda 116
quanám diuretica conveniant 176
In Inflammationibus internis ſomnus fugiendus 305
in Inflatione uteri clyſter 134
per Intemperiem quid Cl. Helmontius *intelligat* 337
Inteſtini recti relaxatio 431
in Iſchiade ſudorifera conveniunt 165
ad Iſchuriam remedia 355
Juli juglandis ſunt placidum vomitorium 112
Juniperi baccæ in calculo 197
Juniperini olei uſus in Epilepſiâ 286

K.

Κέδματα *etiam ſudoriferorum uſum efflagitant* 164
per Κινέειν *Hipp. non ſemper ad purgandum Nos invitat ſed & ad alia præſidia* 54

L.

Ad Labiorum fiſſuras remedia 302
ad Lac coagulatū vomitoria conducunt 109
Lac humanum in phthiſi utile eſt 308

ad Lactis defectum 317
coagulationem ibid.
redundantiam ibid.
Lachrymæ cervi 156
Laconicum balneum 159
Lapides medicinales quâ ratione juvent 183
Lapis Bezoar unde derivetur 151
quid ſub illo intelligatur ibid.
ſi genuinus haberi poteſt, eſt in febribus malignis ſummæ efficaciæ 152
ſed valdè adulteratur ibid.
quomodo 154
Eſt vel orientalis vel occidentalis 151
Cervinus 156
Lapides cancrorum 189
Lapis Piſolithus 188
Lapis judaicus 188
Lapis fulminaris in hydrope 341
Lapidis Lazuli tinctura in melancholiâ 290
Lapis Microcoſmi 189
externè etiam diureticus eſt 194
Lapis Nephriticus 177
Lapides fructuum 196
Lappæ majoris radix in Pleuritide 3 9
Laryngotomia 402
Lavendulæ uſus in paralyſi 284
Laudani opiati uſus in catarrhis 295
in hydrope noxius eſt 3
Laxantia medicamenta cibis permiſceri poſſunt 63
Leonis ſtercoris uſus in Epilepſiâ 283
Ejus Spiritus 157
ad Lethargum ſpecifica 293
Clyſter 183
Vomitoria 106
Sudorifera 166
ad Lienis obſtructionem 344
inflammationem ibid.
ſcirrhum ibid.
Ulcera & vulnera ibid.
in ejus affectibus ſudorifera conveniunt 168
an diuretica 180
ad Lienteriam remedia 330
Ligni ſaſſafras uſus in catharrhis 294
148
Indicum ibid.
Guajacum & ſanctum ibid.
Nephriticum 197
Liliorum convallium uſus in apoplexiâ 286
ad Linguæ ranulam 302
nigredinem ibid.
paralyſin ibid.
ad Lipothymiam remedia 315
quomodo curanda 436
Lithontriptica diuretica quando & quomodo ſint adhibenda 175
qualia ſint 176
ad Lochiorum nimium fluxum 366
imminutum ibid.
Lotii vaccini uſus in epilepſiâ 283
Ludus Paracelſi 187
ad Lumbricos remedia 326
Lumbrici terreſtres 192
illorum eſſentia & Spiritus 158

Lubricorum uſus in Paralyſi 282
Lunariæ herbæ uſus in epilepſiâ 282
Lupinus dens in incubo 289
Lupini jecoris uſus in epilepſiâ 283
Lupina caro hyſtericas eſu juvat epilepticas 282
ex Lupi coriô cingulum contra epilepſiam 286
Luxatarum partium reſtitutio 431

M.

Majoranæ ſummitates in Lixivio infuſæ contra vertiginem 281
ad Mammillarum inflammationem remedia 316
ſcirrhoſos tumores, qui in cancrum vergunt ibid.
ad Mammillarum fiſſuras ibid.
cancrum ibid.
Mandragoræ uſus in convulſionibus 288
idem in melancholiâ 290
ad maniam ſpecifica 291
diuretica 180
Manna unde derivetur 76
qvid ſit ibid.
qvotuplex ibid.
benignisſima inter purgantia eſt natura ibid.
qvibus morbis conveniat ib.
Mannæ electio ibid.
correctio ibid.
qvæ medicamenta inde conficiantur ibid.
Mare contra rabiem valet 293
Martis eſſentia cum ſucco pomorum Borsdorff. in melancholiâ 290
Matricaria 196
Mechoacanna unde derivetur 91
quid ſit ibid.
eſt medicament. tutiſſ. ibid.
in quibus affectibus conveniat ibid.
Mechoacannæ Patria ibid.
quæ medicamenta inde conficiantur ibid. ſeq.
Medicina univerſalis an detur 37
an curat morborum cognitionem 39
Medicamenta uſualia & probata præferenda minus probatis 33
alterantia non ſolùm per primas qvalitates deſcribenda 257
ſed per nobiliores etiam ibid.
Medicamenta an ſpecifica dentur 273
qvo reſpectu ſint mutanda 280
in illorum compoſitione Theriacalis illa ſimplicium commisſio eſt vitanda 23
Medicus qvomodo curare debeat 19
ejus finis intermedius eſt curatio. 2.
illi interdum glorioſum eſt qvosdam morbos non curare 2.
occaſionem curandi ſedulò obſervet 19
qvid ipſi agendum, anteqvam curam aggrediatur 5
in præſagio qvid obſervet ib.
ſit cautus ib.
quomodo exiſtimationem ſuam ſalvam retinere posſit 5

Medicꝰ quãnam in morbis deſperatis cautelam adhibere debeat 5
in compoſitorum morborum implicitâ curâ quæ obſervanda habeat 8
ſi obſcura fuerit morbi ſpecies, quid agere debeat 9
in cauſarum morbificarum remotione quid agat prius vel poſterius 8
ex conjecturâ remedia applicans, cautius ſit; ne æger animadvertat 11
ſecuritatis medicinalis ſit ſtudioſisſimus 21
medicamentis utatur ſuavibus 23
quâ ratione patientis ſtatum cognoſcere posſit 4
ægroti temperamentum debet obſervare 13
conſuetudinem ibid.
ætatem 14
ſexum 15
ſit etiam Aſtrologus ibid.
naturæ non ſolùm ſed & artis debet eſſe miniſter 27
ſit etiam naturæ Rector ibid.
Medici Juniores in ſuâ praxi ſeqvantur ſeniores peritos 34
qvomodo à ſenioribus differant 33.
non ſunt aſpernandi ibid.
Medici quidam ſenes in ipsâ ſenectute juvenes ſunt ibid.
ad Melancholiam ſpecifica interna 240
vomitoria conveniunt 106
ſudorifera 169
diuretica 179
ab utero ſpecifica 164
à ſeminis abundantiâ ib.
à philtris ib.
ex hypochondriis ibid.
Melancholicorum triplex eſt differentia 244
Meliſſa 155
Membranæ interiores Ventriculi in gallinis 193
ad Memoriæ læſionem ſpecifica 289
Menſtrui fluxus quinq; gradus 248
ſuppreſſus varia inducit ſymptomata 247
huic V. S. medetur ibid.
ſuppresſi cauſa 248
per varias corporis partes excretus ibid.
in hoc qvæ vena aperienda 249
quæ aliàs obſervanda 250. 361
contra hunc ſuppreſſum ſpecifica 360
quæ cautela 361
contra ejus nimium fluxum 362
in Menſium ſuppresſione præſentibus morbis acutis qvæ vena ſecanda 250
Mercurius vivus totum corpus penetrare poteſt 315
Mercurius vitæ 117
qvomodo rectè præparetur 118
ab Helmont. proſcribitur ibid.

Mer-

Mercurius vitæ per inferiora purgans an detur 119
diaphoreticus Helmontii quid 143
Mercurii vitæ uſus 118
vires 143
Mergi hepar aſſatum in rabie 292
ad Meſenterii obſtructionem 335
inflammationem 336
dolorem ibid.
Metaptoſis quando fiat 36
Metaſtaſis qvando fiat 36
Methodus medendi qvid 1
ejus genus eſt ars ibid.
ſubjectum, finis & medium 2
quibus mediis abſolvatur ibid.
Millefolii uſus in epilepſiâ 282
Mithridatii uſus in paralyſi 284
ad Mixtionem cruentam 357
Mixtura ſ. ex qvibus conſtet 128
ad Molam remedia 364
Monſtra ſæpe fiunt in arte 4
in Morbillorum curatione qvæ obſervanda 380
Morborum cognitio eſt remediorum materia 6
cauſæ qvot ſint 7
idea cognoſcitur ex cauſâ cognitâ ibid.
progreſſus vitioſo cuidam debetur fermentorũ ortui 258
tempora Medicus cognoſcere debet 15
qvot ſint ibid.
curationis ratio in qvo conſiſtat 198
tranſplantatio 370
ex Morborum cognitione qvæ commoda in Medicum & ægrotum redundent 6
Morbi longioris eventus qvomodo præcaveri poſſint 19
qvinam deſperati 3
impliciti cautè tractari volunt 10
ſalini ſalinis, tartarei tartareis curantur remediis 29
ab incantatione qvomodo cognoſcantur 358
in Morbis acutis qvid agendum ignoratâ adhuc illorum ideâ ib.
Mulieres felicius ſæpe vivunt qvàm Viri 247
in Mulierum curatione Medicus plus quàm in aliis cautus eſſe debet 15
Mumiæ humanæ uſus in epilepſia 282
Muſcus terreſtris 196
ejus decoctum in phrenitide 290
Muſtela fluviatilis ſpina dorſi in epilepſia 383
Myrobalani quid ſint 80
illorum quot genera ibid.
uſus ibid.

N.

NApelli uſus in convulſionibus 288
Napi ſemen 148
Narcotica qvomodo rectè uſurpanda 436
in hæmorrhagiis narium cum ſummâ cautelâ uſurpanda 301
in ventriculi dolore 318
ad Narium exulcerationem 299

ad Narium obſtructionem 291
Naſturtium 172
Natura eſt morborum medicatrix 35
primas tenet in ipſa curatione ibid.
ad Nauſeam remedia 322
in Nephritide vomitoria conveniunt 109
Clyſter 134
qualia diuretica ſint utilia 183
ſpecifica 351
Nobilis ab Hanffſtengels arcanum contra epilepſiam 280
ex Nucis juglandis radicibus liquor deſtillans ad quid conferat 279
Nucis Moſchatæ uſus in catarrhis 295
Nymphea flores in cõvulſionibus 287
luteæ radix in phrenitide 290
maniâ 291

O.

Occaſio præceps 19
in Oculorũ affectibus ſpecifica 296
vomitoria ſunt ſuſpecta 131
ſudorifera conveniunt 167
ad Oculorum nubeculas ſpecifica 296
maculam 297
puſtulas ibid.
ulcera ibid.
dolorem ibid.
Oleorum uſus in febribus eſt ſuſpectus 123
in Olfactus læſione remedium 300
Olivarum oleum an in phthiſi loco balnei conveniat 308
Ononidis radices 195
ad Ophthalmiam remedium 296
Opium quô reſpectu ſudorificum ſit 150
venas ſectas reſerat & vomitũ concitat 151
in initio paroxyſmorum non eſt adhibendum 3
nec in hydrope ibid.
nec in dyſenteriâ ibid.
infantibus & pueris nocet ibid.
quomodo medicamenta inde præparata in cardialgiâ ſint uſurpanda 318
Origanum 142
Os de corde cervi 155
Ejus vis eſt mira ibid.
Oxycroceum Emplaſtrum nervoſas & muſculoſas corroborat partes 288
ad Ozænam 299

P.

In Paralyſi vomitoria conveniunt 107
Clyſter 134
Sudorifera 167
Ejus ſpecifica 287
Lingua 285
ad Paralyſin palpebrarum remedium 296
in Palpitatione cordis ſudorifera conveniunt 168
ejus ſpecifica 314
diuretica conveniunt 180
Panacea duplicata 144
Paracenteſis quando inſtituenda 398
quomodo & ubi ibid.
Pars affecta in morbis eſt cognoſcenda 6
Partium morbi ſuam etiam poſtulant curationem 410

Et peccant ſubſtantiâ, quantitate, qvalitate, motu & locô 410. quantitate peccantes quomodo corrigendæ 421
qualitate 423
Motu & Loco 426
ad Partus difficultatem remedia 366
vomitoria etiam conveniunt 110
Paſſeris cerebrum in vertigine 280
Pavonis fimus in vertigine 280
in Epilepſiâ 283
in tremore capitis ſenili 289
Pentaphylli radices in apoplexiâ 286
Percarum lapis 191
Perdicum fel ad memoriam 289
Periapta in vertigine 281
in Peripnevmoniâ diuretica conveniunt 180
Perlarum liquor in phrenitide 290
Peſtis remedia 381
quæ in curatione obſervanda ibid.
Peſtilentiale oleum Nobiliſſimi Heiniſii ex quibus præparetur 150
Petaſitis 147
Petechialium febrium curatio 380
Peucedanum 196
Philomelæ cor, fel & oculi contra Lethargum 293
contra Philtra 291
ex quibus componantur ibid.
Phrenitidis ſpecifica 289
Vomitoria conveniunt 106
item ſudorifera 167
quæ vena ſecanda 385
diuretica 179
ad Phthiſin ſpecifica 307
unde oriatur ibid.
ad Picam morbum 320
Picarum avium uſus in Epilepſiâ 283
Pilulæ Anhaltinæ 82
Aquapendentis 81
Francofurdenſes 82
Glaſſianæ ibid.
Marocoſtinæ ibid.
Plantaginis radix in dolore capitis 279
Plethora quid ſit 199
quotuplex ibid.
an detur ad vires ibid.
Pleuritidis cauſa juxta Helmontium 310
in hâc ſtatim ab initio vena in latere affecto eſt aperienda 21. 383
in hac ſudorifera conveniunt 168
Vomitoria ſunt ſuſpecta 107
Specifica 309
Diuretica conveniunt 180
in Pleuriticis Mulieribus menſibus imminentibus ubi vena ſecanda 229
in Podagrâ vomitoria conveniunt 110
item diuretica 182
Pœoniæ radicis uſus in Epilepſia 281. 285
Maris ſemina in incubo proſunt 288
Polypodii radices 283
ad Polypum remedia 299
Præcipitatio humorum quid & quotuplex 258. 261
Præcipitantia Medicamenta agunt pro ſubjectâ materiâ 260
quomodo privativo modo agant ibid.
& quomodo poſitivo 264

Præci-

Præcipitantia ſint etiam unà diuretica 187 175
Præparatio humorum ante purgationem eſt neceſſaria 67
Præſervatio morborum per purgantia vere & autumno eſt inſtituenda 59
æſtivo & hiemali tempore non 60
in hac Lunæ decrementum eſt eligendum 61
in Priapiſmo vomitoria cōveniūt 110
Primula veris uſus in apoplexia 286
Prognoſtica ars difficillima & obſcuriſſima eſt 3
ad Pterygiū oculorum remediū 297
Puerperis quæ diuretica utilia 184
Pulchritudinis etiam habenda eſt ratio in curatione 447
Pulegium 167
Pulli equini uſus in Epilepſia 283
Purgatio quid ſit? 43
quomodo fiat ibid.
urinam & pulſum mutat 44
non operatur ob ſubſtantiæ ſimilitudinem ibidem
quotuplex 46
quomodo debitè ſit adminiſtranda 48
eam quæ corpora ferant 69
ejus abuſus 49
illius tempus 53
in caſu neceſſitatis quovis tempore eſt inſtituenda 62
hora commodior eſt matutina 63
per quem locū ſit inſtituenda 64
in hâc quantum evacuandum 65. 66. ſeq.
in hâc virium habenda eſt ratio 50. in febribus acutis non convenit 50. nec malignis, item inflammationibus, viſcoſorum humorum copiâ, inflationibus hypochondriorum, obſtructionib9, ingravidatione. 52. 53. in ejus uſu quomodo res naturales debeant eſſe diſpoſitæ 71. ante eā quid agendum, qvid in illâ, & quid poſt illam 67. ante illam præparatio humorum eſt neceſſaria ibid. ejus effectus 73. qvomodo vitam abbreviare poſſit 440
Purgantia malè dividuntur in illa, quæ purgant primam corporis regionem, & illa, quæ ſecundam & tertiam 46. Et ſunt vel Vomitoria vel Alvum ſubducentia 47. qualia eſſe debeant, & quibus uti conſultum 75. illis interdum alia ſunt admiſcenda 70 an cum cibis permiſcenda 67 ſi ſubſiſtant, quid agendum 72 Mercurialia & Antimonialia ſunt minus tuta 22. in anaſarcâ cautè ſunt uſurpanda 341.

Q.

Qvalitates Elementares in morbis non ſolùm ſunt attendendæ 262
Quartanæ curatio 184. 371

R.

AD Rabiem ſpecifica 292
an Rabioſi in aquam ſint immergendi? 293
ad Ranulam linguæ 302

Ranarum Sal 250 paluſtrium viridium uſus in Epilepſiâ 284
Raphani radices 195
Ratio ſine Experientiâ in Medicinâ eſſe nequit 31
ad Raucedinem remedium 307
ad Recti inteſtini inflammationẽ 333
verrucas ibid.
Remedia quo reſpectu interdum ſint mutanda 301
ad Renum inflammationem 350 calculum ibid. dolorem 351. ulcera & vulnera ibid.
Repellentia ubi & quando locum habeant 403
Revulſio quomodo motum humorum corrigat 383. quo in loco in diverſis affectibus per V. S. adminiſtrata ſit inſtituenda 384. etiam per cucurbitulas celebrari poteſt 387 per hirudines 389. per cauteria 390 fonticulos ibid.
Rhabarbarum unde derivetur 87. cum rhapontico confundunt ibid. Meſue tres conſtituit differentias ibid. diverſis conſtat ſubſtantiis ib. plurimis medetur morbis 88. Ejus correctio 89. medicamenta inde parata ibid.
in Rhevmaticis affectibus diuretica conveniunt 185
Roriſmarini uſus in apoplexiâ 286
Ros ſolis 196. in Epilepſiâ 282
Ructus hypochondriacis & hyſtericis familiaris eſt 322
ad Ructum ventriculi 322
Ruta 147. ejus uſus in Epilepſia 281 Ejus balſamus in ſoporoſis affectibus 293

S.

Saccharata in morbis noxia ſunt 296 quia illos augent ib. in febribus etiam noxia 378. 299.
Scorbuticis ſunt hoſtilia 348
ad Salacitatem remedia 359
Salia volatilia herbarum ſimplicium totam craſin continent 146. ſunt diaphoretica inſignia 147
Sal CC. volatile interdum ſalis vitrioli vices explet 113. figitur Spiritibus acidis 210
Salis Ammoniaci flores 185
Sal vomitorium ex Marte 112
Salia anti-febrilia D Mœbii 217
Salia lixivioſa herbarum an ſint diuretica 197
Sal Tartari volatile 186 198
Salis viperini uſus in rabie 291
de Salvatellæ ſectione quid judicandum 230
Salvia 167. Ejus uſus in paralyſi 284. in apoplexia 386
Sambuci flores 148. Ejus ſummitates ſunt vomitoriæ 111
Sambuci amuletum contra Epilepſiam 285
Sandarachæ uſus in apoplexia 286
in Sanguine anima gliſcit 209. in febribus peccat 209. 211. motu peccat 215
Sanguinis humani uſus in Epilepſia 282. Spiritus & ſal volatile 157
cervini Spiritus & ſal volatile ibid.
Sanitas in quibus conſiſtat 439. de Ejus affectionibus 440

Sapo-

Saponariæ Seminis pulvis Epileſia 281
Sarſaparilla 148
Saſſafras ligni uſus in Paralyſi 282. *in catarrhis* 294
Saturni Saccharum in Phrenitide 290
Saxifraga alba 196. *rubra ibid. ejus radices* ibid.
in Scabie quænam ſudorifera conveniant 163
Scabioſa in convulſionib9 confert 288
Scammonium unde derivetur 95. *quid ſit* 96. *Ejus qualitas ibid. præparatio ibid. quæ medicamenta inde conficiantur* 97
Scarificatio quibusdam valde eſt ſuſpecta 250 *ſed refutantur* ibid.
Sciuri uſus in vertigine 280
ad Scorbutum ſpecifica 347. *illorum vis in quo conſiſtat* 349. *in initio vomitoria conveniunt* 109. *ſudorifera* 168. *Diuretica* 181
Scordium 167
Scorzonera 147. *Ejus Extractum in vertigine* 280
Secundinæ primiparæ uſus in Epilepſia 282
ad Secundinarum tardum egreſsũ 365
Sedi majoris uſus externus in phrenitide 290. *& dolore capitis* 280
Semen violarum purpurearum 240
Senna quid ſit 85. *ubi colligatur ibid. eſt medicina ſecuritatis ibid. quibus utilis ibid. Ejus correctio ibid. quibus danda ſit ibid. quæ medicamenta inde præparentur* 84. *Ejus doſis ibid. in oculorum affectibus commendatur* 296
Serpentum pinguedo in vertigine 280
Serpilli uſus in catarrhis 294
Silicum tinctura cærulea 249
Similia ſimilibus quo reſpectu curentur 30.
Sinapios ſeminis uſus in apoplexiæ præſervatione 286
ad Singultum 321
Sitis nimia quomodo emendanda 126. 435
Smaragdus in incubo commendatur 288. *Ejus uſus in Epilepſiâ* 284. *an exindè extrahi poſſit Tinctura* ib.
Somnus ſumpto purgante noxius eſt 72. *quomodo ad vitam longam faciat* 443. *poſt V. S. admitti poteſt* 237
ad Spaſmum in gravidis 364
Spaſmotica ſpecifica 287
Specificum cephalicum D. D. Michaëlis 143
Specifica an dentur 273
Spermatis cœti uſus in catarrhis 294
Sphaceli curatio 414. *quomodo à gangrænâ differat* 410
de Spirituum vitiis corrigendis 405 *peccant ſubſtantia, quantitate, qualitate, motu & loco ibid. Et ſunt triplices ib. vitium in ſubſtantiâ quomodo corrigendum* 408 *in quantitate quomodo corrigendum* 409. *in qualitate ibid. in Motu & Loco* 410. *vitales ſubſtantiâ peccant* 405. *animales ſubſtantia peccant ibid. genitales itidem ibid.*
Spiritus minerales acidi an ventriculo noxam inferre queant 195

qvomodo operentur ibid.
Spiritus aperitivus Penotti 185
Vitrioli volatilis 143.185.284
Philoſophicus 186
trium mineralium 139
Nitri anti-colicus 186
Salis 185
Salis Ammoniaci ſalſus 186
Vitrioli ant-Epileptici uſus in mania 144.284.290
Tartari rectificatus 186
Regii præparatio 315
Salis Tartari volatilis 198
Stannū ad lumbricos utile eſt 325
Sternutatoria qvid ſint 402
de Spiritu mundi qvid ſtatuendū 265
ad Sterilitatem mulierū remedia 364
Stœchas Arabica in apoplexia 286
Stomachicum P. Poterii 186
ad Stranguriam 356
ad Strumas remedium 307
Succiſa 167
Succini uſus in Epilepſia 285
in Paralyſi 284
in apoplexia 286
Sal volatile 145
Spiritus & oleum ib. 285
Sudorifera qvid ſint 138
qvid evacuent ibid.
qvomodo operentur 139
ſunt vel interna vel extrerna ibid.
ex qvibus partibus evacuent ibid
qvomodo rectè ſint adhibenda ib.
unde deſumantur 140
qvo morbi tempore ſint adhibenda 161
qvantum educere debeant 162
qvomodo rectè ſint adhibenda 163
qvibus affectibus competant ibid.
Externa 154
in Sudore Anglicô ſudorifera conveniunt 166
in Suffocatione uterina clyſter 353
Ejus ſpecifica 363
ad Suffuſionem remedium 296
Suppurantia qvando & ubi locum habeant 404
ad Surditatem remedium 167.299
Symphyti majoris rad. in Paralyſi 287
Symptomatum maximè urgentium curatio 433

T.

Tabaci uſus in Paralyſi 287
ad Tabem dorſalem remedia 310
ejus cauſa ibid.
Tacamahacæ uſus in paralyſi 285
Tamarindi qvid ſint 86
qvos morbos curent ibid.
qvæ Medicamenta inde elaborentur ibid.
ex Tartaro parata Medicamenta ad diureſin faciunt 198
Temporum Anni in curatione etiam habenda eſt ratio 15.
ad Teneſmum remedium 333
Terra foliata Tartari 186
Terra ſigillata 145
ad Teſtium inflammationem 357
tumorem flatulentum ibid.
Scirrhum ibid.
Tetano frigida aq. affuſa medetur 26
Thee decoctum 197
Terebinthina Cypriæ uſus in calculo 198.351

Theria-

Theriacæ uſus in convulſionibus 287
in Paralyſi 284
apoplexia 287
Thermarum uſus qualis 235
iis qvando tutò uti poſſimus 198
qvando non ibid.
qvomodo vitam abbreviare poſſit 445
Thermæ artificiales 235
Thuris uſus ad memoriam 289
Tincæ diſſectæ uſus in phrenitide 290
Tinctura aperitiva D. Mœbii qvale Medicamentum 185
Tinctura bezoardica D. D. Michaelis 207. 27
ejus uſus in epilepſia 284. 286
in melancholia 240
Tinctura Salis Tartari 186
ſulphuris Antimonii Solaris ibid.
Martis Zwelferi ibid.
Tinctura ſicca Antimonii 141
ex regul Antimonii ibid.
Antimonii Cl. Zvvelfferi ibid.
ad Tonſillarum inflammationem remediū 305
Topica ante remediorum univerſalium uſum non ſunt applicanda 23
Tormentillæ radicum uſus in apoplexiæ præſervatione 286
Tremoris ſpecifica 289
ex Mercurio orti ſpecifica ibid.
Troſtarum dentium uſus in Epilepſiâ 284
Turbith unde derivetur 97.
qvid ſit ibid.
ejus electio 98
virtus ibid.
qvæ Medicamenta inde conficiantur ibid.
contra Tuſſim vehementisſimam 294. 311

V.

Valeriana 147
ſylveſtris radicis uſus in Epilepſia 282
Variolæ & Morbilli ante eruptionem ſæpè non ſtatim cognoſcuntur 10
qvid tunc agendum ibid.
in curatione qvæ obſervanda 380.
illarum eruptio præcaveri poteſt 447
Veneſectionem damnant Eraſiſtratæi 203
refutantur 204
Cl. Helmontius etiam in febribus rejicit 205
refutatur 209
an huic alia media ſubſtitui poſſint 202
hæc qvando locum habeat 217
vel eſt Revulſiva, vel evacuativa, vel ventilativa 202
in plurimis morbis eſt ſalutare auxilium 209
ejus tempus eſt conſiderandum vel ratione curæ prophylacticæ vel therapevticæ 228
ratione temporum morborum 232
temporum anni 230
qvibus in locis ſit inſtituenda 235
qvomodo ibid.
Modus eſt ſervandus 236
immoderata noxia eſt 216
in hâc conſvetudo eſt obſervāda 229
non eſt adminiſtranda Venerem exercentibus ibid.
in hac Medicus ſanguinis qvantitatē exactè contemplari debet 217
an in virium debilitate ſit adminiſtranda 218
an pueris competat 219
an ſenibus 221
an gravidis 222
an jam exanthematibus ſit adminiſtranda 226. 228
in febribus miliaribus ibid.
in maculis ſcorbuticis 228
in peſte 229
qvomodo vitā abbreviare poſſit 444
huic non ſemper laxativa vel Enemata ſunt præmittenda 236
Veneris Spir. commendatur in Lethargo 293

INDEX RERUM ET VERBORUM.

in Venenis adſumptis vomitoria conveniunt 110.
ad Ventriculi nimiam appetentiam 320
ad Ventriculi affectus remedia 317. ad ejus debilitatem ib. tumorem ab inflammatione 318. ab inflatione ib. abſceſſum ib. vulnera ib. dolorem ib. ardorem ib. 319.
Verbaſci rad. in præſervatione apoplexiæ 386
in catarrhis 294
Verbena in dolore capitis ſpecificum eſt 279
de Verme umbilicali 326
contra Vermes inteſtinorum 324
Vermis ſericum faciens in vertigine 280
Vermes Majales in hydrope 340. 351
Veronicæ decoctum cum fl. chamæli 196
Vertiginis cauſa 281. ejus ſpecifica 280. diuretica 178.
ad Veſicæ calculum 354. inflammationem ib. ſcabiem 355 ulcus ib. fiſtulas ib.
Veſpertilionis caput contra Lethargum 293.
Victus ratio ad tempora morborum eſt accommodanda 12
Vigiliæ qvomodo corrigendæ 436 quomodo ad vitā longā faciant 443. earū ſpecifica 293
Vinacea ad arthriticos dolores ſedandos utilia ſunt 193
an Vini uſus in febribus ardentibus ſit concedendus 271
Vincetoxicum 147
Viperarum ſpinarum uſus in Epilepſia 273. illarum Sal volatile 158. qvomodo figatur ib. earum ſal in maniâ 292.
in Virgineo Morbo remedia 391
Virium rationem in Morborum curatione debet habere Medicus 13
inſignem patiuntur mutationem 219
Viſcus qvercinus in Epilepſia 281
Vita longa qvomodo & qvibus Mediis acqviri poſſit 443
in Vitriolo arcana ad hæmorrhagiam latent 302
Vitrioli Spiritus uſus in epilepſiâ 279
antepileptici uſus ibid.
Vituli cerebrum in vertigine 280
coagulum in epilepſia 283
in Ulceribus ſudoriſera conveniunt 163
ad Umbilici tumorem cataplaſma 350
Unicornu eſt dens balenæ 145. 154. in Epilepſia & febribus malignis mira præſtat 283
Hercinium 285 145
Voluptatis etiam habenda eſt ratio in curandis Morbis 446
Vomitus vomitu curatur 27. ſed qvando 109. ad Vomitum remedia 322. cruentum 323. à veneno ſumpto 322. à Scorbuto ibid. in febribus malignis 323. à Medicamento Emetico ibid. ad hunc Clyſter 130.
Vomitoria quid 100. in illorum uſu circumſpecti ſimus 101. qva vi agant ibid. qvæ loca evacuent ibid. non omnia ſubjecta admittunt ibid. illorum inventionem Natura ſuggesſit 99. illorum uſus apud nonnullos eſt ſuſpectus ibid. in oculorum morbis 107. ſed valdè utilis eſt 99. qvomodo operentur 47. unde deſumantur 111. magnum edunt effectum 100. qvomodo rectè adminiſtranda 120.
Urgens in Morbis ordinariam ſæpè curationem impedit 8. 215.
Ad Urinæ incontinentiam 355. excretionem purulentam 357. ſuppresſionem 240.
Urinæ Spiritus & ejus Sal volatile 190.
Urticæ ſemen in vertigine 280.
Uteri conſenſus cum reliqvis partibus 247
Ad Uteri Affectus ſpecifica 359. ad ejus inflationem ibid. inflammationem ibid. Scirrhum 360. fluxum album 362.
Uvæ lupinæ uſus in Epilepſiâ 281. inverſæ uſus in convulſionibus 288.
Vulneraria capitis ſpecifica 295.
Vulpis pingvedo in paralyſi 285. olei uſus in convulſionibus 287.

FINIS.

J668
H6990